






43
4 F
5

HIST
EC
T



HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

AUCTORE

GASPARE SACCARELLO

TAURINENSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTE

TOMUS QUINTUS.
AB ANNO JESU CHRISTI 317. USQUE



ROMÆ

EX TYPOGRA... ..A PAU

SUPERIORIBUS ADPROBAN...

SANCTO PHILIPPO NERIO

CONGREGATIONIS ORATORII PARENTI SVMMO

OMNIVM VIRTVTVM GENERE

IN GRADV EMINENTIORI ORNATISSIMO

ARDENTI IN DEVM AMORE NVLLI SECVNDO

IN CVRANDA ANIMARVM SALVTE

SEMPER ASSIDVO.

PRODIGIIS AC SVPERNIS CHARISMATIBVS

IN SACRIS CHRISTIANORVM FASTIS

CELEBERRIMO

VRBIS ROMAE PATRONO MAXIMO BENEFICENTISSIMO

QVOD

BARONIO OMNIGENAE ERVDITIO

IN ANNALES ECCLESIAE SCRIB

GRAVISSIMVS A TOR

AD PERFICIENDOS FORTI

GASPAR SA

EIVSDEM CONG. RC

TVTELAE AC PRAESIDII SVI

VOLVMEN QVINTVM ECCLESIA

PATRI SANCTISSIMO AC DE SE C

PERENNE SVI CVLTVS M

VT ERAT IN V

OFFERT . DEDICAT

ADPROBATIONES.

Quintum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Volumen a Clariſſimo Viro Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Romani Preſbytero ſumma diligentia elaboratum, multaque eruditione refertum, Reverendiſſimi Patris Thomæ Auguſtini Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri voluntati obſecutus, attente legi, nihilque in eo, quod catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnet, inveni, quin opus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſis quammaxime profuturum, & publica luce dignum cenſeo. In quorum fidem &c.

Ex Vaticana Bibliotheca Kal. Martii 1777.

Stephanus Evodius Aſſemanus Archiepiſc. Apameæ Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus.

Volumen Quintum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ab erudito Viro Gaſpare Sa[illegible]llo Congregationis Oratorii de Urbe [illegible]ſbytero digeſtum, [illegible]verendiſſimi P. Thomæ Ricc[illegible] Sacri Palatii Apo[illegible]i juſſu, attente [illegible]gi, nihilqu[illegible] quod Catholicæ Fidei, aut bonis [illegible] adverſet [illegible] Quare publica luce dignum cenſ[illegible]

Joſeph

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Franciscus Antonius Marcucci Episcopus Montis Alti Vicesgerens.



...MATUR.

...as Augusti... ...chinius Ordinis Prædicatorum Sacri ...i Apostol... ...r.



HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 317. SILVESTRI PAPÆ 4.
CONSTANTINI IMP. 11. LICINII IMP. 11.
COSS. OVI[illegible] GALLICANO, ET SEPTIMIO RUFO
OLYMPIAD. 274. AN. I. URBIS AN. 1070.

I. ETSI post restitutam a Consta[illegible] pacem Eccles[illegible] di Historia ha[illegible] tamen hujusce dio novis ite[illegible] lis quammaxime [illegible] perbrevem, biennio v[illegible] tam a Licinio persecut[illegible] teram post annos plu[illegible] prætereamus, Arianorum hæresis hoc tempo[illegible] pens, tot tantasque turbas excitavit, ut hæc mesticis ipsis adversus Ecclesiam mota, c[illegible] [illegible]pei corum persecutionibus componi, [illegible] Innumeræ inde animarum strage[illegible] Martyres plurimi & quæ Constantini pietate auctoritateque Orbe Rom. cœperat idololatria, pene postliminio revocata est. Q[illegible]

Jesu Chr. an. 317.

Theodor. hist. lib. 1. [illegible]

ut egregie admonet Theodoretus, Diabolus tantam Ecclesiæ felicitatem invideret, fraudulenta consilia excogitavit, quibus iterum Ecclesiam turbaret, ac homines nactus, Christianorum quidem nomine exornatos, eosdem malitiæ suæ ministros effecit, quorum opera quamplurimos ad priorem superstitionis errorem revocaret; dum Jesum Christum, quem Deum esse impie negabant, cultu nihilominus latriæ colerent, ac ita cultum soli Deo debitum rebus creatis præstarent.

Crispus, & Constantinus junior, & Licinius Licinii filius Cæsares creantur.

Zosim. lib. 2. cap. 20. Pag. ad an. 315. & 317. Basnag. ann. 317.

2. Post Ciballense bellum, pacemque inter Constantinum & Licinium firmatam, de qua anno 315. *ut arctiori se fide ad standum pactis conventis adstringerent, Constantinus Crispum, qui jam adoleverat, & Constantinum in Arelatensi oppido ante non multos dies in lucem editum, Cæsares renunciavit, & cum iis Licinius quoque Licinii filius, qui jam ætatis mensem vigesimum ingressus erat Cæsar designatus fuit*, uti a Zosimo proditum est, quibus addit Anonymus Valesianus: *Reversus Sardicam Constantinus hoc cum Licinio absente constituit, ut filii Constantini Crispus, & Constantinus, filius etiam Licinii Licinius Cæsares fierent, & sic ab utroque concorditer* [illegible]*naretur*: Hæc autem hoc anno, quo Licinius decennalia
[illegible] ebravit, & Constantini dece[illegible]alia adhuc in cursu
usque ad octavum Kal. Augusti, [illegible]ontigisse narrant in
a fasti Idaciani: *Gallicano, & Basso Coss., levati tres*
Crispus, Licinius, & Constantinus die Kal. Martii.
Eusebii congruunt & Alexandrinum; deque iisdem
[illegible]videri possunt.
[illegible]em, *Lactantius latinis literis erudi-*
[illegible]nico ad hunc annum), *vir omnium*
[illegible], *sed adeo in hac vita pauper, ut*
[illegible]*essariis indiguerit, nedum deliciis*. Nico-
[illegible]hetoricam Lactantius docuerat, ubi sævissi-
[illegible]testis fuit; reddita deinde Ecclesiis pace,
[illegible]institutionum libris vacaret, Arelatem voca-
[illegible]bum Constantini primogenitum & Cæsarem la-
[illegible]ret: quare Hieronymus *In extrema*, inquit,
[illegible]*ster* [illegible]*tare* [illegible]*ispi, filii Constantini, in Gallia fuit*.
[illegible]omanæ civ[illegible]obis privilegio, quo illustrium perso-
[illegible]usæ ad Imperatore[illegible]erebantur, impunita sæpissime
[illegible]it; cui malo occurrens Constantinus lege lata jus-
[illegible]ri privilegio cessante, illustrium etiam virorum cri-
mina

Jesu Chr. an. 317.

mina ibidem punirentur, ubi admissa essent: *Quicumque clarissimæ dignitatis virginem rapuerit, vel fines aliquos invaserit, vel in aliqua culpa, seu crimine fuerit deprehensus, statim intra provinciam, in qua facinus perpetravit publicis legibus subjugetur, neque super ejus nomine ad scientiam nostram referatur, nec fori præscriptione utatur; omnem enim honorem reatus excludit, cum criminalis causa, & non civilis res, & pecuniaria moveatur. Data Sardicæ pridie nonas Decemb. Gallicano, & Basso Coss.* Cordubæ vero publicata, ut ibidem legitur, quinto nonas Martii anni sequentis.

Cod. Theod. leg. 1. de accusat. Cod. Just. leg. 1. ubi Senatores.

5. Cum porro Metrophanes Byzantii Episcopus annis tribus eam rexisset Ecclesiam, Alexandrum sibi subrogandum curasse, adfirmat Baronius ad hunc annum, Metaphrastem secutus. Decennio tamen Byzantinæ Ecclesiæ præfuisse, ac senio tandem confectum hoc anno Alexandro cessisse locum, Nicephorus scribit; neque eruditissimis alioquin viris assentiri possumus, qui in ea sententia fuerunt, ut Nicæni Concilii tempore anno 325. Metrophanem Byzantinam adhuc Ecclesiam rexisse arbitrarentur, his Eusebii verbis decepti: *Aberat quidem Regiæ Urbis Antistes ob senilem ætatem, sed præsto erant presbyteri, qui vices ejus implerent.* Nam Regiæ Urbis Antistes, qui ob senilem ætatem Nicænæ synodo præesse non potuit, Silvester Romanus Pontifex fuit, non vero Metrophanes Byzantinus. Quam explicationem ipse confirmat Eusebius, dum non semel Constantinopolim commemorans, Constantini quidem urbem dicit, nunqu[illegible] iam.
De Urbe vero Roma agens, Regiam [illegible]
minat. His adde, quod Alexander [illegible]
scopus eam Sedem per annos viginti tres [illegible]
obiit, eodem anno quo Constantinus jun[illegible]
Consulibus Acyndino, & Proculo, ut aucto[illegible]
idem tempus (idest post Constantini junioris [illegible]
xander Ecclesiæ illius urbis Episcopus, qui [illegible]
nuissime dimicaverat, cum tres ac viginti a[illegible]
egisset, octo vero ac nonaginta vixisset, ex[illegible]
Si itaque Consulibus Acyndino, [illegible] culo [illegible]
buit Alexander, postquam per [illegible] inti tres [illegible]
rat Sedem, hoc anno Episcopum [illegible] natum fuisse [illegible]
tempora Nicænæ synodi Metrophanem non attigisse [illegible]
tus etiam testatur, ubi narrat, Alexandrum Ale[illegible]

Metrophanes Byzantii Episcopus obiit, cui Alexander succedit.

Baron. an. 317. num. 17.

De Marcha de Concord. Sacerd. & Imp. lib. 5. cap 3.

Baluz not. ibid.

Pag. not. 7. ad an. 317.

Euseb. vit. Const. lib. cap. 7.

Eu[illegible] Co[illegible]

JESU CHR. AN. 317. Episcopum de Arii damnatione certiorem reddidisse Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum: Arii porro damnatio anno 321. contigit, aut certe aliquot ante Nicænam Synodum annis: *Constantinopoli per idem tempus Alexander Pontificalem Sedem tenebat, vir donis Apostolicis ornatus; tunc igitur Alexander Alexandrinæ Antistes Ecclesiæ, cum Arium dominandi cupiditate obreptum, eos quos ad impietatem suam traduxerat congregare, & privatos conventus agere cerneret, Ecclesiarum Præsidibus blasphemiam illius per litteras indicavit; ego vero epistolam illam, quam ad gentilem suum Alexandrum scripsit, hoc loco apponam*. Epistolæ autem inscriptio hæc est: *Carissimo fratri Alexandro Alexander in Domino salutem*. Nec Pagium quicquam juvat, quod hæc inscriptio in aliquibus Codicibus desideretur, nam in aliis extat; cum vero non ad unum Alexandrum Constantinopolitanum, sed & ad alios Episcopos eamdem epistolam de Arii damnatione miserit Alexander Alexandrinus Episcopus, nil mirum variam ejusdem fuisse inscriptionem. Præterea ex Theodoreti textu satis claro constat, ad Alexandrum Constantinopolitanum directam fuisse; namque ait: *Constantinopoli Alexander Pontificalem Sedem tenebat, cum Arii &c. Ego vero epistolam illam, quam ad gentilem suum*, & cognominem, *Alexandrum scripsit*, idest ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, de quo superius verba fecerat. Sed de Metrophanis Constantinopolitani Episcopi obitu, & de Alexandri ordinatione jam satis.

AN. 318. SILVESTRI PAPÆ 5.
...IMP. 12. LICINII IMP. 12.
...NIO AUG. V., ET CRISPO CÆSARE.
...74. AN. 2. URBIS AN. 1071.

...mus hoc anno, ut Ecclesiam novis cumularet ...oremque redderet, lege lata sanxit, ut quæ ...ctoritate decreta essent vim legis haberent, ...servarentur: *Jam vero Episcoporum senten... Conciliis promulgatæ essent, aucto... confirmavit, ... Provinciarum Rectoribus non li... ...oporum decreta rescindere. Cuivis enim Judici præ... Sacerdotes Dei*. Quod non solum in rebus Eccle...um habere voluit, sed & in civilibus causis, ita ut

ut litigatoribus liceret a laicorum Judicum sententia, ad Episcoporum judicium confugere, aut appellare, vel etiam re integra, Judice sæculari relicto, Episcopale judicium eligere. Sic enim quæ de Episcoporum sententiis servandis Eusebius habet, intelligenda esse admonet Sozomenus Romanarum legum peritissimus; a quo hæc de eadem Constantini lege adnotantur: *Fuit hoc etiam argumentum vel maximum reverentiæ, quam pius Princeps erga Religionem gerebat; nam omnes ubique Clericos immunitate donavit, lege hac de re specialiter data, & litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium provocarent, si magistratus Civiles rejicere vellent, eorum autem sententia rata esset, aliorumque Judicum sententiis prævaleret, perinde ac si ab ipso Imperatore data fuisset, utque res ab Episcopis judicatas Rectores Provinciarum, eorumque Officiales executioni mandarent; postremo ut Conciliorum decreta firma, & inconcussa essent.* Constantini ea de re sanctionem ad Ablavium datam, tamquam apocrypham in appendicem ad Codicem Theodosianum rejecit Gothofredus. Cujacius tamen, aliique Romanarum legum peritissimi uti genuinam agnoscunt, & jure; ea quippe continet, quæ Eusebius, & Sozomenus Constantinum statuisse narrant, uti videre est apud eumdem Cujacium & Tillemontium.

JESU CHR. AN. 318.

Sozom. lib. 1. 9.

Gothof. Cod. Theod. tom. 6. in append. Tillem. hist. Imp. to. 4. pag. 662. not. 70. 71.

2. Abrogavit præterea Constantinus legem Papiam ab Augusto latam, qua cœlibes, aut liberorum expertes a capiendis hæreditatibus arcebantur; alienum quippe a pietate erat, eos, qui aut natura steriles, aut virginitatis vel continentiæ amore, liberis carebant, tali [illegible] eam legem vulgatam fuisse, Coss. Constantino Cæsare constat. Rursus lege alte rum servituti subjici prohibuit; sed & ib dem anno, Coss. Licinio V., & Crispo Kal. Decembris, legem olim latam, quæ in rat, rescripto ad Verinum Africæ Vicari nio revocavit; ut scilicet sacco cum serpen regionis *qualitas tulerit, vel in vicinum mare nem projicerentur.*

Aliæ Constantini leges.

Jesu Chr. an. 319.

JESU CHRISTI an. 319. Silvestri Papæ 6.
Constantini Imp. 13. Licinii Imp. 13.
Coss. Constantino Aug. V., et Licinio Cæsare.
Olymp. 274. an. 3. Urbis an. 1071.

Licinius christianam Religionem simulat.

Lact. de mort. persq. cap. 46. 48.
Euseb. lib. 10. 4.

1. Quin christianæ Religioni aliquandiu faverit Licinius, dubitari non potest, ipsum enim ideo Lactantius una cum Constantino laudibus celebravit, atque cælesti visione, ut adversus Maximinum arma ferret, excitatum fuisse scribit. Auctor quoque orationis, in dedicatione templi Tyri recitatæ, quem Eusebium Cæsariensem fuisse vero proximum est, Constantinum, & Licinium, ejurata idololatria, unum Deum, ejusque Christum coluisse testatur: *adeo ut*, inquit, *quod nunquam contigerat, summi Imperatores honoris illius, quem Dei beneficio acceperunt, sibi conscii, jam in mortuorum simulacrorum faciem conspuant, & profanos dæmonum ritus conculcent, ac vetustum errorem a majoribus traditum irrideant, unum verum Deum eum erga omnes, tum in se ipsos maxime beneficum agnoscant, & Christum Dei Filium universorum Regem esse profiteantur*. Post devictum autem Maximinum, ut Licinius Antiochiam ingressus est, Sacerdotes Jovis Phylii suppliciis affecit, ut refert Eusebius.

Euseb. lib. 9.

...us christi... Reli... ...

2. Simulate tamen ad fovendam cum Constantino amicitiam, aut ad Christianorum captandam gratiam, Christo eum nomen d... lisse, indicat ejusdem in idololatriam, tamquam ca... ad volutabrum reditus, atque chri... de quibus audiendus est Sozomenus: ...*atea Religionem christianam coluerat, post* ...*m, Cibali in Pannonia, de qua anno 314.,* ...*tos Sacerdotes, qui in suis partibus dege*...*sit; sed & alios plurimos, ac præcipue mi*...*s male mulctavit*. Post dissidium enim, ...stantino erat, Christianis infensissimus eva... calamitatibus maximum dolorem Constantino esse sperans simul etiam existimans Ecclesias Chri...d unum ... ac studere, ut illum solum Imperaberent. Quam... ...em cum iterum pugnaturus esset ...nstantinum, victimis, & divinationibus ad futu...ie præparavit, ... a quibusdam, qui victo-

ctoriam illi pollicebantur, ad Gentilium superstitionem aperte reversus est.

Licinius Christianos a Palatio pellit.
Eusеb. Chron.

3. Persecutioni autem Christianorum hoc anno Licinius initium dedit, omnes Palatio Christianos ejiciendo, uti Eusebius, & Anonymus, a Valesio editus, testantur. *In Orientis partibus, Licinio, & Constantino Coss.*, idest Constantino V, & Licinio, *repentina rabie suscitatus Licinius omnes Christianos e Palatio jussit expelli*, ait Anonymus Valesianus. Licinianæ persecutionis initia anno 316. & Licinii obitum anno 318. adligavit Baronius, sed non sine maxima rerum Ecclesiæ, & Imperii perturbatione; quæ enim intra decennium fere contigerunt, biennio complexus est, & Licinii vitam sexennio decurtavit, quem usque ad annum 324., aut 325. vitam produxisse, docent eruditissimi viri.

Pag. ann. 316. not. 6. 7. &c. Basnag. an 319. Tillem. hist. Imp. tom. 4. Histor. Eccles. to. 6. 7. Murat. Annal. an. 323.

Quid adversus Christianos Licinius egerit.

4. Post ejectos e Palatio Christianos, ad evertendam christianam Religionem, non aperte primum, sed fraudibus usus est; deinde gradatim progressus, apertam vim etiam adhibuit; quare Eusebius: *Cum Licinius*, inquit, *Constantino bellum inferre statuisset, simul etiam adversus Summum omnium Deum, quem a Constantino coli cognoverat, prælium instituit. Dehinc cultores Divini Numinis sub ditione sua degentes .... sensim ac tacite oppugnare aggressus est ....*, & primum quidem Christianos omnes domo sua expulit, seipsum denudans, atque orbans orationum suffragio, quas illi & pro ipso, & pro cunctis hominibus ad Deum fundere consueverant. Post hæc cunctos in urbibus militantes, nisi dæmonibus sacrificassent, exauctorari, & honore militiæ spoliari jussit. *Hæc parva sunt, si cum majoribus, quæ subsecuta sunt, conferantur. Quid autem attinet singula, quæ iste Deo invisus perpetravit, enumerando recensere; & quomodo leges illegitimas ipse legum omnium violator excogitaverit?* Ad dete[illegible]a inde progressus, lege lata prohibuit, ne quis miseris in carcere detentis alimenta subministraret, neve quis ho[illegible] in vinculis fame contabescentes, miseratione prosequeretur [illegible] est [illegible] quis omnino vir bonus existeret, neve ii, *qui* ad pr[illegible] miserationem natura ipsa ducuntur, boni quidquam pr[illegible] Fuit hæc profecto lex palam impudens, [illegible] omnium im[illegible]ssima, quippe quæ omnem a natura insitam mansuetudinem excluderet. Quin & legi adjecta erat hæc pœna, ut qui reis stipem dedissent, pari cum reis supplicio plecterentur: utq[illegible]

JESU CHR. AN. 319.

Licinius vario pœnarum genere Christianos afficit.

in carcerem, & vincula conjecti, eamdem cum noxiis hominibus pœnam subirent, *qui* humanitatis officia illis præstitissent.

5. Post quæ & alia multa, addit Eusebius: *Quid referam exilia ab isto humani Generis hoste innocentibus irrogata, quid nobiles, & præcipuæ dignitatis viros in carcerem abductos, quorum uxores ætate florentes per vim ab ipsis abstractas sceleratis quibusdam mancipiis constuprandas dabat; quid mulieres nuptas, & virgines recenseam, quibus ille decrepitus senex illudens libidinem suam explevit? Denique eo furoris processit, ut Episcopos etiam adoriretur. Quos cum suis consiliis, ac facinoribus adversos esse, utpote Summi Dei famulos existimaret; nondum quidem aperte, metu scilicet præstantioris, clam tamen, ac subdole est aggressus; & ex illis probatissimum quemque, structis per Præsides suos insidiis, interemit.* Vexationum porro & cædium varios immanissimosque modos excogitavit. Ac quæ apud Amasiam, & reliquas Ponti urbes perpetravit, omnem crudelitatis modum excedunt; ubi Ecclesiæ Dei, aliæ iterum solo æquatæ sunt, aliæ clausæ, ne quisquam eorum, qui eas adire consueverant, eo conveniret, & Supremo Numini debitum cultum exhiberet. Quam ob causam Præsides, ut Principis gratiam captarent, Episcopos iisdem, quibus maleficos homines, pœnis identidem subjiciebant. Ac viri, qui nihil mali commiserant, absque ulla causa abducebantur, & puniebantur perinde ac sicarii. Quidam etiam novum quoddam mortis genus pertulerunt, corpore in multas partes frustatim conciso; & post atrox hujusmodi, atque horrendum spectaculum; ut piscibus cibum præberent, in altissimum mare projecti sunt. Post hæc vero Dei cultores fugam inire denuo cœperunt, iterum agri, iterum solitudines, iterum montes, ac Sylvæ famulos Christi suscepere, ait Euseb[illegible].

6. Socrates vero addit: *Constantinus quidem Imp. Christi religionem [illegible] xus cuncta agebat tanquam Ecclesias con-[illegible] magnificis exornans donariis, Gentilium autem [illegible]ens, ac diruens, & statuas in illis positas pu-[illegible] Liciniut vero ejus collega Gentilium erroribus impli-[illegible]at Christianos, & palam quidem persecutionem adversus eos concitare minime audebat metu Constantini, multis tamen occulte struebat insidias. Tandem vero eos aperto marte sequi aggressus est.* Inter cetera, Episcopos ad Gentilium ædes

ædes vetuit accedere, ne scilicet Christianorum Religio hujusmodi obtentu propagaretur: eratque hæc persecutio aperta simul, & occulta, nam verbis quidem dissimulabatur, reipsa vero erat manifestissima, ac Christiani intolerabilia mala tum in bonis, tum in corporibus suis perpetiebantur. *Quo tempore*, ut auctor est Sozomenus, *Christiani, qui in Orientis partibus Libyas usque Ægyptiis finitimos degebant, Ecclesiasticos conventus celebrare minime audebant, propterea quod Licinii erga ipsos immutata esset benevolentia.* Sozom. hist. lib. 1. 2.

7. Nec Christianorum tantum collectas fieri Licinius prohibuit, sed & Episcopos in Synodis congregari. Lege quippe lata *præcepit*, ait Eusebius, *ne Episcopi usquam inter se de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius sibi vicini Ecclesiam ventitare liceret, & Synodos, ac Concilia de communibus negotiis habere*. In quibus vexandi occasionem Licinius quærebat; nam si inobedientes fuissent, pœnæ subjiciebantur; sin præcepto paruissent, Ecclesiasticas leges convelli necesse erat: *Neque enim*, inquit idem Eusebius, *majoris momenti controversiæ aliter, quam per Synodos componi possunt*. Alteram quoque legem tulit, qua jubebat, ut viri orandi causa in Ecclesias Dei simul cum mulieribus non convenirent, neve mulieres ad venerandas virtutis scholas discendi causa cum viris accederent, ne Episcopi divinæ Religionis præcepta mulieribus traderent; sed ut mulieres ad id electæ docendis mulieribus præficerentur. Quæ cum ab omnibus riderentur, aliud quidquam commentus est ad Ecclesiarum eversionem; jussit enim, ut solemnes populorum conventus extra portas in aperta planicie celebrarentur, asserens liberum extra portas aerem turbis longe commodiorem esse, quam Oratoria intra Urbem sita. His gestis, tandem aperte vim Christianis intulit. Hactenus de Licinii persecutione Eusebius: de qua iterum anno sequenti, ubi & aliquorum Martyrum certamina narrabimus.

Synodos congregari, & conventus celebrari, Licinius vetat. Euseb. vit. Constant. lib. 1. cap. 51. 53.

JESU CHRISTI AN. 320. SYLVESTRI PAPÆ 7.
CONSTANTINI IMP. 14. LICINII IMP. 14.
COSS. CONSTANTINO AUG. VI., ET CONSTANTINO CÆSARE.
OLYMP. 274. AN. 4. URBIS AN. 1073.

1. Cum sævior in dies Licinii persecutio evasisset, non solum Episcopos, Clericos, sed & milites Martyres fecit. Ce- Quadraginta Martyres Sebasteni. Martyrol. Rom. die 9. Martii.

Jesu Chr. An. 320. Basil. homil. 19. tom. 2.

Celeberrimi inter eos fuere Martyres Sebasteni, numero quadraginta, quorum laudes Gregorius Nyssenus, & Basilius celebrarunt. Passi sunt autem Sebaste in Armenia, etsi, Basilio teste, in regione diversa nati essent, omnes tamen cum ætate, & bellica virtute florerent, primos honores apud Imperatores promeruerant. Vulgatis vero Licinii edictis, cum undique insidiæ, ac minæ, quin & tormenta adversus Christianos pararentur, ac plerique aut fugerent, aut persecutioni succumberent; factum est, ut Præfectus Imperatoris præcepta his quadraginta invictis militibus denunciaret, ac ut prompto animo Idolis sacrificando parerent, hortaretur. At illi libera voce sese Christianos esse confessi sunt. Quare Præfectus anxius, ac dubius quid ageret, blandis eos verbis primum aggreditur, dicens: *Nolite juvenes ætatem perdere vestram, neque intempestivam mortem cum dulci hac & amæna vita commutare; absurdum namque, eos, qui in bellis sunt assueti fortia gerere facta, morte pravorum hominum perire.* Pecuniam deinde, honores, ac dignitates promittit, & sexcentis eos vertutiis expugnare conatur; quibus frustra tentatis, intolerabiles demum cruciatus, ac mortes minatus est. At gloriosi Christi Athletæ cum delicias æque ac tormenta aspernarentur, ac suam, in christiana servanda Fide, constantiam longo sermone testati essent, eosdem extremo crudelique supplicio Præses addixit; nudos quippe sub dio in media civitate *jussit omnes congelando mori. Igitur Sancti Dei sub dio pernoctare in stagno quodam jussi sunt, quod pro mœnibus civitatis erat, ac per brumam ita glacie concretum apparebat, ut equis pervium, & incolarum pedibus tritum esset.* Martyres autem hilari animo, tanquam ad gloriosissima spolia rapienda se invicem hortantes ad supplicium properarunt, ac una erat omnium oratio: *Quadraginta in stadium intravimus, utinam quadraginta, o Domine, coronemur.*

Quadraginta Martyres libere fidem profitentur.

Ex consessoribus unus fidem deserit, cujus locum Custos occupat.

2. Cum his verbis orarent Confessores, accidit, *ut eorum unus cruciatus vi fatiscens animo, relicta statione, atque desertor, intolerabilem dolorem Sanctis reliquit; nec propterea Dominus eorum vota inania permisit esse.* Custos etenim, qui eventum observabat, spectaculum inusitatum vidit, cælestes scilicet virtutes quasdam e Cœlis descendentes, tanquam a Rege magna dona militibus dividentes, quæ aliis quidem omnibus, uno excepto, dona distribuebant. Is autem, quem honori-

noribus cœlestibus indignum judicaverunt, ea repertus est animi mollitie, atque inconstantia, ut statim laboris tolerantiam desperans, ad hostes transfugeret. Miserabile prorsus spectaculum! Miles transfuga, Christi ovis a lupo direpta; &, quod miserabilius, a vita perpetua, cœlestique exclusus, nam ubi callidam attigit aquam, statim interiit. Lictor autem, ut illum defecisse vidit, se ipsum in desertoris locum substituit, & abjectis indumentis, sese nudis immiscuit, eamdemque cum Sanctis vocem emisit: *Christianus sum. Itaque cum ejus subita mutatione stuporem illis incuteret, & numerum implevit, & mœstos, ob socium amissum, Sanctos consolatus est.* Die sequenti cum adhuc viverent Martyres, igni traditi sunt, eorumque cineres in fluvium projectæ. Accidit autem, ut ex iis unus, ætate florentior, viribusque fortior, quem *Melitonem* Martyrologia appellant, adhuc viveret; quare ejus mater reliquos videns gelu jam consummatos, suum vero filium a lictoribus relictum, ut qui posset adhuc consilium mutare, suis cum propriis accepit manibus, & currui, in quo reliqui jacentes ad pyram ferebantur, imposuit, inquiens: *Perfice nate cum tuis contubernalibus iter beatum, ne unus desis illorum choro, ne reliquis serius Domino præsenteris. O matrem felicem, o bonæ radicis bonum germen!* Hæc, aliaque de istorum martyrio S. Basilius, qui oratione eadem de ipsorum cultu & invocatione plura a proposito nostro aliena addit. Eorumdem memoriam non solum Gregorius Nyssenus duabus orationibus, sed & Gaudentius Brixiensis Episcopus, & Gregorius Turonensis celebrarunt. Dodwellus tamen sibi semper constans horum militum & Martyrum historiam ad aniles fabulas relegat, ac de Licinii persecutione agens hæc adnotat: *Caveant itaque fabulatores, ne quos alios sub Licinio Martyres faciant præterquam Episcopos.* Cum Eusebio tamen, qui in milites primum sæviisse Licinium narrat, cum Basilio, Nysseno, Ephræmo, Gaudentio, aliisque nos fabulari, ac cæcutire patitur Dodwellus, quam cum ipso, eique similibus sapere.

Greg. Nyssen. orat. in Sanctos 40 Martyres. Gaudent. orat. in 40 Martyr. Greg. Tur. lib. de glor. Martyr. cap. 96. Boll. die 10. Martii. Baillet. die dicta Ruinart. Acta Martyr. Dodwell. dissert. 11. in Cypr. num 91.

3. Quadraginta Martyribus Theodorum addimus non solum militem, sed & militum ducem, quem *Licinius etiamsi egregie carum habuerit, multis tamen affecit cruciatibus; nam & in palum eum egit, & subulas in meatus secretiores corporis ejus immisit, postremoque capite truncavit die Febr. septima hora tertia*, ut in ejus Actis legitur; cujus memoria eadem

D. Theodoro milite, & Martyre.

Boll. die 7. Febr. Martyr. Rom. ibid.

JESU CHR. AN. 320.

dem die recolitur. Eodem tempore, quo in milites Licinius sæviebat, Episcopos etiam, ceterosque Ecclesiæ Ministros acrius persequebatur. Inter Episcopos vero Liciniano gladio peremptos, Basileus Amaseæ in Ponto Episcopus inter primos recensetur: *Post Theodorum*, ait Nicephorus, *& Basileus Amasenus Episcopus, cum prius intolerabilia tormenta esset perpessus, capitale subiit supplicium*; quem ut Martyrem prædicat Eusebii, seu Hieronymi Chronicon, in quo habetur: *Basileus Amasiæ Ponticæ Episcopus sub Licinio martyrio coronatur*; nec mirum, narrat enim Eusebius Amaseæ præcipue Licinianam persecutionem sæviisse: *Quæ apud Amasiam, & reliquas Ponti Urbes perpetravit, omnem crudelitatis modum transcendunt*. Acta quidem Basilei martyris, a Joanne Antiocheno presbytero conscripta supersunt, cum tamen Metaphrasticum stylum sapiant, ea prætermimus, hoc tantum adnotasse contenti, cum nempe inter illustriores hujusce fæculi Episcopos recenseri, ac Neocæsariensi, Ancyranoque Concilio subscriptum legi, ab Athanasio vero inter præcipuos Divinitatis Filii Dei defensores numerari. De Basilei martyrio dubitare videtur Valesius, tum ex eo quod ejusdem acta fabulosa sint; tum etiam quia Athanasius, ut diximus, Basileum quidem Nicænæ fidei defensorem, non vero martyrem dicit. Philostorgius vero Nicænæ Synodo interfuisse scribit, cui consentit Nicephorus, qui etsi libro septimo Basileum Liciniano gladio peremptum tradat, libro tamen octavo cap. 14. eumdem cum Philostorgio, & Niceta Synodo Nicænæ adfuisse addit; quorum alterum falsum esse necesse est. Ex Eusebii tandem silentio idem confirmare satagit, cujus opinionem & Hankius tuetur. Tanti tamen hæc non sunt, ut de Basilei martyrio dubitare debeamus. In primis enim, etsi Eusebius de Licinii persecutione multa enarret, de ejusdem scilicet origine, progressu, atrocitate; generatim tamen ea persequitur, nec cujusquam, qui in ea passus sit, nomen, aut historiam refert. Quid ergo mirum, si & Basileum quoque prætererit? Ceterum Liciniana persecutione martyrio Basileum affectum, non obscure ipse Eusebius innuit, adnotans, Amaseæ præcipue eamdem eousque sæviisse, ut omnem crudelitatis modum transcenderit. Si itaque Amaseæ, ubi Episcopus erat Basileus, præcipue sæviit Licinii crudelitas, quis Episcopo pepercisse credat? Quod vero Valesius urget verosimile esse, Basileum Nicænæ Synodo interfuisse, quæ post Licinii

Basilei Episcopi martyrium.

Niceph. lib. 7. 44. apud Hieron. tom. 9 edit. Veron.

Euseb lib. 10. & Vita Const lib. 2. 1.
Boll. die 26. Apr.
Baron. an. 316. num. 14.

Athan. orat. 1. contra Arianos tom. 1.
Vales. not in Euseb ad lib. 2. Vitæ Constant. cap. 1.

Hankius de rum Byzant. Scriptor par. 1. cap. 1. num. 65.

Euseb. lib. 10. 8.

cinii obitum celebrata est, ut Philostorgius, & post eum Nicetas, & Nicephorus narrant, id falsum esse pluribus ostendit Pagius. Rursus etsi Athanasius inter Nicænæ fidei defensores Basileum recenseat; inde tamen non sequitur, Nicænæ Synodi tempora eum attigisse, sed eamdem habuisse, ac prædicasse Fidem, quam postea Nicæna Synodus confirmavit; ibidem enim Athanasius præcipuos Nicænæ fidei defensores recenset, qui eamdem Fidem ante, & post Nicænam Synodum prædicaverant. Tandem ex subscriptionibus etiam ejusdem Concilii patet Eutychium Basilei successorem eidem Synodo adfuisse, & subscripsisse. Nec cum Labbeo alia in Armenia Amasea quærenda est, quam nuspiam extitisse, invictissime probat Norisius.

JESU CHR. AN. 320. *Pag. not. 9. ad an. 316.*

Athanas. tom. 1. orat. 1. contra Arianos p. 270. num. 8.

Noris. de Numism. Licinii cap. 5.

4. Quæ Amaseæ accidisse hactenus vidimus, eadem in aliis quoque Ecclesiis evenisse auctor est Eusebius. Ex tot Martyribus tamen vix aliquorum nomen, aut memoria superest. In his sunt Paulus, & Auxentius: de Paulo hæc refert Theodoretus: *Paulus Episcopus Neocesareæ, quod Castellum est ad Euphratis ripas positum Licinii rabiem fuerat expertus. Ambabus enim manibus fuerat debilitatus, candente ferro eis admoto, nervisque quibus articuli moventur contractis, atque enectis*; iisque ornatus stygmatibus Nicænæ Synodo adfuit. Eadem animi fortitudine pro Christi Fide certavit Auxentius, qui cum Notarii officio apud Licinium fungeretur, accidit, ut quadam die cum eo esset in Palatii aula; ubi erat fons aquæ, & in eo Bacchi statua, & ampla vitis, totum illum locum complectens . . . . *Hac Licinius per speciem deductionis profectus, quasi suos familiares, & domesticos eo delectationis gratia deduxisset. Auxentio, & aliis multis e comitatu, eum prosequentibus; illam vitem intuitus, uvam quamdam maturam, & magnam de palmitibus pendentem vidit. Hanc Auxentium resecare jussit. Ille vero cum pugionem ad femur pendentem strinxisset, eam resecuit, nihil suspicans. Licinius vero ad ipsum dixit: hanc igitur uvam ad Bacchi pedes pone. Ille vero respondit, absit Imperator, sum Christianus. Ille vero: Nunc igitur hinc ocius abibis, militia relicta? Horum enim duorum alterum facias, est necesse. Hic vero nil cunctatus, & zonam solvit, & statim, ita ut se habebat, ex palatio excessit. Ephori vero aliquanto post ipsum Mopsuetiæ Episcopum crearunt*. Quo anno persecutionis Licinii, quæ triennalis fere fuit, hæc conti-

Confessio Pauli, & Auxentii.

Euseb lib. 10. cap. 8.

Suid. Lexicon to. 1. pag. 381.

ge-

Jesu Chr. an. 320.

gerint, non constat; sed de anno nil solliciti sumus, dummodo hæc Fidei exempla non prætereantur.

De aliis Martyribus, qui sub Licinio passi sunt.

5. Ad eamdem Licinii persecutionem referri debet S. Blasii Sebasteni Episcopi martyrium, quem Sebaste in Armenia sub Agricolao Præside passum, acta testantur; cujus memoria apud Latinos, & Græcos tertio nonas Februarii recolitur. Hi alii plurimi, Baronii exemplo, addi possent; ne tamen incertis narrationibus Annales prægravemus, tantum adnotamus, acerbam fuisse Licinii persecutionem, atque in ea quamplurimos cujuscumque generis pro Fide certasse, & martyrium subiisse, plurimos etiam ea vigente, metu, & desidia a Fide defecisse, Nicæna Synodus, paulo post habita testatur, quæ de lapsis in persecutione pro varia ipsorum conditione plurimos canones edidit. De Licinianæ persecutionis anno, duratione, & auctoritate ad acta S. Theodoræ Martyris, pluribus agit eruditissimus Evodius Assemannus Apameæ Archiepiscopus in actis Martyrum Orientalium, & Occidentalium tomo 2. pag. 210.

Baron. an. 316.

Lactantius libros Institutionum scribit.

Dupin. tom. 1. pag. 611.

Tillem. Instit. Eccles. tom. 6. pag 728.

Basnag. annal. 320. 4.

Pref. in L. Cæa. op. pag. 6. edit. Paris. Dufresnoi.

6. Quam ferro, flammisque Licinius Ecclesiam vastabat, scriptis suis illustravit Lactantius, editis hoc tempore septem Institutionum divinarum libris; tempus enim, quo eos edidit, his verbis in præfatione indicat: *Quod opus nominis tui auspicio inchoamus, Constantine Imperator Maxime, qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, Majestatem Dei veri & cognovisti, & honorasti*: & post aliqua in eamdem rem: *Nam malis, qui adhuc adversus justos in aliis Terrarum partibus sæviunt, quanto serius, tanto vehementius idem Omnipotens mercedem sceleris exolvet*; quibus verbis Licinium designat, qui in Oriente Christianos crudeliter persequebatur. In Galliis eo tempore Lactantius degebat, & Præceptoris officio apud Crispum Constantini filium fungebatur. Ejusmodi autem Libri his titulis prænotantur; De falsa religione; De origine erroris; De falsa sapientia; De vera sapientia; De justitia; De vero cultu; tandem De vita beata, quibus addendi sunt tres alii, quorum epocha ignoratur; licet verosimile sit, post Institutionum libros editos fuisse; scilicet de ira Dei, quem Donato inscripsit, ac dicavit; & Librum de Persecutorum mortibus, & de Opificio Dei, quos Demetriano auditori suo, & discipulo nuncupavit. Cetera Lactantii opera temporis edacitate perierunt. De mortibus Persecutorum liber nostra fere ætate, Balutii opera, in lucem editus est, quo hujus temporis

ris historia quam maxime illustratur; multaque in Baronii Annalibus emendantur.

Jesu Chr. An 320.

7. De Lactantii operibus extantibus, & deperditis, deque illius gestis dignus qui audiatur Hieronymus: *Firmianus, qui & Lactantius, Arnobii discipulus, sub Diocletiano Principe accitus, cum Flavio grammatico, cujus de medicinalibus versus compositi extant libri; Nicomediæ Rhetoricam docuit, ac penuria discipulorum, ob græcam videlicet (ubi latina eloquentia, quam Lactantius docebat; spernebatur) ad scribendum se contulit.* Sciendum porro est, quod etsi hoc tempore Institutionum libros vulgaverit, propositum tamen pro christiana Religione scribendi, ex eo tempore habuit, cum Nicomediæ commorans, christianam Religionem in Diocletiani persecutione vexatam, & Philosophorum ludibrio expositam videbat; *Quum præsente*, inquit, *ac dolente suas litteras explicassent*, (Hierocles scilicet Bithyniæ Præses, & Philosophus anonymus, de quibus supra egerat), *& illorum superba impietate stimulatus, & veritatis ipsius conscientia, & ut ego arbitror Dei, suscepi hoc munus, ut omnibus ingenii mei viribus accusatores justitiæ refutarem, non ut contra hos scriberem, qui paucis verbis obteri poterunt; sed ut omnes, qui ubique idem operis efficiunt, aut effecerunt, uno semel impetu profligarem.* Ex quibus Lactantii verbis, vigente Diocletianea persecutione, Institutionum libros editos fuisse, nonnulli tradiderunt, opus ipsum a proposito scribendi non distinguentes. Sed ad Hieronymum redimus, qui de Lactantii operibus subdit: *Habemus ejus Simposium, quod adolescentulus scripsit, Africæ, & itinerarium de Africa usque Nicomediam, hexametris scriptum versibus, & alium librum, qui inscribitur Grammaticus, & pulcherrimum de ira Dei, & Institutionum divinarum adversus Gentes libros septem, & Epitomen ejusdem operis in libro uno acephalo, & ad Asclepiadem libros duos, de persecutione librum unum, ad Probum epistolarum libros quatuor, ad Severum epistolarum libros duos, ad Demetrianum auditorem suum epistolarum libros duos, ad eumdem de Opificio Dei, vel formatione hominis.* Horum librorum pars maxime periit, præcipue Epistolarum libri, quarum ne una quidem superest.

Lactantii elogium & Librorum catalogus. Hier. de Vir. ill.

Lact. Instit. lib. 5. cap. 4.

Caveus hist. litt. in Lact. Casimir. Oudin de Script. Eccles. tom. 1. pag. 310.

8. Tantus porro scribendi nitor in Lactantio, tantaque elegantia fuit, ut, *quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena de-stru-*

De stylii elegantia, & erroribus in scriptis Lactantii. Hier. ad Paulin. epist. 13.

JESU CHR. AN. 320.

struxit, ait Hieronymus; in epistola vero ad Magnum, Institutionum, & de ira, & de Opificio Dei, libros ob styli elegantiam Ciceronis compendium complecti testatur. Damaso tamen Pontifici stomachum Lactantii aut epistolæ, aut libri movebant; quare ad Hieronymum: *Fateor*, inquit, *tibi eos, quos jampridem Lactantii dederas libros, ideo non libenter lego, quia & plurimæ epistolæ in eis usque ad mille spatia versuum tenduntur, & raro de nostra dogmate disputant, quo fit ut & legenti fastidium generet longitudo, etsi quæ breves sunt, scholasticis magis sint apta, quam nobis, de metris, & regionum situ, & philosophis disputantia*. Gelasius etiam Lactantii opuscula inter apocrypha recenset, quem Oratorem magis, quam Theologum fuisse constat; quare nævis aliquot, quin & erroribus ejusdem opuscula aspersa fuisse adnotavit Hieronymus: *Lactantius in libris suis, & maxime in epistolis ad Demetrianum Spiritus Sancti omnino negat substantiam, & errore judaico dixit, eum ad Patrem referri, vel ad Filium, & ad sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari*, & in epistola ad Galatas, cum quorumdam lapsus notasset, de Lactantio subdit: *Hoc ideo quia multi nuper imperitiam Scripturarum, quod & Firmianus in octavo ad Demetrium Epistolarum libro facit, asserunt Spiritum Sanctum, sæpe Patrem, sæpe Filium nominari*. In Millenariorum quoque errore fuisse, atque de Antichristo, & extremo Judicis adventu fabulosa quædam scripsisse, constat. Cetera, quæ de Sibillis, de Mercurio, de Angelorum cum mulieribus congressu, aliisque levioribus, quæ in ejusdem Operibus occurrunt, elegantissimo Oratori condonari possunt. Quousque Lactantius vixerit, non constat; sed cum in extrema fere senectute esset, cum aliquot ante annos vocatus fuit, ut apud Crispum Constantini filium præceptoris officio fungeretur, non multos post annos occubuisse, verosimile est, de cujus gestis, & operibus plura videri possunt in novissima Auctoris editione Parisiensi, opera, & studio Le Brun Rothomagensis, & Nicolai Languet Dufresnoi.

Hier. epist. ad Pamm.

Hier. in epist. ad Galat. cap.

Silvanus Donatistarum Episcopus in exilium ejicitur.

9. Cum Silvanus Cirthæ, seu Constantinæ in Numidia Donatistarum Episcopus Nundinarium quemdam suæ partis Diaconum officio movisset, nec precibus licet exoratus, pristinæ dignitati restituisset, is ira in Silvanum motus, apud Zenophilum virum Consularem traditionis, furti, ac simoniæ accusavit;

favit; quod cum municipalibus actis, & testimoniis comprobasset, Zenophilus Constantinum de gestis Silvanum inter & Nundinarium certiorem reddidit; addens etiam, eumdem Silvanum præcipuum auctorem fuisse turbarum, quæ a Donatistis in Numidia excitatæ fuerant: quibus commotus Imperator, Silvanum una cum aliis ejusdem factionis particibus exilio mulctavit. Extant adhuc acta apud Zenophilum virum Consularem ea de re gesta, *Consulibus Constantino Maximo Aug. VI., & Constantino juniore Nobilissimo Cæsare, Idibus Decembris*, idest, hoc anno; etsi Baronius anno 306. alliganda censuerit sub Consulatu Constantini Aug. V., cui Constantinum suffectum Consulem addidit, quæ ad labentem revocanda viri docti adnotarunt. Silvanum exilio pulsum Crescomius Donatista, persequentibus Zenophilo & Ursacio, effutiebat, eo quod cum iis communicare noluisset: quam calumniam Augustinus refellit, ostendens mulctatum merito fuisse, quia traditor, pecuniarum raptor, & paci publicæ infestus esset; mitiori etiam, quam promeruerat, pœna affectus: *Sed inquis, Ursacio & Zenophylo persequentibus, cum communicare nollet, actus est in exilium*, ajebat Cresconius, cui Augustinus: *Immo qui jam traditor fuit, permanere etiam hæreticus voluit, ut falsum honorem in ipsa parte Donati haberet, qui haberi in Catholica nullum posset, tam manifeste traditionis suæ gestis publico judicio reseratis*. Hanc primam Donatistarum vexationem, seu admonitionem numerat Optatus contra Parmenianum Donatistam scribens: *Legimus enim*, ait, *apud Ezechielem Prophetam parietem dealbatum, cui comminatus est Deus tempestatem, pluviam, & lapides petrobolos, & accusationes; & ista quatuor res non poterant uno tempore fieri, fuit primo tempestas sub Ursacio, agitatus est paries, sed non cecidit, ut haberet pluvia, ubi operaretur &c.* idest Silvanus, aliique Donatistæ exilio castigati sunt, sed non correcti [illegible] super eos pluvia venit sub Gregorio, acrior [illegible] versio, ut suo loco videbimus.

Valef. de schism. Donat. tom. 2. Euseb. Pag. not ad an. 306. num. 27.

Aug. contra Crescon. lib. 3. cap. 30.

Optat. contra Parmen lib 3. Ezech. 13. 13.

10. Quo anno Donatus, non quidem a [illegible] Nigris, sed Carthaginensis, post Majorinum, Episcopus [illegible] fit, non constat: anno 328. eum in Africa inclaruisse, anno 355. Carthagine ejectum tradit Hieronymi Chronicon, Optatus vero temporibus Gregorii Præfecti, simulque Pauli, & Macarii id accidisse scribit. Quare hoc tempore ejusdem ordi-

Donatus schismma confirmat, & Romæ Episcopum ordinandum curat.

Optat contra Parmen. lib. 3.

JESU CHR. AN. 320.

Aug. post coll. lat. cap. 16.

Optat. lib. 3.

Aug. in Psalm. 60. num. 5.

dinationem constituendam esse patet ; quem etiam ante ultimum Constantini judicium jam ordinatum fuisse, Donatistæ tradebant : *Sic commendare voluerunt*, ajebat Augustinus, *ut dicerent, quod apud Constantini Imperatoris cognitionem, ipse reum & asseruit, & convicerit Cæcilianum*. Hic autem Donatus tantæ apud Donatistas auctoritatis fuit, ut eorumdem factioni nomen dederit, quam confirmavit, propagavitque vir tantæ superbiæ, ut, teste Optato, *ita exaltatum est cor ejus, ut sibi jam non homo, sed Deus fuisse videretur ; tantumque sibi de Episcopis exegit, ut eum non minori metu omnes venerarentur, quam Deum*. Superbi viri tumorem fovebant, ac palpabant ejusdem adulatores, & admiratores, à quibus, Augustino teste, *apertissimis v[illegible]bus Donato dicuntur ista cantata : Euge, euge, dux bone, dux præclare ; & non dixit ille : Avertantur statim, & erubescant, qui dicunt mihi euge euge, nec eos corrigere voluit, ut Christo dicerent Dux bone, dux præclare*. Is cum schisma firmatum cerneret, ut pro viribus amplificaret, non solum in Africa, sed extra ejus fines pro[illegible]idum curavit : qua de causa Romæ etiam suæ factionis Episcopum ordinavit hac ætate, atque jam sextum Claudianum numerabat Optatus, eo tempore, quo contra Parmenia[illegible] Donati successorem scribebat, circa annum hujus sæculi sexagesimum quintum.

Donatistæ cur dicti Montenses.

Optat. lib. 2.

11. Hic Donatistarum Episcopus Romæ degens cum Romana Ecclesia, *in qua*, ut ait Optatus, *Apostolicæ Cathedræ Principatus viguit*, latenus communicabat, sed suos, qui ad Urbem navigaverant, in schismate fovebat : quare illic *speluncam quamdam foris a civitate gradibus sepserunt, ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent ; unde Montenses*, & Cutzubitani, *appellati sunt*. Eodemque consilio alibi etiam Episcopos suæ sectæ destinavit.

Qui fuerint Romæ Donatistarum Episcopi.

Optat. lib. 2. contra Parmen.

12. Q[illegible]tem primus Romæ fuerit Donatistarum Episcopus ; [illegible] successores usque ad sua tempora Optatus [illegible]matistas falso gloriari adnotat, quod Romæ Episcopum [illegible]ent, quem ab Ecclesiæ communione non solum alienum [illegible] isse, sed & Novitium, utpote qui ab Apostolis nequaquam [illegible] originem traheret, unde Catholicæ Ecclesiæ Cathedra initium ducit : *Ergo Cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus* ; & sic ceteros Pontifices numerat

rat usque ad Siricium Papam, cum hæc Optatus scriberet, *qui*, inquit, *noster est socius*; *cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat*. Ad Donatistas vero: *Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare; sed & habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis: ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. Denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat? nunquid poterit dicere in Cathedra Petri, quam nescio si vel oculis novit, & ad cujus Memoriam non accedit quasi schismaticus contra Apostolum faciens, qui ait: Memoriis Sanctorum communicantes. Ecce præsentes sunt ibi duorum Memoriæ Apostolorum: Dicite, si ad has ingredi potuit, itaut obtulerit illic, ubi Sanctorum Memorias esse constat. Ergo restat, ut fateatur socius vester Macrobius, se ibi sedere, ubi aliquando sederit Encolpius. Si & ipse Encolpius posset interrogari, diceret se ibi sedere, ubi ante sedit Bonifacius Ballitanus. Deinde si & ipse interrogari potuisset, diceret, ubi sedit Victor Garbiensis, a vestris jamdudum de Africa ad paucos erraticos missus. Quid est hoc, quod pars vestra in urbe Roma Episcopum civem habere non potuit? Quid est, quod toti Afri, & peregrini in illa civitate sibi successisse noscuntur? Non apparet dolus, non factio, quæ mater est schismatis? Interea Victor Garbiensis, ut hinc prior mitteretur, (non dico lapis in fontem, quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare) sed quia quibusdam Afris urbica placuerit commoratio, & hinc a vobis profecti videbantur, ipsi petierunt, ut aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Missus est igitur Victor. Erat ibi Victor, erat ibi filius sine patre, tyro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, Episcopus sine populo; non enim grex, aut populus appellandi fuerunt pauci, qui inter quadraginta & quod excurrit basilicas, locum ubi colligerent, non habebant. Sic speluncam aliquam foris a civitate gradibus sepserunt, ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent; unde Montenses appellati sunt. Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur; si Victori diceretur, ubi sederit? nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec Cathedram aliquam nisi pestilentiæ ostenderet*. Et post aliqua: *Jam ni-*

JESU CHR. AN. 320.

 des,

Jesu Chr. An. 320. *des, frater Parmeniane, jam ne sentis, jam ne intelligis, te argumentis tuis contra te militasse, cum probatum est, nos esse in Ecclesia Sancta Catholica; apud quos & symbolum Trinitatis est, & per Cathedram Petri, quæ nostra est, & ceteras dotes, apud nos esse etiam Sacerdotium*. Hæc Optatus: quo argumento, ex successione scilicet Cathedræ Petri, ejusque communione, Augustinus quoque Donatistas extra Ecclesiam esse probabat; eodemque sæculi decimisexti hæretici, Lutherani, Calvinistæ, Anglicani, extra Ecclesiam esse facile convincentur, cum ab Apostolis, virisque Apostolicis nequaquam originem trahant; nec cum Apostolicis Ecclesiis, ac cum Romana præcipue, quæ Primatum tenet, communione socientur.

August. epist. 43.

JESU CHRISTI an. 321. Silvestri Papæ 8.
Constantini Imp. 15. Licinii Imp. 15.
Coss. Crispo Cæsare II., et Constantino Cæsare II.
Olymp. 275. an. 1. Urbis an. 1074.

Crispus, & Constantinus Quinquennalia celebrant.

1. Hoc Christi anno, cum Crispus, & Constantinus junior Kalendis Martii Quinquennalia Cæsarii Imperii ingrederentur, Nazarius ejus ætatis orator celeberrimus elegantissimam orationem Romæ habuit, qua tum Patris, cum Filiorum Cæsarum egregia facta celebravit. quo tempore Constantini Imperatoris quindecennalia adhuc in cursu erant, inde Orator: *Quintum decimum annum Maximus Princeps salutaris Imperii degit; sed auguramur jam Vicennalia. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habet, sed in destinatis decenniis jam vota properantia*. De victoria Crispi Cæsaris anno elapso de Germanis habita subdit: *Nobilissimorum quoque Cæsarum laudes exequi velle studium quidem dulce, sed non & cura mediocris est . . . . . Quorum alter* (idest Crispus natu major) *jam obterendis hostibus gravis, terrorem paternum semper barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen suum cœpit; alter* (idest Constantinus) *jam Consultum, generationem sui sentiens, si quid intactum aut parens, aut frater reservet, declarat mox victorem futurum, qui animo jam vincit ætatem*; & de patris gaudio, dum Crispum victis jam hostibus redeuntem excepit, subdit: *Declarant quæ regionem . cupiditatemque votorum facta Crispi Cæsarum Maximi; in quo velox virtus ætatis mora non retardata, pueriles*

Nazarii panegyricus.

viles annos gloriis triumphalibus occupavit. Quare post plurima: *Quæ tuum, Constantine Maxime, mitè pectus inundavit gratulatio, cui tanto intervallo videre filium licuit, & videre victorem? Narravit utique exacta bella, & hoc ad suam gratiam, non ad sui ostentationem, qualis excipiendo hoste, quam resistenti vehemens, quam facilis supplicanti*. De victoria Alemannica, a Crispo Cæsare habita, extant numismata cum hac inscriptione:

FLA. JUL. CRISPUS NOB. CÆS., & in parte altera: ALEMANNIA DEVICTA, aut ALEMANNIA CAPTA. Hanc orationem, absente Imperatore Constantino, & filiis, Romæ a Nazario recitatam fuisse, idem Auctor testatur, dum ait: *Quis oro, Constantine Maxime, præsentem enim mihi alloqui videor, qui etsi a conspectu [illegible] mentibus non potes*; & de Romanorum desiderio videndi Imperatorem una cum filiis: *Unum, ait, modo est, quo possit [illegible] Roma felicior, maximum quidem, sed tamen solum; ut Constantinum conservatorem suum, & beatissimos Cæsares, ut fruendi copiam pro desiderii modo capiat, & nos alacris excipia[illegible] Reipublicæ ratio digredi fecerit, receptum dimitt[illegible] [illegible]tenus Nazarii oratio, cujus & Eusebii Chronic[illegible] annum.

2. Labentem annum, non solum Quindecennalibus suis, aut filiorum Cæsarum quinquennalibus illustrem reddidit Constantinus, sed pluribus legibus ad Ecclesiæ gloriam procurandam, aut ad morum reformationem latis: quarum prima ea est, qua jussit Dominicam diem inter ferias habendam esse, atque ut ea die forenses strepitus, & urbana opera cessarent; ruralia tamen exercere permisit, hæc Elpidio scribens: *Constantinus Augustus Elpidio. Omnes Judices, Urbanæque plebes, & cunctarum artium otia venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi, agrorum culturæ libere licenterque inserviant, quoniam frequenter evenit, ut non [illegible] lio die frumenta falcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa. Data nonas Martii, Crispo II., & Constantino II. Coss.* quæ lex & in Justiniano Codice legitur. Aliam de die Dominica legem tulit, qua emancipationes, & manumissiones fieri permittebat, quam Theodosius confirmavit.

Cod. lib. 3. tit. 12. de Feriis leg. 3.

Lex 2 ut supra. Cod. Theodos. de feriis.

Quo honore Clericos Constantinus prosequeretur.

3. Hujus Constitutionis meminit Eusebius, qui & addit, Cle-

Euseb. Vit Constantin. lib. 18.

JESU CHR. AN. 321. Clericos apud Constantinum in honore fuisse: *Diem precationibus congruum haberi constituit, eam qui primus est, & caput ceterorum, & revera Dominicus est. Praeterea Diaconos, & Deo consecratos ministros, qui vitae gravitate, & reliquis virtutibus ornati essent, totius domus Custodes ordinavit*. Deinde post aliqua de Constantini sollicitudine, ut qui in Palatio erant, ceterique suo Imperio subditi, Dominica die orationibus vacarent, subdit Eusebius: *Cunctis sub Imperio Romano degentibus praecipit, ut Dominico die feriarentur, atque diem, qui est pridie Sabbati, similiter honorarent in memoriam earum rerum, quae a communi omnium Servatore illis diebus gestae esse perhibentur*. Militibus etiam tum Christianis, cum Gentilibus, ut idem faceren, praecepit; nam *cum exercitum omnem ad salutaris*

Eusеb. ut supra. cap. 19. 20.

diei, qui lucis, et Solis appellatur nomine, religiosum cultum institueret; iis quidem, qui Fidem divinitus inspiratam amplexi erant, exercendi se ex more, institutoque Ecclesiae Dei tempus, atque otium indulsit, quo absque ullo impedimento orationibus vacarent. Reliquis vero, qui divinae Fidei doctrinam nondum [illegible], altera lege praecepit, ut Dominicis diebus in campum p[illegible] procederent, & precationem, quam antea didicissent, [illegible] dato ad Deum funderent.

Orationis formula Militibus.

Orationis [illegible] formam dedit, jubens, ut latino sermone eam dicerent. *Te solum agnoscimus Deum, te Regem profitemur, te adjutorem invocamus. Tui muneris est, quod victorias retulimus, quod hostes superavimus. Tibi ob praeterita jam bona gratias agimus, & futura a te speramus. Tibi omnes supplicamus, atque Imperatorem nostrum Constantinum, una cum piissimis ejus liberis incolumem, & victorem diutissime nobis serves, rogamus. Haec die Solis a militaribus numeris fieri, & haec verba inter precandum ab iis proferri praecepit*, ait Eusebius, qui & addit: *Quin etiam in ipsis armis salutaris Tro[illegible] signum jussit effingi. Utque ante instructum armis e[illegible], non aurea signa, & simulacra, ut antea moris erat, sed solum Crucis trophaeum praeferretur, mandavit*. Haec de Dominico die, & de die Veneris observando ex Constantini lege Eusebius. Eademque Sozomenus, qui de suo, ut ait Valesius, diem Veneris cum Dominico aequavit, ut utrumque a judiciis agendis exciperet; cum de Dominico tantum die Constantinus id statuerit. At cum Sozomenus Scholastici officio, seu Advocati Constantinopoli funge-

Cap. 21.

Sozom. lib. 1. cap. 8. Vales. not. ad Euseb. lib. 4. Vitae Const. c. 18.

geretur, ubi ætate sua Dominica die ac Veneris silebant fora, ex Constantini lege utramque diem feriis recensitas fuisse credidit. Enimvero non solum Dei cultum legibus suis Constantinus auxit, sed Ecclesiam privilegiis exornavit, inter cetera, ut cuilibet liceret Ecclesiam patrimonii sui hæredem dicere.

Constantini Lex, qua hæreditates adeundi Ecclesiis jus datur. Cod. lib. 1. tit. 2. leg. 1. de Sacros. Eccles.

5. *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo Catholico, venerabilique Concilio* (idest Ecclesiæ), *decedens bonorum quod optaverit relinquere, & non sint cassa judicia ejus. Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut s[illegible] voluntatis, postquam jam aliud velle non possint [illegible], & licitum, quod non redit, arbitrium, PP. qu[illegible] Crispo II. & Constantino II. Coss.* idest, pu[illegible]

Constantinus magiam exercere vetat. Cod. lib. 9 tit. 18, leg. 4.

6. Hoc eodem anno ad Maximum Basum Urbis Præfectum scribens Constantinus, magicas & maleficas artes exerceri prohibuit. *Eorum est scientia punienda, & severissimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra hominum salutem moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse detegentur. Data 10. Kal. Junii, Crispo, & Constantino Cæsaribus Coss.* Aruspices tamen consuli lege altera, ad eumdem Maximum Urbis Præfectum data, permisit: *Si quid de palatio nostro, aut ceteris operibus publicis devastatum fulgure esse constiterit, retento more veteris observantiæ, quid portendat, ab Aruspicibus requiratur, & diligentissime scriptura collecta ad nostram scientiam referatur, ceteris etiam usurpandæ hujus consuetudinis licentia tribuenda, dummodo sacrificiis domesticis abstineant, quæ specialiter prohibita sunt. Data decimo sexto Kal. Jan. Sardicæ, Crispo II., & Constantino Coss. hoc anno.* Ob hanc legem ab insita pietate quodammodo defecisse Constantinum, adnotat Baronius, & ait: *O dolendum facinus! minus plane dignum, atque adeo abhorrens a Christiano Imperatore, rescriptum dedisse convincitur.* Gothofredus tamen, aliique cum eo, nil, [illegible]iter tantum eum peccasse autumant, cum Aruspicinam artem Gentilibus permisit, quos ab omni prorsus superstitione revocare [illegible] impossibile erat.

Aruspicinam artem permittit. Cod. Theod. leg. 1. de Paganis.

Baron. an. 321. 18.

Gothofr. in leg. 1. de Paganis. Pag. not. in Baron.

Constantinus Sarmatas vicit.

7. Nec pietate tantum, sed & armis, hoc tempore Constantinus inclaruit, dum Sarmatas in solum Romanum illapsos vicit, & fugavit: *Cum audisset Constantinus*, ait Zosimus, *ad Meotidem paludem habitantes Sarmatas, Istro navigiis*

Zosim. lib. 2. 21.

JESU CHR. AN. 321.

vigiis trajecto, ditionem suam aggredi, copias in eos duxit. Itidem Barbari cum Rausimodo rege obviam ei profecti, primum oppidum quoddam tentabant satis magno præsidio munitum; cujus ea pars muri, quæ a terra surgebat in altum, erat opere lapideo facta, pars superior ligneo. Quamobrem arbitrati Sarmatæ, facillime se potituros oppido, si quidquid esset in muro ligneum exussissent, ignem admovebant, & consistentes in muro telis petebant. Sed cum murorum propugnatores telis, ac lapidibus ex loco superiore dejectis, Barbaros interficerent, jam- [illegible] *us advenisset, in Barbaros impetu facto, de lo-* [illegible] *occidit, plures vivos cepit, reliquis fuga si-* [illegible] *Rausimodus majori parte copiarum amissa,* [illegible] *Istrum trajecit, cum haberet in animo ditionem Romanam populari". Quod ubi Constantinus comperisset, & ipse trajecto Istro insequitur, ac fuga quemdam ad Collem silvis densis delatos adoritur, & multos interfecit, quorum in numero Rausimodus erat; multisque captis, residuam multitudinem, quæ manus porrigebat, in fidem recipit; eoque pacto magna cum multitudine captivorum in Prætorium reversus est.*

Euseb. Vita Const. lib. 4. cap. 5. 6. Zozim. lib. 1. 8. Porphyr. in Panegyr. Constant. cap 19. 20 21. Pag. not. 3. an. 319. Tillem. hist. Imp. tom. 4. Murat. Basnag. 321.

Hucusque de bello adversus Sarmatas gesto Zozimus, de quo pluribus agunt Eusebius, Sozomenus, & Porphyrius. Hoc in Sarmatas bellum anno 319. cœptum, ad labentem usque perdurasse tradit Pagius. Longius tamen protractum fuisse, ac post labentem annum Sarmatas Constantinum fugasse, inde facile probatur; quod Nazarius in panegyrico Constantini, hoc anno recitato, de ea victoria nec verbum faciat, cum alioquin Orator celeberrimus, quæcumque in Constantini laudem dici poterant, ea oratione collegerit; non præteriturus sane & Sarmatas victos, quorum recens adhuc memoria, & fama opportunam Oratori laudandi materiam præbuisset. Quare post Kalendas Martii labentis anni, qua die Nazarius panegyricum recitavit, ea accidisse dicendum est, de quibus plura Tillemontius, & Basnagius adnotant.

Donatistæ ab exilio revocantur.

8. Cum Donatistæ libellum hoc anno Constantino obtulissent, quo rogabant, ut Silvanum, ceterosque Donatistas ab exilio revocaret, neve cogerentur cum Cæciliano communicare; precibus ipsorum, ut ait Baronius, fatigatus Imperator, eosdem ab exilio revocavit, Deo puniendos relinquens. Donatistarum libelli, ac rescripti Constantini ea de re ad Verinum Africæ Vicarium dati, mentio fit in Collatione Cartha-

thaginensi die tertia cap. 544., qua hæc habentur: *Persecutio Donatistarum, qua Principi Constantino libellum asserunt proprios dedisse majores, & eo Principem motum tum agendi eis dedisse licentiam, libello recitato, & Prosecutio Catholicorum, qua asserunt pro se facere libellum, quem recitaverant Donatistæ, ubi recitatur epistola Constantini ad Verinum Vicarium destinata, quæ libertatem agendi tribuit Donatistis* (idest libertatem conscientiæ, ut dicere solemus). *Prosecutio Catholicorum, quæ dicit pro se magis facere epistolam Constantini, quia non de Cæciliano aliquid judicatum est, sed furori suo permissi sunt, ubi Donatistæ petunt, ut Judex de permissa a Constantino arbitrii libertate pronunciet*. Ejusdem refert meminit alibi Augustinus, ubi & indicat labenti anno datum fuisse: *Idem Imperator ad Valerium Vicarium* (lege Verinum) *de illorum exilio soluto, & eorum furore Deo vindici dimittendo litteras dedit, Crispo, & Constantino iterum Consulibus tertio nonas Majas*, idest anno labenti; & iterum Augustinus: *Tertio protulerunt litteras ejusdem Constantini ad Vicarium Verinum datas, ubi eos graviter detestatur, & propterea dicit, se exilio relaxandos, & furori suo dimittendos, quia jam cœperat Deus in illos vindicare*; eademque Breviculo Collationis repetit, addens: *In quibus litteris Constantinus sic eos detestatur, ut nihil illa indulgentia possit deformius inveniri*. Quid post hæc Donatistæ tentaverint, inferius dicetur.

JESU CHR. AN. 321. Aug. tom. 9. Aug. epist. 141.

9. Donatistis dimissis, de Arianis dicendum, & pestiferæ, infandæque hæresis initia explicanda, cujus duæ epochæ communiter adsignantur; una scilicet cum primum ex inferis erumpens, disseminari cœpit circa annum 318., altera cum primum in synodo Alexandrina hoc anno damnata est. Ad primam pertinent Orosii verba: *Cum Crispus, & Constantinus Constantini filii, & Licinius Licinii filius Cæsares sunt creati*, anno 318. *His diebus Arius Alexandriæ urbis presbyter, a veritate Fidei catholicæ devians, exitiale plurimis dogma constituit*. Epocha altera celebrior, quæ cum Alexandrina synodo hujus anni conjungitur, & in Eusebii etiam Chronico adnotatur. Malis avibus in Lybia ortus Arius Ammonium patrem habuit, ut in epistola ad Eusebium Nicomediensem idem testatur: *Statura vero proceriore fuit*, inquit Epiphanius, *tristiori specie, totaque corporis configuratione, subdoli serpentis instar, ad fraudem, & fallaciam compositus, ita ut callido il-*

Initia Arianæ hæresis. Oros. lib. 7. cap. 8. Epiph. hær. 69. n. 6. & n. 3.

Jesu Chr. an 321.

lo, externoque habitu facile simplicioribus animis obreperet; nam hemiphorium, & colobium indutus in colloquiis, & salutationibus blandus erat in primis, atque omnium animos adulationum illecebris devinctos tenebat. Vaferrimi viri ingenium inde patuit, quod Meletio res novas in Ecclesia molienti se sociaverit: *Postea vero, relictis ejus partibus, a Petro Alexandrinorum Episcopo Diaconus est ordinatus. Rursus tamen Ecclesia pulsus est ab eodem, propterea quod cum Petrus fautores Meletii excommunicasset, nec eorum baptismum admitteret, ipse Petri acta reprehendebat, neque ullo modo quiescere sustinebat.* Post Petri vero martyrium ab Achilla veniam precatus, non solum Diaconi officia repetiit, sed & presbyter est ordinatus, quem Alexander etiam Achillæ successor in honore habuit. In Actis quidem Petri Alexandrini Episcopi legitur, Dominum noctu Petro apparuisse discissa veste, causamque sciscitanti Petro respondisse, *Arius mihi vestem scidit, præcave omnino, ne eum in communionem recipias, quin potius jubeto Achillæ, & Alexandro presbyteris, qui post tuum exitum rectури sunt Ecclesiam meam, ne eum in communionem recipiant.* Verum a Sozomeno litteris proditum, ab Achilla non solum Diaconatus officio Arium restitutum, sed & presbyterum ordinatum fuisse, quod certe vir Sanctus nunquam fecisset, si de cœlesti visione a Petro esset admonitus.

Sozom. lib. 1. cap. 15.

Renaudot. hist. Patriarch. Alex. in Petro Alex. Tillem. tom. 5. pag. 557. Pag. not 4. ad ann 310. Nat. Alex. sæc. 4. dissert. 9. Athanas. Vita a Maurinis edita.

Arius, ob non adeptum Alex. Episcopatum, hæresim disseminare cœpit.

10. Interea, cum Achillæ Alexander successisset, Arius invidiæ stimulis agitatus, quod Episcopalem Cathedram non obtinuisset, ab Alexandro diffidere cœpit; cujus mores utpote integerrimos carpere non valens, illius de Trinitate doctrinam reprehendere conatus est: *Eo tempore Arius, qui in numerum presbyterorum adscriptus erat*, ait Theodoritus, *cui sacrarum Litterarum interpretatio concredita erat, cum Alexandrum videret Ecclesiæ administrationem suscepisse, livoris impetum ferre non potuit; sed invidiæ stimulis exagitatus, contentionis, ac discordiæ causas aucupari cœpit. Et calumnias quidem adversus illum contexere nullas poterat, cum vitam ejus, & conversationem omni laude dignam videret; invidia tamen eum quiescere non sinebat. Hunc igitur nactus dæmon veritatis inimicus, ejus opera Ecclesiam miscere, ac perturbare cœpit. Persuasit enim illi, ut Apostolicæ Alexandri doctrinæ palam contradiceret. Et Alexander quidem sacrarum Litterarum vestigiis insistens, Filium ejusdem esse dignitatis cum Patre, eamdem-*

Theodor. hist. lib. 1. cap. 2.

demque cum Deo, qui ipsum genuit, habere substantiam asserebat. Arius vero aperte veritatem impugnans, Filium Dei creaturam, & facturam vocabat. Addebat etiam fuisse tempus, cum non esset, & alia nonnulla, quæ ex ejus scriptis clarius cognoscemus. Atque hæc ille non in Ecclesia solum, verum etiam in externis conventibus, ac cœtibus assidue disserebat. Quin etiam domos circumiens, quotquot poterat, in sententiam suam traducebat. Hæc Theodoritus, eademque Socrates; qui & addit, cum novis hisce, ac inauditis erroribus multos ad eam quæstionem excitasse; atque ex modica scintilla magnum subito incendium exortum, quod ex Alexandrina Ecclesia per universam Ægyptum, & Libyam, ac superiorem Thebaidem transiit, & tandem totum fere invasit Orbem.

JESU CHR. AN. 321.

Socrat. lib. 1. 5.

11. Sed juvat præcipuum Arii errorem cognoscere ex ipsius epistola ad Eusebium Nicomediensem, qua queritur, se cum sociis Alexandrina urbe ab Alexandro Episcopo ejectum, *ob eam causam, quod illi publice ista pronuncianti nequaquam assentiamur: Semper Deus, semper Filius; simul Pater, simul Filius; cum Deo ingenito perpetuo Filius existit, semper genitus ab ingenito genitus, neque cogitatione, neque momento ullo Deus Filium antecedit, semper Deus semper Filius, ex ipso Deo Filius.* Nos econtra, ajebat Arius, *quid tandem dicimus, sentimus, docuimus, & docemus? Nimirum, Filium nec ingenitum esse, nec ingeniti ulla ratione partum. Sed neque ex subjecta aliqua materia factum Verbum Dei voluntate, ac consilio, ante tempora sæculaque substitisse; plane Deum Unigenitum immutabilem, qui antequam gigneretur, sive crearetur, sive decerneretur, aut fundaretur, non fuit. Nos igitur ob id infestamur, quod diximus, principium habet Filius, Deus autem principio caret. Hæc vexandi nostri causa est, tum quod asserimus, eumdem ex nihilo esse.* Eadem repetit in epistola, quam Nicomediæ ad Alexandrum scripsit, cui Episcopi, Presbyteri, Diaconi Ario consentientes subscripserunt.

Arii errores.

Apud. Epiph. hær. 69.

12. Ex eo autem errore in alium delapsus est, quo Christum animæ humanæ expertem fuisse adfirmabat, qua de re ita Augustinus: *In eo autem, quod Christum sine anima, solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt, nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibusdam scriptis, & collocutionibus certissime comperi.*

Alii Arianorum errores.

Aug. de hær. cap. 49.

 Qua-

JESU CHR. AN. 321. Epiph. hær. 69. num. 19. Athan. tom. 1.

Quare Epiphanius: *Negant insuper humana Christum anima præditum fuisse*. Hunc Arianorum errorem Athanasius perstringit in oratione de salutari adventu Christi: *Arius porro carnem solum ad occultationem Deitatis confitetur, & pro nostro interiori homine, hoc est anima, Verbum dicit in carne fuisse, passionisque sensum, & ab inferis resurrectionem Divinitati audet adscribere*; addit & Augustinus, ab Arianis *rebaptizari Catholicos novimus, verum & non Catholicos nescio*.

Divinitatem Spiritus Sancti Arius verosimilius impugnavit. Bar. ann. 325. num. 51. Nat. Alex sæc. 4. art. 3. §. 2.

13. An de divinitate Spiritus Sancti recte senserit Arius, in obscuro est. Spiritus Sancti divinitatem tenuisse Arium, ex eo argumentatur Baronius, quod de hisce nulla quæstio in Nicæna synodo habita fuerit; neque in Ario hunc errorem adnotavit Natalis Alexander. Fieri tamen vix potest, ut negata ab Ario Verbi divinitate, Spiritus Sancti dignitas consisteret; quin ex Arii blasphemia sequitur, neque Spiritum Sanctum Deum esse fatendum. Et sane idem Arius Filium Dei Spiritui Sancto præponit; cum itaque Filium Dei creaturam fuisse blasphemaverit, multo magis idem de Spiritu Sancto ex ejusdem insana philosophia dicendum est: *Tres sunt hypostases*, ajebat in epistola ad Alexandrum, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & quidem Deus, cum rerum omnium causa sit, solus ex omnibus principiis est Deus*. Cum itaque solum Deum rerum omnium causam, & principium, idest Patrem Deum diceret, sequitur ex Arii sententia, Spiritum Sanctum non aliter ac Filium creatis rebus accensendum esse. Quem errorem veterum plurimi Ario adscribunt; in primis Athanasius de Arii opinionibus peritissimus: *Arius dicit alienas, itemque incommutabiles substantias Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & prorsus omnibus dissimiles inter se, ratione substantiæ, & gloriæ usque in infinitum*. Si itaque Filius, & Spiritus Sanctus ratione substantiæ, & gloriæ dissimiles sunt a Patre, non solum Filii, sed & Spiritus Sancti divinitatem negavit Arius. Eadem colligas ex Auctore disputationum in Nicæno Concilio, qui hæc verba Ario tribuit: *Credo & ego in unum Deum æternum, & Filium ejus, quem ante sæcula condidit, credoque in Spiritum Sanctum a Filio genitum*. Si itaque Filius Dei creatura erat juxta Arium, multo magis Spiritus Sanctus a Filio genitus creatis rebus accensendus. Hinc Damasus ad Paulum Thessalonicensem: *Anathemate damnamus Arium, & Eunomium, qui pari impietate, licet verbis discrepent,*

Epiph. hær. 69. num. 8.

Athan. Orat. 2. in Arian. to. 2.

Coutan. pag. 518.

pent, *tum Filium*, *tum Spiritum Sanctum creaturam asserunt*, Ejusdem blasphemiæ in Spiritum Sanctum Arium condemnat Auctor Prædestinatianæ hæresis a Sirmondo editus, hæresi 49., ut alios prætereamus. His tamen objici potest, in Nicæna synodo nullam de Spiritu Sancto quæstionem agitatam fuisse, neque id Ario crimini datum; in Nicæna tamen synodo de præcipuo tantum Arii errore actum est, quo Verbi divinitatem, ac perfectam cum Patre æqualitatem negabat, ex quo tanquam ex fonte alii errores, velut rivuli manarunt. Hinc & si ex Athanasio, Augustino, Epiphanio sciamus, docuisse Arium in Christo humanam mentem, seu animam non fuisse; de his tamen ne verbum in Nicæna synodo occurrit. Fieri etiam potest, ut post Nicænam synodum apertius impietatem suam vulgaverit, & Spiritum Sanctum æque ac Filium inter creatas res audacius recensuerit.

JESU CHR. AN. 321.

14. Quamplurimos in suam sententiam trahebat Arius, & in colloquio dulcis, ac blandiens latius hæresim ita disseminabat, ut si Epiphanio fides, non solum ex plebe, sed & ex Clero plurimi; quin & ex virginibus septingentæ ejus opinioni subscriberent, ac per Libyam quoque, Ægyptum, & Thebaidem idem serperet error: quare privatim primo Alexander Episcopus Arium admonuit, ut ab inceptis desisteret; deinde coram Episcopis, qui tum Alexandriæ erant, & Clero Arium interrogavit, num revera de Dei Filio jam submisse sentiret. *Ille vero*, ait Epiphanius, *neque hæsitavit*, *neque timuit*, *sed ab exordio perfricta fronte omnem malam suam opinionem evomuit*. Ubi vero Alexander Arium pertinaciter hæresim tueri novit, convocatis Episcopis, & Presbyteris iterum de Fide Arium interrogavit, ac ut saniora saperet, hortatus est: *Ubi vero non persuasus est a veritate*, *expellit ipsum ex Ecclesia*, *& per Urbem diffamat*, ait idem Epiphanius, cui congruit Theodoretus. Una cum Ario *virgines prædictæ*, *Clerici*, *& alii plurimi* ex Ecclesia ejecti sunt. Inter eos Presbyteri septem, ait Epiphanius, aut novem si Theodorito fides habenda; duo tamen ex Presbyteris recensentur solum ab Alexandro in epistola ad Clerum suum data, *Chares* scilicet, *& Pistus*.

Arius Alexandrino Concilio ab Ecclesia ejicitur. Epiph. hær. 69.

Theod. lib. 1. 2. Epiph. ut sup.

Lib. 1. 4. Athan. tom. 1. pag. 396. Edit. Maurin.

15. De sententia vero in Arium lata hæc subdit: *Alexander Presbyteris*, *Diaconisque Alexandriæ*, *& Mareotæ*, *præsens præsentibus dilectis in Domino fratribus salutem*. *Licet jam*

Alexandri Episcopi Alexandrini epistola ad Clerum.

JESU CHR. AN. 321.

jam subscripseritis litteris meis, ad Arium suosque missis, quibus hortabar illos, ut, abnegata impietate, sanæ, & catholicæ Fidei obtemperarent; eaque in re rectum propositum vestrum, necnon Ecclesiæ catholicæ circa dogmata consonantiam palam feceritis; attamen quia omnibus etiam ubique terrarum comministris, quæ Arium sociosque ejus spectant litteris significavi, necesse duxi, vos urbis Clericos convocare, vos item Mareoticos arcessere; præsertim cum ex vobis Chares, & Pistus Presbyteri, Serapion, Parammon, Zosimus, & Irenæus Diaconi ad Arii partes transierint, atque voluerint deponi cum illis; ut nota sint vobis, quæ jam scripta sunt, utque vestram in hisce concordiam declaretis, ac depositioni Arii, Pisti, sociorumque suffragium addatis vestrum. Par quippe est comperta vobis esse, quæ a me conscripta sunt, eaque singulos, quasi quisque vestrum scripsisset, corde complecti. Hactenus depositionis sententia in Arium, sociosque ab Alexandro Episcopo Alexandrino lata, uno, aut altero abhinc anno.

Athan. vita pag. 4. tom. 1. Tillem. tom. 6. pag. 737. not. 1. in Arian.

Synodus Alex. Episcoporum centum iterum anathema Ario dicit.

16. Arius vero post hæc, audacior factus, hæresim disseminare non destitit: quare Alexander, coactis ex Ægypto, Lybia, & Pentapoli Episcopis fere centum, synodum congregavit, qua Arius cum sociis vocatus, ac de doctrina interrogatus pari impietate, ac impudentia Dei Filium ex non exstantibus, ac Patri dissimilem confessus est, & *sciscitante quodam, num perinde mutari posset Dei Verbum, atque Diabolus mutatus est? Non veriti sunt respondere: Sane potest, nam utpote factus, & creatus mutabilis est naturæ. Hæc loquentes*, ait Alexander, *hæc impudentissime affirmantes, nos cum Episcopis Ægypti, Libyarum prope centum in unum coacti, illos*, idest Arianos, *cum sectatoribus suis anathemate percussimus*.

Eusebius Nicomediensis cum Ario societatem init.

17. Bis itaque diro anathemate percussus Arius, ab insania tamen sua non recessit; quin novos impietatis socios sibi adjunxit, atque Eusebium amicitia sibi jam conjunctum in patronum, ac vindicem blasphemiæ suæ conciliavit. Hic, ut natura audax, ingenioque pollens, ac illustrium virorum protectione munitus, præsertim Constantiæ Constantini Imperatoris sororis, eo facilius Arii tutelam suscepit, quo eamdem cum Ario de Filio Dei tenebat sententiam, ac honorum cupiditate flagrans, ex Berythensi Episcopatu ad Nicomediensem transierat, Episcopalem dignitatem proventibus, & civitatum amplitudine tantum dimetiens. Itaque Eusebius datis ad Epi-

Episcopos per diversa loca epistolis auctor fuit, ut Episcoporum aliqui Ario, ejusque doctrinæ patrocinarentur. Invidia etenim Alexandri Arium cum sociis ab Ecclesia ejectum fuisse vulgavit, ut Arius ad Eusebium scribens mentiebatur, inter cetera narrans, se injuste persecutionem ob veritatis defensionem pati, *quam tu quoque defendis*. Hæc vero ea de causa ab Alexandro pati se scribebat, quod non assentiretur eidem publice prædicanti: *Semper est Filius, simul Pater, simul Filius, Filius Deo coexistit ingenito, semper genitus est, ab ingenito genitus est; nec cogitatione, nec ullo temporis puncto Deus præcedit Filium, semper Deus, semper Filius; ex ipso Deo existit Filius*. Addebat una cum ipso Eusebium Cæsariensem Episcopum, & Theodorum, ac Paulinum, Athanasium, Gregorium, & Aetium, omnes denique per Orientem Episcopos, qui Deum Patrem principii omnis expertem ante Filium fuisse ajebant, anathemate damnatos esse; ac iterum quæ sua de Dei Filio sententia esset prodens, Filium non esse ingenitum, nec partem ingeniti, neque ex aliqua subjecta materia, sed voluntate, & consilio substitisse ante omnia tempora, & sæcula perfectum Deum, unigenitum, immutabilem ajebat; subjiciens, tamen eum, antequam gigneretur, aut crearetur, non fuisse. Et in fine: *Opto, te in Domino valere memorem vexationum nostrarum, vere Conlucianista, vere Eusebj*. Hæc ad Eusebium Arius, eademque Theodoretus, qui Episcopos Arii recensens, hæresim aversantes, Philogonium Antiochensis Ecclesiæ Antistitem, Hellanicum Tripoleos, & Macarium Episcopum Jerosolymorum nominat.

JESU CHR. AN. 321. *Arii epist. ad Euseb. Nicomed. apud Theodor. lib. 1. 5.*

18. His ergo acceptis epistolis, Eusebius Arianæ impietatis assertor, & vindex effectus est. Ad Arium quippe hæc scripsit: *Cum recte sentias, precare, ut omnes ita sentiant, palam enim omnibus est, quod factum est, non extitisse, antequam fieret, quod autem factum est, existendi initium habet*. Paulinum vero Tyri Episcopum, ut Arianæ impietati subscriberet, ejusdemque patrocinium sumeret, in hæc verba excitavit: *Domino meo Paulino, Eusebius in Domino salutem. Nec Domini mei Eusebii* (Cæsariensis scilicet) *in tuenda veritate studium silentio mandatum est, sed ad nostras usque aures pervenit; nec tua, Domine, in eodem negotio taciturnitas. Et sicut consentaneum erat, Domini quidem mei Eusebii causa gavisi sumus, tua vero causa magnopere dolemus, tan-*

Eusebii Nicom. epist. ad Arium, & ad Paulinum Tyri Episcopum. *Apud Athanas. lib. de Synod. tom. 2. pag. 736.*

Theodor. lib. 1. 6.

JESU CHR. AN. 321. *tanti viri silentium condemnationem nostram esse arbitrantes. Quamobrem hortor te &c.* Ut scilicet Arii opinionem tuendam susciperet. *Quandoquidem nec duo ingenita unquam audivimus; nec unum divisum in duo, aut corporeum quidquam passum esse didicimus, aut credidimus, Domine. Sed unum quidem ingenitum, alterum autem ab eo vere, & non ex ejus substantia factum, nec ullo modo particeps naturæ illius, nec e substantia ejus existens; sed natura, & virtute prorsus est diversum, ad perfectam tamen similitudinem naturæ, virtutisque factoris sui conditum.* Tum alia plurima ibidem congerit, quibus Dei Filium Patre minorem esse confirmet; ac Paulinum tandem rogat: *Cum hæc acceperis, juxta concessam tibi divinitus gratiam limaveris, fac ut Domino meo Alexandro quamprimum scribas, nam si ad illum scripseris, te illis persuasurum confido*, ut scilicet Alexander sententiam in Arium, sociosque latam revocaret; qua de causa & ad Alexandrum, aliosque Episcopos ipse Nicomediensis Episcopus epistolas jam plurimas dederat.

Alexandri Episcopi Alex. epistola encyclica ad Orbis Episcopos.

19. Interea, cum Alexander non solum Ægyptum, sed & Orientem, & Palæstinam, Arianam pestem pervagari cerneret, ac ab Episcopis obstinata mente tueri, Alexandrinæ synodi Acta, datis ad omnes ubique Episcopos litteris, vulganda censuit; quibus Presbyteri etiam, & Diaconi Alexandrini, & Mareotici subscripserunt, ac Arii erroribus recensitis, Episcopos rogat, ne Eusebio Nicomediensi, aliisque tam pravæ opinionis patronis fidem habeant: *Carissimis, honoratisque ubique Ecclesiæ comministris Alexander in Domino salutem. Cum unum sit Ecclesiæ catholicæ caput, in divinisque Scripturis jussum, ut concordiæ, pacisque vinculum servetur, consentaneum est, ut quæ a singulis geruntur invicem significemus, ut scilicet si membrum quodpiam vel patiatur, vel lætetur, mutuo omnes una patiamur, vel una lætemur. In nostra itaque parœcia haud ita pridem exorti sunt viri improbi, Christique adversarii, docentes defectionem, quam jure merito quis Antichristi prodromum suspicetur, & vocet. Equidem volebam rem silentio tegere, ut in solis hæreseos præfectis malum absumeretur, ne in cetera loca pervadens, simpliciorum quorumdam aures contaminaret. At cum Eusebius jam Nicomediæ Episcopus, ratus penes se sita esse Ecclesiastica omnia, quia scilicet postquam relicta Beryto, ambitione motus, Nico-*

Athan. tom. 1. pag. 397. Socrat. lib. 1. cap. 6.

me-

medienſium invaſit Epiſcopatum, nulla hujuſce auſus habita eſt ultio; cum ille, inquam, Apoſtatarum iſtorum patrocinium ſuſceperit, litteraſque pro iis commendatitias ubique ſcribere aggreſſus ſit, ut quoſdam rei ignaros in hanc turpiſſimam, Chriſtique oppugnatricem pertrahat hæreſim; neceſſe mihi fuit, haud ignoranti quid in Lege ſcriptum ſit, non ultra rem ſilentio premere, ſed vobis omnibus ſignificare, ut cognoſcatis tum eos, qui Apoſtatæ effecti ſunt, tum inauſpicata eorum hæreſis verba. Etſi ſcripſerit Euſebius, ne animum adhibeatis; ille quippe tum veterem animi malitiam, quam aliquandiu occultarat, nunc eorum opera renovare ſtudeat, ſeſe ſimulat eorum gratia ſcribere, opere tamen comprobat, ſe id ſuapte cauſa agere. Eccleſiæ autem deſertores hi ſunt: Arius, Achillas, Aithalas, Carpones, Arius alter, Sarmates olim Presbyteri; Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius, & Gajus olim Diaconi; ac cum ipſis Secundus, & Theonas olim Epiſcopi nuncupati. Verba autem ab illis adinventa, ac præter Scripturarum mentem prolata, hæc ſunt. Tum ſubdit Arianorum blaſphemias, quibus inter creatas res Dei Filium relegabant; deinde de geſtis in Alexandrina ſynodo addit: *Hæc Arianos loquentes, hæc impudentiſſime affirmantes, nos cum Epiſcopis Ægypti, & Libyarum propemodum centum in unum coacti, illos cum ſectatoribus ſuis anathemate perculſimus. At Euſebius, & ſocii admiſerunt illos, operamque navarunt, ut veritati mendacium, pietati impietatem admiſceant;* & poſt plurima: *Jure nos, qui impietatem illorum ipſis coram audivimus, homines, uti ſupra dictum eſt, anathemate damnavimus, ipſoſque a catholica Eccleſia, & Fide alienos declaravimus; remque, cariſſimi, atque honoratiſſimi Comminiſtri, veſtræ Religioni indicavimus, ut ne quoſdam ex illis, ſi petulanter vos adire auſi fuerint, excipiatis, neve Euſebio, vel alii cuipiam de illis vos ſcribenti fidem habeatis. Salutate fratres, qui vobiſcum ſunt; vos, qui mecum ſunt, ſalutant.* Huic epiſtolæ ſubſcripſerunt ex Alexandrina Eccleſia Presbyteri decem & ſeptem, Diaconi viginti quatuor, inter quos duo Athanaſii leguntur, ex quibus unus fuit Magnus Athanaſius, qui Alexandro ſucceſſit; ex Mareoticis vero Eccleſiis Presbyteri decem & novem, Diaconi viginti. Præter hanc epiſtolam Epiſcopis toto Orbe diffuſis ſcriptam, peculiares ad Epiſcopos alios Alexander dedit, ut ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ad Philogonium

JESU CHR. AN. 321.

Epistola Alexandri Episcopi Alex. ad Alexandrum Constantinopolitanum. Theodor. lib. 1. 4.

Antiochensis Ecclesiæ antistitem, & ad Eustathium Berrœensem, & ad alios quotquot Apostolicæ doctrinæ Defensores erant.

20. Theodoretus epistolam, Alexandro Constantinopolitano Episcopo scriptam, historiæ suæ inseruit, quæ inter cætera habet: *Carissimo, & unanimi fratri Alexandro, Alexander in Domino salutem. Improborum hominum voluntas dominationis, & pecuniæ avida, majoribus Ecclesiis semper insidiari solet, dum illi per varias occasiones Ecclesiasticam pietatem oppugnant*. Post aliqua addit Arium & Achillam conjuratione facta, Colluthi ambitionem æmulantes, longe pejora patrasse, dum speluncis latronum sibi constructis, sine intermissione conventus in illis agerent, calomnias adversus Christum, & adversus Episcopum concinnantes; ac ejurata pia, & Apostolica doctrina, Servatoris Deitatem negantes, reliquis omnibus (rebus scilicet creatis) æqualem eum esse prædicarent. De turbis vero & persecutionibus adversus se excitatis subdit: *Seditiones autem, & persecutiones adversus nos quotidie excitantes, & nunc quidem ad Judicum tribunalia nos trahunt per interpellationes mulierum disciplinam non servantium, quas ipsi in errorem induxerunt, &c.* De Episcopis vero, qui Ario favebant, suppresso eorum nomine: *Nescio*, ait, *quomodo tres in Syria ordinati Episcopi, illis consentiendo, eos ad pejora incitant; quorum judicium vestro examini reservetur*. Hi tres Episcopi erant Eusebius Cæsareæ in Palæstina Episcopus, ob scriptam Historiam celeberrimus, Theodotus Laodiciæ, & Paulinus Tyri, quos ab Alexandro anathemate perculsos fuisse, testatur Arius in epistola ad Eusebium Nicomediensem. Quare; *Hos ab universis fratribus anathematizatos nemo vestrum suscipiat, nec ea, quæ ab illis aut dicuntur, aut scribuntur, admittat*. De ipsorum perfidia multa ibidem addit, quæ longum esset excribere, ac tandem Episcopos omnes enixe hortatur, ut in tanto Fidei periculo opem ferant: *Suffragamini nobis*, inquit, *adversus furiosam illorum audaciam, perinde ac Collegæ nostri, qui indignati sunt, & nobis epistolas scripserunt adversus illos, & tomo nostro subscripserunt. Quæ etiam ad vos misi per filium meum Apionem Diaconum, partim ex universa Ægypto, ac Thebaide, partim ex Lybia, ac Pentapoli; item ex Syria, Lycia, Pamphylia, Asia, Cappadocia, aliisque finitimis Provinciis. Quorum exemplo a vobis*

bis quoque litteras me accepturum esse confido &c. Nomina autem eorum, qui anathemate damnati fuerant, hæc sunt, ait Theodoretus: *Ex Presbyteris quidem Arius, ex Diaconis vero Achillas, Euzojus, Aithalas, Lucius, Sarmates, Julius, Menas, Arius alter, & Helladius.*

JESU CHR. AN. 321. Theod. lib. 1. c. in fin.

21. Dum porro Alexander Episcopus Alexandrinus, datis epistolis, Episcoporum suffragia undique adversus Arii impietatem quærebat, *neque Arius*, ut habet Theodoretus, *quiescere sustinuit, nam & ipse scripsit ad illos, quos idem secum sentire existimabat*; inter eos, præter tres nominatos Syriæ Episcopos, idest Eusebium Cæsariensem, Theodotum Laodicenum, & Paulinum Tyri, tres alios sententiæ suæ consentientes Arius numerat in epistola ad Eusebium Nicomediensem, idest Athanasium Anazarbi Episcopum, Gregorium Beryti, & Aetium Liddæ. De epistolis ab Alexandro adversus Arium, & Arianæ impietatis fautores vulgatis, adnotat Epiphanius, eas sua ætate in studiosorum manibus fuisse numero fere septuaginta, ac inter alias eas recenset, quæ ad Eusebium Cæsareæ Episcopum, ad Macarium Hierosolymitanum, ad Asclepium Gazæ, ad Longinum Ascalonis, ad Macrinum Jamniæ, ad Zenonem quemdam antiquum Tyri Episcopum, atque ad alios plurimos missæ fuerant. Ii vero ad Alexandrum rescripserunt, *quidam dissimulanter, & callide, alii ex animo, & sincere*, ait Epiphanius.

Aliæ hinc, inde epistolæ datæ. Theod. cap. 5. Epiph. hær. 69. num. 4.

22. Inter hæc cum Arius Alexandriæ diu consistere non posset, ac ob Alexandri vigilantiam venena sua disseminare prohiberetur, Achilla comite, *ad Palæstinam iter arripit*, ut ait Epiphanius, *quo cum pervenisset, singulos Episcopos adiit cum adulatione, ut sibi multos faceret cooperatores, & suscipiunt quidem ipsum aliqui, alii vero repulerunt*. Inter Episcopos, qui Ario ibi consenserunt, fuere Paulinus Tyri, Eusebius Cæsareæ, Theodotus Laodiciæ, Athanasius Anazarbi, Gregorius Berythi, Aetius Diospolitanus, ut alterum Eusebium Nicomediensem prætereamus. Plurimi tamen Arii perfidiam aversantes eum cum ignominia ejecerunt: inter ceteros Philogonius Antiochenus, Macarius Hierosolymitanus, & Hellanicus Tripolitanus numerantur; quos ideo Arius in sua ad Eusebium Nicomediensem epistola maledictis & conviciis insectatus est.

Arius Palæstinam concurrit, Episcoporum suffragia quærens. Epiph. hær. 69.

23. Ex Palæstina Nicomediam deinde profectus est Arius ad Eusebium non dubiæ fidei socium, & præcipuum Arianæ

Nicomediam Arius petit,

 per-

JESU CHR. AN. 321.

Athan. apol. contra Arian. tom. 1. pag. 128. Socrat. lib. 1. 6. Epiph. hær. 69. num. 7. 8.

perfidiæ patronum. Is vero non solum Arium, ejusque caussam Paulino Tyri Episcopo, aliisque commendavit, sed & Alexandro scripsit, ut Arium in gratiam recipiens, Ecclesiæ communioni restitueret, uti Athanasius, & Socrates admonent. Arius etiam, ut in Ecclesiæ communionem reciperetur, ad Alexandrum litteras dedit, quas Epiphanius recitat, & quarum hæc erat inscriptio: *Beato Papæ & Episcopo nostro Alexandro Presbyteri, & Diaconi salutem in Domino*. Sed cum epistola Ariano veneno tota infecta esset, ac aperte Dei Filio æternitatem, & coæternitatem abnegaret, impios homines ad gratiam, & communionem recipere Alexander recusavit; hinc continuata dissidia, ita ut & Constantinus, post victum Licinium, de jurgiis componendis Legatos Alexandriam miserit, ut anno 324. videbimus.

Arius librum Thaliæ titulo inscribit, quo venena sua disseminat. Socrat. lib. 1. 9.

24. Interea, ut facilius venena sua disseminaret Arius, librum edidit, cui *Thaliæ* titulum præfixit: *Porro sciendum est*, ait Socrates, *Arium de opinione sua librum quemdam composuisse, quem Thaliam inscripsit. Est autem dicendi genus molle, ac solutum Sotadicis carminibus non absimile, quem librum tunc temporis etiam Synodus condemnavit*. Quis vero Sotades fuerit, Suidas narrat: *Sotades Cretensis Maronita a dæmone vexatus, jamborum scriptor scripsit Phylacas, sive Cinædos*; cujus carmina vel ipse Martialis turpia fuisse adnotat:

Mart. ad Classicum Epigram. lib. 2.

Quod nec carmine glorior supino
Nec retro lego Sotadem Cinædum
Nunquam græcula quod recantat Echo.

Athanas. Orat. 1. contra Arian. pag. 406. 409.

Eo in libro seipsum impietate vicit Arius, cujus titulum etiam Athanasius perstringit, atque inter cetera: *Pro Christo*, inquit, *Arius illis est, uti Manichæis Manichæus, similiter pro Moyse, aliisque viris sanctis, nescio quem Sotadem, qui ipsis Gentilibus ludibrio est, & filiam Herodiadis repererunt; namque & illius fractos, effeminatosque mores Arius, Thalias quoque ipse scribendo, imitatus est; & hujus saltatricis saltationem suis in dominum maledictis saltando, & ludendo est imitatus*. At post plurima de Thaliæ titulo: *Ariani relictis divinarum Scripturarum oraculis, Arii Thalias novam sapientiam appellant, quod quidem non immerito ajunt; novam quippe hæresim annunciant*. Hæc aliaque plurima de eodem libro Athanasius,

qui

qui post expositas Arii blasphemias, Thaliæ suæ insertas, tandem subdit: *Et hæ quidem sunt particulæ fabellarum, quæ in ridiculo Arii extant volumine. Quis ergo his & carmine Thaliæ auditis, Arium quasi in scena de hujusmodi rebus jocantem jure non oderit, &c.?* Quem librum Nicæna synodus damnavit, ut ex Socrate audivimus. JESU CHR. AN. 321.

25. Hoc quoque tempore Asterius Sophista Arianorum perfidiam, edito libro, defendendam propagandamque suscepit, quo Christum Dei Filium non solum, Arii exemplo, minorem Patre blasphemabat, sed & creatis rebus non aliter ac locustas, & erucas accensebat. Hic cum Maximini persecutione Idolis sacrificasset, hoc tempore Syriam, & Palæstinam obambulans, inter clericos sedens, librum suum publice legebat, quem pluribus in locis Athanasius confutat. Sed de Arianæ hæresis ortu, & progressu usque ad hæc tempora hactenus dicta sufficiant; de ipsa enim inferius multa adjicere eo magis necesse erit, quo longa sæculorum serie eadem hæresis in Socinianis rediviva substitit, & tam longe, lateque virus suum diffudit, ut Orbem fere universum quodammodo infecerit.

Asterius Sophista Arianæ hæresis Apologista.

Athanas. de Synod. Orat. 2. contra Arian. p. 505. 507.

JESU CHRISTI AN. 322. SILVESTRI PAPÆ 9.
CONSTANTINI IMP. 16. LICINII IMP. 16.
COSS. PETRONIO PROBIANO, ET ANICIO JULIANO.
OLYMPIAD. 275. AN. 2. URBIS AN. 1075.

1. Hujusce anni Consules meminit vetus marmor apud Gruterum = *PETRONIO PROBIANO, ET ANICIO JULIANO COSS. PRID. KAL. APRILES COLONI, ET COLONIÆ ÆLIÆ HADRIANÆ*. Ipsum porro alterum, Anicium nempe Julianum, Christianum fuisse, non immerito conjecisse arbitror Baronium, qui hæc Prudentii carmina:

Anicii Consulatus, & religio. *Grut. pag. 364. tom.*

Fertur enim ante alios generosus Anicius Urbis
Illustrare caput, sic se Roma inclyta jactat,

ad ipsum esse referenda judicavit.

2. Ut pauperum inopiam sublevaret, ita ad Menandrum Constantinus hoc anno rescripsit: *Provinciales, egestate victus atque alimoniæ inopia laborantes, liberos suos vendere,*

Constantini in pauperes liberalitas. *Cod. Theod. de alimentis leg. 2.*

Jesu Chr. An. 322.

dere, & oppignorare cognovimus. Quisquis igitur hujusmodi reperietur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quique liberos suos ægre, ac difficile sustentet, per Fiscum nostrum, antequam fiat calamitati obnoxius, adjuvetur. Itaut Proconsules, Præsidesque, & Rationales per universum Africam habeant potestatem, & universis, quos adverterint in egestate miserabili constitutos, stipem necessarium largiantur, atque ex horreis substantiam protinus tribuant competentem. Abhorret enim a nostris moribus, quemquam fame confici, aut ad indignum facinus prorumpere concedamus. Datum pridie nonas Julii Romæ Probiano, & Juliano Coss. Quo vel solo exemplo aperte mentiri, calumniarique putide Zosimum Ethnicum historicum intelligimus, ubi piissimum Imperatorem, & de christiana Religione bene adeo meritum, avaritiæ eousque addictum fuisse scribit, inque tributis exigendis adeo immitem, ut parentes iis solvendis impares, filios distrahere, aut filias prostituere coegerit; eis enim, ut ex citata lege cognoscimus, ex Fisco, suisque horreis alimenta liberalissime præstari jussit.

Aliæ Constantini leges pro reorum indulgentia. *Cod. Theod. leg. 1. de Indulg crim.*

3. Altero Rescripto, ad Maximinum Urbis Præfectum, reis veniam indulsit: *Propter Crispi, & Helenæ partum omnibus indulgemus, præter veneficos, homicidas, & adulteros III. Kal. Novemb. Romæ Probiano & Juliano Coss.* Quid ea verba significent *Propter Crispi, & Helenæ partum*, in obscuro est, ait Baronius. Helenam Constantini matrem, & Crispum filium uno, eodemque die, licet diversis annis genitos fuisse probabile autumat; vel forte cum Crispo, filiam quoque nomine Helenam uno partu, Augusto natam fuisse conjicit, istorumque natali die vertente, hujusmodi indulgentiam reis concessisse. Alii vero mendum ibi cubare censent, atque una littera addita, legendum *Propter paratum Crispi, & Helenæ*, idest propter apparatum, seu pompam; non enim Latinis scriptoribus insolens, ut pro pompa paratum dicant. Itaque cum Helena Constantini mater, & Crispus filiorum maximus ad Urbem hoc anno profecti, magna pompa a Romanis excepti essent; Constantinus, quo solemnis ingressus dies lætior existeret, noxiis pœnas criminibus debitas indulsit. Verum rem malumus in incerto relinquere, quam inanibus conjecturis quidquam temere constituere.

Pag. nota ad an. 322. Basnag. ibid.

Constantinus, & Licinius ad bellum se parant.

4. Sarmatico bello feliciter confecto, uti anno elapso diximus, Gothisque repressis, cum gravius, & periculosius

Jesu Chr. An. 322.

losius bellum, adversus Licinium imminere Constantinus intelligeret, *copiis per urbes distributis, Thessalonicam ipse accessit*, ait Zosimus, *& portu confecto, qui ante hæc ibi nullus erat, rursus ad bellum gerendum contra Licinium se parat*. Civili bello utrosque causam dedisse Scriptores narrant, atque Licinium potissimum, eo quod amicitiæ juribus, sacramentorum religione, generis necessitudine, pactisque initis omnino posthabitis, adversus præstantiorem, id est, adversus Constantinum occultis artibus grassaretur. Enimvero invidiæ stimulis agitatus, tantam Constantini felicitatem inique ferebat; dolebatque maxime, se post Cibellensem pugnam eo fuisse adductum, ut nobiliores sui Imperii provincias Constantino cederet: quare eam semper agendi rationem iniit, quæ Constantini sententiæ, & votis adversaretur, ita ut *Romanum Imperium duas in partes divisum nocti, ac diei simile omnibus videretur. Quippe Orientis quidem incolas caligo noctis premebat; eos vero, qui Occidentis partes habitabant serenissimus illustrabat dies*, ut inquit Eusebius, qui rem ita persequitur: *Cum ille* (idest Licinius) *ad summam prorumperet insaniam, non amplius id ferendum ratus Deo carus Imperator*, Constantinus, *libenti animo opem ferre statuit, iis, qui a Tyranno opprimebantur, & paucis pestibus e medio sublatis innumerabiles prope homines servare*. Sed de hujus belli exitu anno proximo.

Zosim. lib. 2. 21.

Euseb. vita Const. lib. 1. cap. 49.

Euseb. Const. vita lib. 2. 3. Lib. 10. cap. 9.

5. Interea cum milites undique conscribendos Licinius imperasset, accidit, ut Pachomius adhuc gentilis, annum vigesimum tunc agens, nomine militiæ dato, quoddam Thebaidis oppidum una cum sociis peteret: ibique a Christianis loci incolis omni officiorum genere exciperetur. Qua re captus ipse vehementer, postquam sciscitando cognovit, id potissimum in Christianorum moribus esse, ut cum omnibus, sed cum hospitibus maxime benevole atque misericorditer agerent, continuo sibi Christianorum Deo serviendum esse constituit; indeque ne carnis ipsum illecebræ, aut rerum hujus Mundi forte cupido vexarent, Christianorum exemplo, illicita quæque sedulo est aversatus. In exercitu tamen Licinii Imperatoris stipendia meruit, quousque fusus ille a Constantino fuit. Tunc enim Christianæ militiæ nomen extemplo dedit, & sacro baptismate initiatus, paullo post solitariam vitam amplexus est, in eaque ad obitum usque perseveravit, uti infra suo loco videbimus.

Pachomius christianam Fidem amplectitur.

6. In-

Jesu Chr. An. 322.

De Philogonio Episcopo Antiocheno, ejusque gestis. *Theod. lib. 1. 3.*

6. Inter celebriores hujus temporis Episcopos, qui Ario adversati sunt, Philogonius recensetur, quem labenti anno ultimum clausisse diem, vero est admodum simile; sub Licinii autem Imperio floruisse, Theodoretus ita commemorat: *Antiochiæ post Tyrannum* (idest post Maximinum) *pace Ecclesiis primum restituta, Episcopatum sortitus est Vitalis*. Is Ancyranæ, & Neocesariensi synodo subscriptus legitur anno 314. *qui & in Palea Ecclesiam, quæ a Tyrannis destructa fuerat, instauravit. Quem deinceps excipiens Philogonius, & opus residuum fabricæ consumavit, & pro veritatis defensione singulare studium Licinii temporibus declaravit*. Quinquennio ipsum Antiochenæ Ecclesiæ præfuisse Nicephori Chronicon prodit. Anno circiter 318. Vitali Antiocheno successerat, de cujus ordinatione agens Chrysostomus, hæc inter cetera in ejus laudem litteris tradit: *Res*, inquit, *tum erat multæ difficultatis, cum nuper esset sedata persecutio, manentibus etiamnum gravissimæ tempestatis ejus reliquiis. Illud adjungendum erat, quod hæreticorum factio sub illo nata negotium exhibuit*; idest Ariana hæresis, quæ ejus tempore innotescere, & vulgari cœpit: *Porro quod elegerit eum Deus, vel ex ipsa morum integritate perspicuum est; quippe quem ex medio abreptum Foro, ad Thronum hunc evexerit. Adeo castam, & insignem prius vitam egit, cum uxorem haberet, ac filiam, & in Forensibus negotiis versaretur, adeo solem ipsum splendore vicit, ut protinus ab illo gesto magistratu hoc dignus videretur, & a tribunali ad tribunal evectus sit; ac tum quidem hominibus patrocinabatur adversus homines, qui struebant insidias.... hic autem adest hominibus patrocinans, adversus dæmones invadentes*. De ejecto ab Ecclesia Ario ad Philogonium quoque scripserat Alexander Episcopus Alexandrinus: *His consona scripsit ad Philogonium Antiochensis Ecclesiæ antistitem*, ait Theodoretus. Cumque Arianæ perfidiæ totis viribus adversaretur, inter hæreticos, & ineruditos viros ab Ario collocari meruit in epistola ad Eusebium Nicomediensem his verbis: *Philogonium, Hellanicum, & Macarium homines hæreticos, nec eruditos in Fide*. Philogonii autem memoria die 20. Decembris in Ecclesia recolitur.

Chrysost. hom. de S. Philogon. circa med. to. 1. Philogonius ex causidico Episcopus ordinatur.

Theod. lib. 1. 4. & 5.

Martyr. Rom. 20. Decemb.

7. De Philogonii successore dissident veteres. Eusthatium illi successisse, tradit Theodoritus in indiculo Episcoporum Antiochensium: *Antiochiæ Episcopi Vitalis, Philogonius*,

Paulinus Episc. Antioch. post Philogonium. *Theod. lib. 5. 40.*

gonius, *Eusthatius*; quod & confirmat Nicephorus. At Sozomenus, *Crispo*, *&* *Constantino Coss.*, idest ad annum 321., de successione Antiochenorum Præsulum hæc habet: *Antiochiæ, ad Orontem Fluvium sitæ, nemo adhuc post Romanum constitutus fuerat Episcopus, persecutionibus, ut verosimile est, ordinationem fieri probibentibus; cui postmodum Eusthatium ex Berythensi Ecclesia translatum tradit*. At Hieronymus, ceteris antiquior, post Philogonium Paulinum recenset: *Antiochiæ post Tyrannum vigesimus ordinatus Episcopus Vitalis, post quem vigesimus primus Philogonius, cui succedit vigesimus secundus Paulinus, post quem 23. Eusthatius*. Quis fuerit hic Paulinus Antiochiæ Episcopus, num idem, qui hisce diebus Tyriorum regebat Ecclesiam, de quo Eusebius narrat, Ecclesiam ædificasse, in cujus dedicatione idem Eusebius orationem habuit, quam suæ Historiæ inseruit; cui etiam Eusebius Nicomediensis epistolam dedit, excitans, ut Arii, ejusque doctrinæ patrocinium susciperet, in obscuro est. Paulini quoque Antiochensis Orientales Episcopi, Sardicæ congregati, meminerunt in epistola synodica, qua Osium Cordubensem episcopatu abdicarunt; *eo quod Paulino, & Eusthatio, qui Ecclesiæ Antiochenæ præfuerunt, amicus extitisset*. Itaque in summa rei obscuritate ad Valesium, & Pagium, qui eam pluribus persequuntur, lectorem delegamus.

JESU CHR. AN. 323. Niceph. lib. 8. 13. Soz. lib. 1. 2. Euseb. Chron. inter Oper. Hieronym. tom. 8. Euseb lib. 10 4. Theod lib. 1. 6. Sozom. 3. 11. Vales. ad Sozom. lib. 1. cap. 2. Pag. an 319 num. 8.

JESU CHRISTI AN. 323. SYLVESTRI PAPÆ 10.
CONSTANTINI IMP. 17.
COSS. SEVERO, ET RUFFINO.
OLYMP. 275. AN. 3. URBIS AN. 1076.

1. Jamdiu inter se se diffidebant Constantinus, & Licinius: quare hoc tandem anno in apertum bellum res venit. Victis a Constantino Gothis, querebatur Licinius teste Valesii Anonymo in excerptis de Constantino, quod Gothos insequens, suum Imperium Constantinus ingressus fuerat: *Deinde cum variasset inter supplicantia, & superba mandata, iram Constantini merito excitavit*. Dum vero necessaria ad bellum pararentur, ipse *Licinius scelere, avaritia, crudelitate, libidine sæviit; occisis ob divitias pluribus, & uxoribus eorum corruptis*, uti fuse refert Eusebius.

Constantinus Licinio bellum indicit. quæ belli causa præcesserit. Euseb. lib. 10. 8.

2. De anno, quo hæc gesta revera sunt, discrepant Eruditi.

Jesu Chr. An. 323.

Quo anno gestum est bellum Constantinum inter, & Licinium, & quo apparatu.

Bar. an. 318. n. 1.
Tillem. histor. Imp. tom. 4.
Pag. ad an. 318.
Murat. anno 323.
Basnag. an. 323. 324.
Zos. lib. 2. 22.
Euseb. Constantin. Vita lib. 2. cap. 34.

diti. Constantini victorias, & Licinii interitum anno 318. alligavit Baronius, ac *manifesti erroris* ceteros arguit, *qui in aliud tempus Licinianum bellum retulerunt*. Ad labentem tamen annum Liciniani belli initia revocanda esse, ex antiquis monumentis communi consensu Chronologi eruditissimi evincunt. Maximus autem utriusque Imperatoris fuit apparatus; namque Constantini jussu, *naves, quæ singulæ triginta remis agerentur, ducentæ instruebantur, & onerariæ plures quam bis mille, peditum quoque centum, ac viginti, navalium, & equestrium copiarum ad decem millia cogebantur*, ait Zosimus. Præterea pietate etiam & religione, quibus magis fidebat, se muniit Constantinus: *Cum apud se reputasset*, ait Eusebius, *iis, qui in extremas calamitates incidissent, absque ulla dilatione salutarem dexteram porrigere, & militarium quidem copiarum, atque armorum ingentem apparatum coegit; jamque aderant universa tam equitum, quam peditum agmina in unum congregata. Cunctis vero præibant insignia fiduciæ in Deum, Signum videlicet illud, quod supra memoravimus* (Idest Crucis Signum). *Cumque precationibus, si unquam antea, sese tunc maxime indigere intelligeret, sacerdotes Dei secum duxit, eos velut optimos custodes animæ adesse coram, & secum versari debere existimans*. Utque sibi Deum promereretur Christianorum securitati consulens, edicto cavit, ne illorum quisquam ad sacrificia, aut lustrationes cogeretur, rescripto ad Elpidium dato: *Severo, & Rufino Coss.* Cum enim tam periculosum bellum instaret, quo de summa Imperii Constantinum inter, & Licinium agebatur, sacrificia, & lustrationes a Gentilibus pro Constantini victoria Romæ præcipue offerebantur; cumque ad Imperii salutem plurimum ea pro[illegible]esse Gentiles putarent, Christianos etiam iis adesse, & par[illegible]are cogebant, quod ne ultra fieret, Constantinus prohi[illegible]. Lustrorum sacrificia circa pomerium Urbis, agrosque [illegible], ductis victimis, dictisque carminibus die festo, convivioque solemni, de quibus Lucanus lib. 1. carm. 592.

Mox jubet & totam pavidis a civibus Urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro.
Longa per extentos pomeria cingere fines
Pontifices &c.

3. Neque segnius sese interea Licinius gessit; namque Zosi-

JESU CHR. AN. 323.

Licinius armis, & impietate ad bellum se parat.

Zosim. lib. 2.

Zosimo teste : *Dimissis ad Nationes hinc inde nunciis, idoneas bello naves, & equitum peditumque copias instrui jubet*. *Sine mora missæ sunt ab Ægyptiis octoginta triremes, a Phœnicibus totidem, ab Iconibus, & Doriensibus Asiaticis sexaginta, Cyprii triginta, Cares viginti, Bythinii triginta, Lybes quinquaginta suppeditabunt*. *Peditum habebat ad centum quinquaginta prope millia, equitum decem millia, quos Phrygia, Cappadociaque præbebat*. Cumque Constantinus salutis, & victoriæ spem in uno Deo, & salutifero Crucis signo collocasset; Licinius econtra in Deorum suorum cultu spem omnem constituebat; & Constantini pietatem, *utpote impius, risu dignam esse censebat*, inquit Eusebius, *subsannans, & contumeliosis appetens verbis*; divinos quoque, & vates Ægyptiorum, veneficos, & impostores; sacrificulos, ac prophetas falsorum Deorum sibi adjunxit; ac sacrificiis placans illos, quos existimabat Deos, sciscitabatur ex illis quisnam belli exitus futurus esset. Somniorum interpretes, & aruspices eadem de causa consulendos censuit, qui omnes una voce victoriam polliciti sunt. De Oraculo Apollinis Milesii hos versus recitat Sozomenus :

Euf. vit. Const. lib. 2. cap. 4. 5.

Sozom. lib. 1. 7.

O vetule incursant juvenes te bellipotens,
Fracta est vis tua, statque tibi ærumnosa senectus.

Adrianopoli in Thracia castra Licinius initio posuit; Constantinus vero Thessalonicam progressus, prope ripam fluminis Hebri, qui Adrianopolim alluit, cum exercitu substitit. Verum post Licinius montem, qui oppido imminet, occupavit, atque ita, *compluribus diebus, adversatis utrimque castris exercitus substiterunt*.

Idolum christianæ Religioni excidium post adeptam victoriam minatur.

Euseb vit. Const. lib. 2. 5.

4. Cum vero jam pugna instaret, solemnia iterum sacrificia Diis suis Licinius obtulit, Christianæ Religior. tum minatus post victoriam; nam ex protectoribus, ratioribus amicis lectissimos quosque in quemdam loc *ab ipsis sacer habebatur*, *coegit*, ubi lucus erat irrigu., & opacus, in quo plurimæ statuæ eorum, quos ille Deos putabat, sculptæ ex lapide visebantur. Cumque cereos accendisset, & solemni ritu sacrificasset, hæc palam dixisse fertur : *Viri amici, & commilitones, hi quidem, quos colimus, & quos ab ultimis usque Majoribus colendos accepimus, Dii sunt patrii. Iste vero, qui adversarum nobis partium copias ducit, moribus, institutisque Majorum violatis, ad impiam nullos credentium*

JESU CHR. AN. 323. *Deos opinionem descivit; peregrinum quemdam nescio unde quæsitum temere amplectens Deum. Quin etiam turpissimo ejus signo exercitum suum dehonestat; eoque confisus, non tam adversus nos, quam adversus ipsos, quos violavit Deos, armatus procedit. Præsens igitur dies manifeste arguet, uter nostrum cæco errore ducatur; & de Diis, qui apud nos, aut qui ab adversarum partium hominibus coluntur, judicium feret &c. Ita ut si peregrinus ille Deus, quem Constantinus colit, victor esse videbitur, nos quoque illum agnoscere, & colere oportebit, procul abire, ac valere posthac jussis iis, quibus cereos frustra accendimus. Sin vero nostri superiores exstiterint, quod quidem nemini dubium esse potest, post partam hoc loco victoriam, impiis Deorum contemptoribus bellum inferre aggrediemur.* Hactenus Licinii ad suos oratio ex Eusebio, qui se ab iis, qui eidem interfuerant, habuisse testatur. Sed & eodem tempore, quo hæc geruntur, *spectrum quoddam prorsus mirabile in urbibus Tyranni illius dominationi subjectis, apparuisse ferunt. Varia enim Constantini militum agmina per meridiem visa, quæ tanquam parta victoria per urbem transirent.*

Cap. 6.

Crucis trophæo munitus Constantinus Licinium pluries vincit. Cap. 7. 8. 9. 10.

5. Itaque Licinius de victoria vix dubius, prælium exorsus est. Sed quo exitu, ab eodem Eusebio, qui hæc ex Constantino ipso accepit, audiamus: *Constantinus servatore, ac supremo omnium Deo in auxilium vocato, atque hoc Signo militibus suis dato, hostes primo prælio fudit; nec multo post altera commissa pugna, iterum superior discessit, & longe majorem victoriam retulit, cum salutare Crucis trophæum exercitum ipsius antecederet:* Atque de Crucis potentia ad fugandos hostes hæc rursus sequenti capite: *Ubicumque hoc Signum conspectum fuerat, continuo fuga hostium, victoribus terga illorum rei [illegible] s, sequebatur. Quo Imperator comperto, sicubi [illegible] d exercitus sui premi animadverteret, illico salutare [illegible] n, tanquam efficacissimum quoddam ad parandam victoriam amuletum inferri jubebat. Quo facto, statim victoria sequebatur, divina itaque virtute animos, viresque pugnantium confirmante;* & capite octavo: *Itaque lectis ex protectorum numero quot quot corporis viribus, & animi fortitudine, ac veræ Religionis institutis præstare videbantur, unum hoc munus imposuit, ut Signi hujus assiduæ curam gererent. Erant omnes quinquaginta viri, quorum nullum aliud erat officium, quam circumstare, & satellitio suo custodire Signum, quod singuli*

guli humeris suis alternatim gestabant . Hæc Imperator ipse nobis, qui hanc Historiam scribimus, cum in otio ageret, narravit, longo post tempore, quam hæc contigerant : simulque rem quandam adjecit memoratu dignissimam, in hunc modum: *Cum inter pugnandum ingens strepitus exercitum conturbasset, is, qui hoc Signum humeris ferebat, metu perculsus, alteri gestandum tradidit, ut ipse discrimen evaderet. Vix alter ille Signum gestandum susceperat, cum ecce is, qui se subripiens custodiam Signi deseruerat, telo in ventre percussus occubuit. Et hic quidem ignaviæ, atque infidelitatis suæ pœnas persolvens, ibidem jacuit exanimis. At salutare Crucis trophæum ei, qui ipsum sublime gestabat, incolumitatem præstitit; in quem cum tela undique jacerentur, Signifer quidem ipse salvus evasit; hasta vero salutaris Trophæi missilia excepit. Erat id spectaculum omni miraculo majus, cum cuncta hostium tela in brevissimum illum hastæ ambitum caderent. Quæ cum in hastam impacta defigerentur, Signifer servabatur incolumis, adeout nunquam jaculo ferirentur, quicumque hoc ministerium obibant. Neque porro hæc nostra est oratio, sed ipsius Imperatoris, qui inter reliqua, id etiam nobis commemoravit.* Hactenus Eusebius, qui & subdit, Constantinum, una cum filio Crispo Cæsare, adjuvante summo omnium Rege, ac Servatore Deo, facile illustrem victoriam retulisse; nam, ut narrat Zosimus, Hebro flumine præter expectationem superato, Constantinus in hostes improvisus irruens, triginta quatuor millia Licinianorum occidit, ac sub Solis occasum castra cepit; quo in prælio leviter in fœmore fauciatus fuit: *Nec multo post*, uti habet Eusebius, *altera commissa pugna iterum superior discessit*.

Euseb. vita Const.

6. Terrestri pugna bis victus, *suis recollectis quot quot poterat*, ait Zosimus, *per Thraciam properabat Li[illegible] is, ad Classem perveniret*; quem a tergo persequens C[illegible] Byzantium pervenit, quo Licinius confugerat; utque [illegible] oppidum obtineret, navibus suis ad Hellesponti ostium adesse jussis, terra marique obsedit. Navali exercitui Crispus Cæsar præerat, teste Valesii Anonymo, cum octoginta navibus, iisque expeditioribus, & fortioribus. Amandus Licinii dux cum ducentis navibus ad præliandum venerat. Inito prælio Crispus, viribus licet imparibus, Amandum fugavit: nam *sublatis utrinque Signis, Constantini navarchi sic suas agebant naves, ut hostem composite adorirentur. Amandus autem nullo ordi-*

Navali prælio Constantinus Licinium vincit.

Zos. lib. 2. 24.

Jesu Chr. An. 32[illegible].

ordine in adversos impetum faciens, naves suas ob multitudinem in arctum coactas inter se collidebat, quodamque modo demergendas, & varie perdendas hosti præbebat: quare multis militibus in mare præcipitatis, nox superveniens navale prælium diremit. Die vero sequenti cum e portu naves eduxisset Amandus, atque de invadendis hostibus dubius hæreret, validiori austro exorto, tota pene Classis periit; *itaut hominum quinque millia, naves cum hominibus centum & triginta perirent*. Amandus vero cum navibus quatuor dum in Asiam fugeret, Constantini classis Hellespontum accessit, atque pressius Byzantii obsidionem terra, marique urgere cœpit, cum nemo ultra prohiberet.

Licinius Chalcedonem aufugit, iterumque ad bellum se parat.

7. Licinius interea ad consilii inopiam redactus, deserto Byzantio, Chalcedonem Bithyniæ cum maxime idoneis se se recipere statuit, sperans, adhuc se ex Asia exercitum colligere posse. Quamobrem navigio Chalcedonem delatus, Martinianum quemdam Officiorum magistrum Cæsarem dixit, & cum exercitu Lampsacum misit, ut hostes prohiberet, ne Thracia in Helespontum transirent. De Cæsarea dignitate Martiniano collata audiendus est Valesii Anonymus: *Dehinc solita vanitate Licinius Martinianum sibi Cæsarem fecit*. Dein Licinius in collibus, & faucibus, quibus ad Chalcedonem itur, copias suas collocavit; Constantinus vero cum tantam onerariorum, & bellicarum navium copiam haberet, ut adversariorum littus tentare posset, celoces, & cymbas quam citissime struxit, & iis ad promontorium sacrum, quod dicitur ad ostium Ponti situm, quodque Chalcedone ducentis stadiis abest, navigavit, & expositis ibi copiis, quosdam in colles [illegible]endit [illegible]c in iis aciei struendæ locum cepit.

Licinius ad magicas artes confugit.

8. [illegible]ustante itaque nova pugna prope Chalcedonem, Li[illegible]rum vanitatem tam sæpe expertus, ad illicitas ni[illegible] hi[illegible], & magicas artes iterum confugit; ac, ut ait Eusebius: *[illegible]antum abfuit, ut Licinius a pristina improbitate desisteret, quin potius mala malis exaggerans, pejora in dies aggressus est; quin etiam ad Magorum detestandas artes denuo confugiens efferri insolentius cœpit*. Constantinus econtra, eodem Eusebio testante: *Cum altero prælio sibi opus esse cerneret, Servatoris sui cultui diligenter vacavit. Et Crucis quidem tabernaculum fixit extra castra, ubi pure, & caste degens, preces ad Deum fundebat; exemplo veteris illius Prophetæ, quem* extra

Constantinus precibus ad Deum fusis, ad prælium se parat.

Euseb. lib. 2. cap. 11. vita Constantini.

Euseb. cap. 12.

extra castra tabernaculum constituisse divina testantur oracula. Aderant assidui cum eo pauci quidem, sed fidei, ac pietatis insignes sacerdotes. JESU CHR. AN. 323.

9. Cum Constantinus in eo jam esset, ut Licinium aggrederetur, Licinius simulatione utens amicitiam ac pacem petiit, quam certis conditionibus dare non renuit Imperator. *At Licinius specie quidem ipsa fingebat leges se libenter amplecti, & fidem jurejurando firmabat. Verum occulte militarem apparatum instruebat, & Barbarorum auxilia undique conquirebat, novosque circumquaque investigabat Deos, utpote a prioribus in fraudem inductus*. Cum tamen experientia didicisset arcanam quamdam, ac divinam potentiam salutaris Trophei, cujus ope Constantini exercitus victor hactenus fuerat; milites suos admonuit, ne ex adverso illi congrederentur, neve in illud temere, ac fortuito oculos conjicerent, quod sibi privatim infestum, adversumque esse ajebat. Liciniani itaque Deorum multitudine confisi cum ingentibus copiis progrediebantur. Constantinus vero pietatis lorica contectus, salutare, & vivificum Crucis signum, velut terriculamentum quoddam & potissimum ad depellenda mala monimentum hostium multitudini objecit. Ac principio quidem sustinebat, parcens interim ferro, ne videretur prior pugnam iniisse; idque ob foederum quæ pepigerat religionem. Postea quam vero hostes obstinato animo perstare, jamque gladios distringere animadvertit; *indignatione commotus solo clamore, ac minimo temporis momento, cunctas hostium copias in fugam vertit, & de Dæmonibus pariter & hostibus victoriam reportavit*; uti pluribus memorat Zosimus, a quo præterea proditum: *Cum primum hæc evenissent, Byzanthios Constantinum portis apertis excepisse: idem & Chalcedoniis factitantibus*.

Licinius pacem petit. Cap. 16. Cap. 17. Zozim. lib. 2. cap. 26

10. Licinius vero Nicomediam cum [illegible] quis, & paucis peditum millibus elapsus, ibidem [illegible] sessus, sequenti die, ut ait Valesii Anonymus in exce[illegible] *Constantia Soror Constantini, Uxor Licinii, venit ad Castra Fratris, & marito vitam poposcit, & impetravit*. Quare Zosimo referente: *Egressus Urbe Licinius, supplex Constantino factus est, & ad eum allata purpura Imperatorem, ac Dominum clamabat, veniamque præteritorum poscebat; nam vitam sibi certo pollicebatur, cujus nomine jusjurandum uxori ejus a Constantino præstitum fuerat. Martinianum Constantinus satellitibus*

Licinii interitus. Zozim. lib. 2. 28

JESU CHR. AN. 323.

[illegible] *suis occidendum tradidit. Licinio Thessalonicam ablegato velut ibi secure victuro, neque multo post ei violata jurisjurandi religione, (quod quidem Constantino non insolens erat) laqueo vitam ademit.* Hæc Zosimus, qui utpote Gentilis Constantini gesta ubique carpere conatus est.

Constantini Monarchia Ecclesiæ, & Imperio utilis.

Euf. Vit. Const. lib. 2. cap. 18.

11. Licinio perempto, Imperii monarchiam Constantinus adeptus est, ex qua in Rempublicam, & Ecclesiam quamplurima commoda obvenere: *Sublato enim Dei hoste, ejusque familiaribus debito supplicio affectis, quicumque bellum adversus Deum gerere suasissent, debitas capitis pœnas dabant.* Ceteris tamen, qui Licinii partes secuti fuerunt, indulgentiam concessit; quin etiam milites ab hostium cæde, quantum potuit, Constantinus revocavit; promissa etiam auri summa pro hoste
13. capto, & servato. *Quo circa*, ait Eusebius, *non minus hostium, quam militum suorum consulebat saluti. Itaque suis victoriam adeptis præcipiebat, ut victis parcerent. Quod si forte militum animos obstinatos ad cædem videret, auri largitione eos reprimebat, jubens, ut qui hostem vivum cepisset, certo auri pondere donaretur; atque hanc illecebram ad salutem hominum conservandam Imperatoris excogitavit solertia, adeout plurimi ex ipsis etiam Barbaris servati sint, cum Imperatoris aurum vitam ipsorum redemisset.*

Variæ Constantini leges pro Ecclesiis, & Christianis.

Euseb. ut sa. cap. 20.

12. Inter cetera, ut exulem, prostratamque in Oriente christianam Religionem erigeret, variis legibus in eam rem editis, curavit, ac primo eos, qui a Rectoribus provinciarum relegati fuerant, aut persecutionis metu sponte excesserant, revocavit: qui vero eamdem ob causam curiis addicti fuerant, publicis functionibus liberati sunt, & eos, qui facultatum, s[illegible] possessionum spoliationem ob Christi fidem sustinuerant, [illegible] restitui præcepit. Sed & sanctorum Martyrum bona, [illegible] confessione mortem obierant, propinquis eorum dari [illegible] nullus in genere conjunctus reperiretur, Ec[illegible] [illegible]tatem eorum addixit. Bona item, quæ ex Fisco, vel per venditionem, vel donationem ad alios translata fuerant, aut quæ penes Fiscum permanserant, Dominis restitui debere præcepit.

Euseb. cap. 19. 20. 21.

Constantini edicta, quibus pro victoria gratias Deo agit.

Euseb. ut supra cap. 23. 24.

13. Ut vero Deo bonorum omnium auctori debitas gratias redderet, datis per Orbem Romanum epistolis, se Dei munere victoriam obtinuisse, palam testatus est; *idque litteris tum latino, tum græco sermone scriptis*, ait Eusebius; *&*

ad

ad omnes provincias missis prædicavit. Duæ autem in eam rem scriptæ epistolæ fuerunt, *altera ad Ecclesias Dei directa*, *altera ad singulorum Urbium populos a Religione alienos*; *quam quidem*, inquit Eusebius, *utpote præsenti argumento convenientissimam hic inserendam esse duxi. Descripta autem est ex authentico exemplari Legis Imperialis, quod apud nos servatur, cui Principis manu apposita subscriptio, orationis nostræ veritatem tanquam sigillo quodam adstruit*. Inscriptio autem Legis, seu Epistolæ, hæc est: JASU CHR. 323.

Victor Constantinus Max: Aug: Provincialibus Palæstinæ. Cap.24.
Jam pridem apud eos, qui recte, & sapienter de Deo sentiunt, evidenti discrimine, quo omnis dubitatio removetur, apparuit, quantum interesset inter studiosos observatores venerandæ Christianorum Religionis, & inter ejusdem oppugnatores, ac contemptores. Nunc vero evidentioribus argumentis, & rebus gestis multo illustrioribus, tum dubitationis ipsius absurditas, tum quanta sit summi Dei potentia, declaratur. Quippe his quidem, qui venerandam legem fideliter colunt, nullumque ejus præceptum audent dissolvere, omnium bonorum copia, & ad ea, quæ aggressi sunt, perficienda vires idoneæ, cum bona spe, ac fiducia suppetunt. Iis vero, qui i... sententiam amplexi sunt, convenientes rerum eventus con... . Nam quis est, qui cum Deum bonorum auctorem non agno..., eumque debito cultu venerari recuset, quicquam boni unquam consequatur? Res certe ipsæ dictis nostris fidem faciunt. Quod & ex iis, quæ Persecutoribus acciderant, deinde comprobat. Tum addit, se ipsum a Deo electum fuisse, ut, depulsis Perf... ribus, veram pietatem in Deum toto Orbe prædi... *vera enim Deus*, ajebat piissimus Imperator, *minist... tamquam idoneum ad voluntatem suam implendam... nostraque opera uti decrevit, qui ab Oceano illo Br... & ab iis Regionibus, ubi Solem mergi fatalis necessitas ..., initio ducto, cœlesti quadam virtute cuncta, quæ Orbem Terrarum occupaverant, mala expellens, ac dissipans, ut humanum Genus ministerio nostro institutum, atque informatum ad sanctissimæ legis observantiam revocaretur, tum ut beatissima Fides Deo manuducente incrementum acciperet. Neque enim ingratus unquam, & collati beneficii immemor fuerim, cum hoc præstantissimum ministerium summi muneris loco mihi indultum esse certo crederem, ad Orientis tandem partes perveni, quæ cum gra-* Cap.29.

JESU CHR. AN. 324. *vioribus calamitatibus vexarentur, majus quoque remedium postulabant. Prorsus vero animam totam, & omne, quod spiro, quidquid denique in intimis mentis recessibus volvitur, id summo Deo a me deberi firmissime credo.* Tum post aliqua, iterum irrita esse jubet, quæcumque sub Licinii tyrannide adversus Sanctos, & Fidei cultores, vel Ecclesias statuta, aut gesta fuerant.

JESU CHRISTI AN. 324. SILVESTRI PAPÆ II.
CONSTANTINI IMPERATORIS 18.
COSS. CRISPO CÆSARE III., ET CONSTANTINO CÆSARE III.
OLYMP. 275. AN. 4. URBIS AN. 1077.

Constantini gesta pro Fidei Christianæ dilatatione. *Euseb. vit. Constantin. lib. 2. 44. 45. 46.*

1. Constantinus Imperium solus adeptus Fidei dilatandæ zelo incensus, *in singulas provincias eos Præsides, ut plurimum misit, qui salutari Fidei dicati essent, Græcæ vero superstitioni addictis vetitum erat sacrificare.* Eadem lex imposita erat iis, qui anteibant, aut qui primas in Imperio Dignitates Præfecturasque obtinebant; & duas uno eodemque tempore, uti auctor est Eusebius, leges edidit, quarum prima, detestanda idolorum sacri[illegible] [illegible]r Urbes, aut per agros fieri, Deorum statuas erig[illegible] vel divinationes, & hujusmodi vanas artes exerceri prohibuit. Altera vero Oratoriorum fabricas, & Ecclesias Dei ampliores effici jubebat; illud præterea addens, ne pecuniis largiendis Præsides parcerent, sed ex Imperialibus thesauris sumptum ad Ædium sacrarum extructio[illegible] depromerent; insuper ad cujuslibet loci Ecclesiarum An[illegible] [illegible]usmodi litteræ scribebantur, *easque ad me nominatim dedit*, ait Eusebius.

Constantini epistolæ ad Episcopos pro ædificatione, & reparatione Ecclesiarum, *Cap. 46.*

[illegible] Quarum hæc erat forma: *Victor Constantinus Maxi[illegible] [illegible] g. Eusebio. Cum usque ad hanc diem impia præsumptio, & tyrannica violentia ministros Servatoris nostri sit persecuta, pro certo habeo, planeque mihi ipsi persuadeo, omnia Ecclesiarum ædificia, aut per incuriam corrupta, aut præ metu ingruentis temporum iniquitatis minus honorifice exculta esse, Eusebi frater carissime. Nunc vero cum libertas restituta sit, & Draco ille, providentia quidem Dei optimi maximi, ministerio autem nostro, a Republicæ administratione submotus; equidem existimo, Divinam potentiam omnibus clarissime innotuisse, & eos, qui seu metu, seu incredulitate aliquid*

quid peccaverunt, agnito Illo, qui vere est, ad rectam, ac veram vivendi rationem esse reddituros. Quotquot igitur Ecclesiis aut ipse praees, aut alios in singulis locis praesidentes Episcopos, & presbyteros, ac diaconos nosti, cunctos admone, ut in opera Ecclesiarum omni studio, ac diligentia incumbant; quo aut reparentur, quae adhuc manent, aut augeantur in majus, aut sicubi usus postulaverit, novae aedificentur. Quaecumque autem necessaria fuerint, & ipse, & reliqui alii tuo interventu, tum a Praesidibus Provinciarum petent, tum ab officio Praefecturae Praetorianae; his enim per litteras praeceptum est, ut omni diligentia iis, quae tua sanctitas dixerit, obsequantur. Divinitas te servet, Frater carissime. Et hujusmodi quidem epistolae, addit Eusebius, per singulas provincias ad Ecclesiarum Antistites sunt missae: Rectoribus quoque provinciarum mandatum est, ut his conformia exequerentur. Adeoque cum summa celeritate Legis praecepta opere ipso adimplebantur.

JESU CHR. AN. 324.

3. Ad universos etiam Imperii subditos orationem misit, admirabili facundia eos hortatus, ut veteri repudiata superstitione, verum Deum, ejusque Filium Christum Servatorem agnoscerent: quas Constantini litteras manu ejusdem scriptas, ex latino sermone in graecum translatas, suo operi intexere necessarium sibi visum profitetur Eusebius, ut ipsum quodammodo Imperatorem legenti audire videretur cunctorum mortalium auribus in haec verba inclamantem. *Victor Constantinus Maximus Aug. Provincialibus Orientis.* Ejus orationis principio, homines natura sua in diversa ferri adnotat, atque hinc factum, ut Imperatores, qui ipsum praecesserant, Constantio patre suo excepto, immanitatem secuti, veram Religionem subvertere conati essent, & persecutiones adversus Dei cultores excitassent, etsi Christiani soli inter [illegible] justitiam sectarentur. Tum multa de Diocletianae persecutionis acerbitate dicit, tantique sceleris auctores turpi exitu periisse affirmat; & Deum toto corde precatur, ut Ecclesiam, quam nefarii homines scelerata eversione vastarant, ipse instauret, sibique largiatur, ut Christianum populum pacate regere possit. Tandem, ut ii, quae Gentilitatis errore adhuc tenebantur, ipsi quoque eamdem cum Fidelibus religionem amplectantur exoptat, facta tamen cuique potestate, quam vellet religionem profitendi.

Constantini Oratio ad Provinciales, a cultu idolorum eosdem revocans.

Cap. 47. 48. ad 61.

4. Interea, cum felicissimus illuxisset dies, quo Christi Eccle-

Arius pacem Ecclesiae turbat.

JESU CHR. AN.324. Ecclesia a tyrannorum persecutionibus expedita, ac Constantini protectione, Sanctissimisque legibus vallata, secura consisteret, ob easque res vel ipse præ gaudio gestiret Constantinus; *nuncius ei allatus est*, ait Eusebius, *de quodam non mediocri tumultu, qui Ecclesias occupaverat*. Qui autem, & unde hi tumultus exorti essent, non est difficile divinare; ex Meletiano etenim schismate, atque hæresi Ariana, in Ægypto turbas excitatas fuisse, indicat Eusebius: ubi scribit invidia dæmonis insidias fuisse constructas, divinorumque dogmatum obtentu, dissensiones tanquam zizania inter frumenta fuisse disseminatas. Quod quidem incendium in Ecclesia Alexandrina exortum universam primo Ægyptum, & Lybiam, & ulteriorem Thebaidem pervasit, deinde reliquas Romani Imperii provincias depastum est, tanto christianæ Religionis dedecore, *ut in mediis infidelium Theatris, divinæ prædicationis venerabilis doctrina turpissimo risu, ac ludibrio traduceretur*. Duabus itaque, iisque gravissimis plagis tunc afficiebatur Ægyptus, Meletiano schismate, & Ariana hæresi; quibus Colluthianum accessit schisma; quod etsi cito extinctum fuit, Colluthianorum tamen plurimi, a calcaria, ut dicitur, in carbonarium lapsi, Arianis sese adjunxerunt, uti sumus infra dicturi. *Cum itaque*, sequitur Eusebius, *Ecclesiæ corpus* (& præcipue Alexandrina Ecclesia) *hujusmodi morbo laboraret*, *universa Lybia simul etiam ægrotavit*, *& reliquæ exterarum provinciarum partes eodem morbo correptæ sunt*. *Nam qui Alexandriæ erant*, *Legatos ad singularum provinciarum Episcopos dirigebant*; *isti vero in alterutram partem discissi*, *seditioni quoque adjungebantur*. Indicat hoc loco Eusebius epistolas ab Alexandro Episcopo Alexandrino datas tum ad universos Episcopos, tum ad quosdam nominatim, atque eas, quas Arius & Eusebius Nicomediensis, atque pro Arii defensione scripserunt, de quibus anno 321. verba fecimus. Arianis tamen plus justo favisse, hoc vel uno loco prodit Eusebius, quo generatim, tamquam turbarum auctores, fautoresque arguit, qui adversus Arium ejusque hæresim epistolas dederunt; inter quos Alexandrum præcipue Alexandrinum Episcopum sugillat, qui de Ario, ac ejusdem perfidia, cunctos per Orbem Episcopos litteris suis admonendos censuit, ut ejusmodi hæresim illiusque auctorem devitarent.

Euseb. Constant. vita lib. 2. cap. 61.

Euseb. cap. 62.

Constantinus Osium Episcopum Alexandriam mittit.

5. Uti hæc Constantinus intellexit, gravissimo dolore perculsus, quemdam ex his, quos penes se habebat, & quidem mo-

modestia Fidei, & Religionis confessione, superiori tempore præ ceteris nobilitatum, Alexandriam direxit, ut illic dissidentes ad concordiam revocaret; eidemque litteras dedit ad contentionis auctores, utiles in primis ac necessarias. Vir a Constantino Alexandriam ea de causa missus, *ob Fidei modestiam spectabilis, & ob Fidei confessionem illustris*, cujus nomen Eusebius præterit, Osius Cordubensis Episcopus fuit, qui cum hoc tempore in comitatu Constantini esset, ejusque lateri adhæreret, in rebus, quæ Ecclesiæ utilitatem spectabant, consiliarii munere fungebatur. De Osii legatione ad Alexandrinos, pluribus Socrates, & Sozomenus agunt, falliturque vehementer Baronius, qui, nullo idoneo adducto teste, a Romano Pontifice Silvestro illuc missum Osium affirmat.

Jesu Chr. An. 324. *Euseb. C. nstant. vita lib. 2. cap. 62.*

Socrat. lib. 1. 7. Sozom lib. 1. 16. Baron. an. 318. n. 75. 80.

6. Epistolas Alexandro Episcopo, & Ario a Constantino datas non solum commemorat Eusebius, sed & historiæ suæ inseruit; sunt autem ejusmodi; *Victor Constantinus Max. Aug. Alexandro, & Ario. Duabus me causis impulsum fuisse ad earum rerum, quas gessi, ministerium obeundum, ipse conatuum meorum Adjutor, & Servator omnium mihi testis est Deus* (idest, ut omnes gentes ad Dei cognitionem perduceret, & Orbem terrarum a tyrannis oppressum liberaret). *Quippe intelligebam, si communem inter omnes Dei cultores concordiam, sicuti mihi in votis erat, stabilire potuissem, fore ut Reipublicæ administratio mutationem piis omnium sensibus congruentem nancisceretur.* Qua de caussa propositum sibi fuisse, ait, Orientalium opera uti, ad sedandas turbas in Africa a Donatistis excitatas; idque se ante omnia exequi constituisse, post victoriam de Licinio habitam. *Verum*, subdit, *o eximia Dei providentia, quis & qualis nuncius aures meas, seu potius animum ipsum acerbissime sauciavit? cum mihi significatum est, multo graviora inter vos orta esse dissidia, quam sunt illa, quæ in Africa remanserunt, adeo ut partes vestræ, a quibus medelam aliis suppeditari posse sperabam, majore jam curatione indigeant . . . Itaque ad hujus epistolæ scribendæ necessitatem reductus, & ad concordiam utriusque vestrum solerter scribens, invocato ad hoc opus auxilio Divinæ providentiæ, arbitrum me dissensionis vestræ, & quasi pacis moderatorem merito interpono. Controversiæ initium hinc extitisse comperio. Cum enim, tu Alexander, a Presbyteris tuis requireres, quid quisque eorum de quodam legis loco sentiret, seu potius*

Constantini epistola ad Alexandrum Episcopum Alex. & ad Arium. *Euseb vit. Const. lib. 2. cap. 62. ad 73. Socrat. lib. 1. cap. 7.*

Constantini zelus pro pace Ecclesiis procuranda. *Cap. 68.*

JESU CHR. AN. 324.

potius de quadam parte inanis quaestionis eos interrogares, cumque ... Arii id, quod vel nunquam cogitare, vel sane cogitatum silentio premere debueras, imprudenter protulisses; excitata inter vos discordia, communio quidem denegata est; sanctissimus autem populus in duas partes discissus, a totius corporis unitate discessit. Quocirca uterque vestrum veniam vicissim alteri tribuens, id amplectatur, quod conservus vester vobis justissime suadet &c. Post quae, improbata tum Alexandri Episcopi, tum Arii in ea de Divinitate quaestione pertinacia: *Incauta*, inquit, *interrogatio, & inconsulta responsio, in utroque vestrum veniam sibi mutuo concedant. Neque enim de praecipuo, & summo legis nostrae mandato inter vos est orta contentio; neque novum aliquod a vobis de Dei cultu introductum est dogma. Sed unam eamdemque sententiam tenetis; adeout ad communionis societatem coire facile possitis.*

Eusebius Nicomediensis epistolae auctor arguitur.

7. Hic vero antequam cetera, quae in ea epistola Constantinus scribit, persequamur, adnotandum est, de Arianae haeresis initiis, & causa perperam edoctum fuisse Constantinum ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, Arianae perfidiae patrono, quem epistolae ipsius auctorem, vero multum simile videtur. Ipsi itaque tribuendum, quod Imperator scribit eamdem Arii, & Alexandri fidem esse, ac de nullius pene momenti quaestione inter ipsos disputari; cum tamen de summa rerum, scilicet de Jesu Christi Divinitate, Christianae Religionis basi, & fundamento, ad invicem dissiderent; & Alexander quidem cum Ecclesia Catholica, Filium Dei Patri coaeternum, & consubstantialem profiteretur; alter vero, idest Arius, rebus creatis Filium Dei accensendum, impie contenderet.

Constantini exhortatio ad pacem servandam. Euseb. vit. Const. lib. 2. cap. 72.

His praenotatis, reliqua quae Constantinus epistola sua persequitur, videamus: *Reddite igitur mihi*, subdit, *tranquillos dies, & noctes curarum expertes, ut mihi quoque purae lucis voluptas & quietae vitae laetitia imposterum conservetur. Quod nisi consecutus fuero, ingemiscam necesse est, totus lacrymis perfundar, nec reliquum vitae tempus placide exigam. Nam quamdiu populus Dei (conservos meos dico) iniqua & perniciosa contentione discissus est, qui fieri potest, ut ego deinceps animo consistam? Porro ut doloris hac de re mei magnitudinem intelligatis; nuper cum Nicomediam venissem, protinus in Orientem iter facere decreveram. Cumque profectionem urgerem,*

rem, & majore jam ex parte vobiscum essem, hujus rei nuntius consilium nostrum retro avertit; ne cogerer ea coram aspicere, quæ ne auditu quidem tenus tolerare me posse existimaram. Deinceps ergo viam mihi in Orientem aperite consensu vestro, quam mihi mutuis inter vos contentionibus obstruxistis. Date hoc mihi, ut vos, aliosque omnes populos lætos, atque hilares quamprimum videre, & pro communi omnium concordia, & libertate debitas Deo gratias cum unanimi laudum concentu referre possim. Hactenus Constantini epistola ad Alexandrum & Arium; de quo dici verissime potest, zelum Dei habuisse, sed non secundum scientiam; quippe cum Alexandrum Episcopum Alexandrinum, & Arium æque temeritatis, & imprudentiæ arguit. Nam etsi ab Ario dissideret Alexander, pietatis tamen, Fideique servandæ caussa certabat, ideoque laude dignus erat; Arius vero contra supplicio.

JESU CHR. AN. 324.

9. Cum primum Alexandriam pervenit Osius, Sinodum ex tota Ægypto congregavit, uti Athanasius, & Socrates narrant, eique fortasse præfuit: *Quæ Synodus enim, cui ille non præfuerit*, ait Athanasius. Quid autem in ea Synodo gestum fuerit, cum ejusdem acta exciderint, vix ac ne vix quidem ex Athanasio, & Socrate cognoscimus. Inter cetera damnatus Colluthus fuit, seu potius cum pro Episcopo sese gereret, ad Presbyterorum gradum redactus, rescissæque omnes ejusdem ordinationes, de quibus hæc scribunt Presbyteri, & Diaconi qui in Mareote erant, de Ischyræ ordinatione agentes. *Miramur*, inquiunt, *qua ratione Ischyras ad mensuram Ecclesiæ mensus fuerit. Ischyras minister Ecclesiæ nunquam fuit, sed cum se se jampridem jactaret Collnthi esse presbyterum, cognatis exceptis, ejus verbis nemo fidem adhibuit; quippe qui neque Ecclesiam habuerit unquam, neque omnino Clericus fuerit a sui pagi finitimis existimatus. Sed tamen cum talem sibi titulum vindicasset, in Synodo Alexandriæ congregata, præsente Patre nostro Osio depositus, ad Laicorum communionem redactus est, quo etiam in loco subsequenti tempore permansit a falsa presbyteratus suspicione lapsus*. Sabellii præterea dogma damnatum est; deque substantia, & hypostasi quæstio est agitata. *Ceterum Episcopi*, ait Socrates, *qui in Alexandrino Concilio aderant, hanc quæstionem de substantia scilicet, & hypostasi diligenter examinarunt. Etenim Osius Cordubæ Hispaniarum Urbis Episcopus, cum ab Imperatore Constantino ad hoc missus esset*,

Synodus Alexandrina Osio præsente.

Athan. Apol. 1. Socrat. lib. 3 c 7. Athan. apol. de fuga sua tom. 1. pag. 362. Edit. Maur.

Athanas. Apol. contra Arium tom. 1. pag. 190.

Socrat. lib. 3. cap. 7.

Jesu Chr. An. 324. *esset, ut excitatum ab Ario tumultum extingueret, dum Sabellii Libyensis dogma studet avertere, deque substantia, deque hypostasi quaestionem agitavit.* Contra Arii impietatem, ejusque Fautores, quid ea Synodus decreverit, deperditis actis non constat; dubitari tamen vix potest quin Ægyptij Episcopi una cum Alexandro Episcopo Alexandrino, Osio etiam consentiente, Arianam impietatem iterum cum auctore & fautoribus condemnaverint. Verum Socrate auctore: *eousque malum invaluerat, ut nec Imperatoris diligentia, nec auctoritas illius, qui litteras attulerat*, idest Osii, *quidquam profecerit. Nam neque Alexander*, qui Catholicae fidei tutelam prodere non poterat; *neque Arius*, qui ab impietate sua recedere noluit, *molliti sunt, & in ipsa plebe ingens tumultus, & contentio grassabatur; quibus aliisque malis cum Imperator Ecclesiam concuti videret, universalem Synodum, idest Nicaenam congregavit*, de qua anno Sequenti.

Socrat. lib. 1. 8.

JESU CHRISTI AN. 325. SILVESTRI PAPAE 12.
CONSTANTINI IMPERATORIS 19.
COSS. ANICIO PAULINO, ET ANICIO JULIANO.
OLYMP. 173. AN. 1. URBIS AN. 1078.

Cur Synodus Nicaena celebrata fuerit.

1. Annum ingredimur Ecclesiae, & Imperii fastis celeberrimum, Imperio quidem ob Constantini Vicennalia, magno cum plausu celebrata, laetissimum; Ecclesiae vero felicissimum ob Nicaenam Synodum hoc anno habitam, cujus historiam antequam auspicemur, aliqua praenotanda sunt, de Synodi scilicet celebrandae causa, de anno, quo habita fuit, de ejusdem Praeside, ac de Episcoporum numero; deque iis, quae in ea gesta, & canonibus sunt constituta. Neque Osius Constantini Legatus; neque habita Alexandriae Synodus, Arianorum actionem comprimere potuerat, & *Litteris, quas ad Alexandrinos miserat, nihil se profecisse cognoverat* Constantinus; quin Ægyptus Ariana haeresi, ac Meletiano schismate atrocius vexabatur, *& per singulas Urbes Episcopi adversus Episcopos confligebantur, & populi adversus populos insurgebant, & mutuis se vulneribus instar Symplegadum collisi concidebant.* Sed & alius praeterea morbus Ecclesias jamdiu infestabat, prosequitur Eusebius: *dissensio scilicet de salutari festo* (Paschatis). *Quippe alii consuetudinem Judaeorum sequi opor-*

Euseb. Constant. vit. lib. 3. cap. 4. 5.

oportere afferebant, alii tempus ipsum accurate observandum esse ajebant, nec errantibus assentiendum, qui ab evangelica gratia hac etiam in parte alieni essent; unde cum omnes ubique populi jamdudum inter se diffiderent, ac sacri Religionis nostræ Ritus conturbarentur; quippe in uno eodemque festo temporis diversitas maximum dissidium inter feriantes excitabat, cum hi jejuniis, & ærumnis seipsos afficerent, illi otio, ac lætitiæ indulgerent. Itaque ut Ariana hæresis profligaretur, Meletianum schisma tolleretur, & circa Paschatis festum dissidia sopirentur, Constantinus ex consensu Rom. Pontificis, ut refert Scriptor Libri Pontificalis, & significat Ruffinus: *Mox divinam quamdam phalangem instruens, generalem Synodum convocavit, honorificis litteris Episcopos undique invitans, ut quantocius adessent. Nec vero simplex, ac nuda erat jussio, sed præterea multum ad hoc opus contulit Imperatoris benignitas, qui aliis quidem cursus publici copiam præbuit, aliis vero jumentorum usum abunde subministravit.* Ita Eusebius, eademque habent Socrates, & Sozomenus.

Cap. 6.

S. lib. 1. 8. Sozom. lib. 1. 16.

Quo anno, quove loco habita.

2. Synodum vero hoc Christi anno 325., Coss. Paulino, & Juliano, habitam fuisse diserte ipsemet Eusebius, Athanasius, Chalcedonense Concilium tradunt, ut mirum sit in tam certa Concilii epocha Scriptores aliquot errare potuisse. Turpius adhuc labitur Sozomenus, nisi librariis aut memoriæ lapsui error adscribatur, dum illustrium Episcoporum, qui eidem Synodo interfuerunt, mentionem faciens, de Romano Pontifice addit: *Julius vero Episcopus propter senectutem abfuit.* Quid etenim cum Nicæna Synodo Julius Pontifex commune habuit, quæ sub Sylvestro celebrata fuit; nec multum a Sozomeni errore distat Photius, a quo Nicænam Synodum sub Sylvestro, & Julio Pontificibus habitam fuisse . . bitur, quasi vel duo fuerint eo tempore Pontifices, vel cœpta sub Sylvestro, per duodecim, & ultra annos, usque ad Julii Pontificatum perduraverit. Hoc itaque anno eam alligandam esse, non uno in loco Eusebius testatur, ac cum Vicennalibus Constantini concurrisse addit: *Eodem tempore vigesimus Imperii annus complebatur, cujus rei causa cum in omnibus provinciis publicæ festivitates agerentur, Imperator Dei ministros ad convivium vocavit*; & iterum: *Hanc secundam Synodum omnium, quas quidem novimus, maximam Imperator Hierosolymis congregavit, post primam illam, quam in Urbe Bithyniæ*

Sozom. lib. 1. 17.

Photius de septem Conciliis.

Euseb. vit. Const. lib. 2. 15.

Lib. 4. 47.

Jesu Chr. an. 325. *nobilissima collegerat, sed illa quidem*, idest Nicæna, *triumphalis erat in Imperii Vicennalibus*, quæ cum anno labenti concurrebant; ut de Arii erroribus Catholica etiam Ecclesia eo tempore triumpharet, quo de debellato Licinio Ecclesiæ persecutore festivitates agebantur omnique ex parte triumphalis annus existeret; hinc Socrates: *Tempus, quo Synodus congregata est, sicut in notationibus temporis ipsi Synodo præfixis inveni, fuit Consulatu Paulini, & Juliani die undecimo Kal, Junias anno 636. a Regno Alexandri Macedonis*.

Socrat. lib. 1. c. 13.

Quo loco celebrata sit. Euseb. vit. Const. lib. 3. 7. Theod. lib. 1. 7.

3. Quo loco Nicææ convenerint Patres, dissident inter se Eusebius, & Theodoretus; nam primus, *Ædes sacra*, inquit, *velut Dei nutu dilatata, advenientes toto Orbe Episcopos ambitu suo complexa est*. Theodoretus vero in Palatio convenisse narrat: *Cum universi convenissent, amplissimum eis Conclave in Palatio Imperator præparari jussit, sedesque ac subsellia plurima in eo locari, quæ Episcoporum cœtui sufficerent; cumque omnia pro honore illis debito præparasset, ingredi eos jussit, & de rebus propositis deliberare*. Eusebius etiam in Palatio Episcopos die finiendæ quæstioni destinata convenisse tradit: *Die concilio constituta, qua controversias dirimi oporteret, cum singuli præsto essent, ex quibus Synodus constabat, in ipsa media Æde Palatii, quæ reliquas amplitudi ne superare videbatur, plurimis sedilibus ad utrumque ædis latus ordine dispositis, omnes, qui accersiti fuerant, introgressi, suo quisque loco consedere. Postquam universa Synodus cum decenti modestia resedit, omnes primum conticuere, Imperatoris processum expectantes*. Eadem ex Eusebio Sozomenus. Quæ itaque de Æde sacra, in qua Eusebius convenisse Patres, supra tradiderat, de Palatii Oratorio intelligenda esse nonnulli interpretantur. Valesius ...ntra in Ecclesia, quæ Nicææ erat, primum convenisse Patres, ibique præparatorias quodammodo sessiones habuisse scribit; deinde die finiendis quæstionibus constituta, in Palatio Episcopos convenisse, ut Fidei definitionem præsente Imperatore ederent. Quæ sane distinctio probabilitatem habet, dissidentesque inter se Scriptores facile componit.

Cap. 10.

Basnag. an. 328. n. 14.

Vales. ad Euseb. de Const. vit. lib. 3. 10.

De Episcoporum numero. Euseb. Const. vit. lib. 3. 7.

4. Maximum Episcoporum numerum Nicææ convenisse, nemo ignorat: *Etenim ex omnibus Ecclesiis*, ait Eusebius, *quæ universam Europam, Africam, atque Asiam impleverant, ii, qui inter Dei ministros principem locum obtinebant, simul convenere*; Syri scilicet, & Cilices, Phœnices, & Arabes, Palæ-

Palæstini, Ægyptii, præterea Thebæi ex Lybia, & Mesopotamia. Quidam etiam ex Perside Episcopus Synodo interfuit, nec Scytha abfuit; sed & Pontus, Galatia, Pamphylia, & Cappadocia, Asia quoque, & Phrygia lectissimum quemque ex suis præbuere. Adsuere & Thraces, Macedones, Achivi, & Epirotæ, & qui longissimo intervallo ultra hos positi sunt, atque ab ipsa Hispania vir omnium sermone celeberrimus Osius, una cum reliquis aliis consedit. Post hæc addit Eusebius: *In præsenti choro Episcopi quidem supra ducentos & quinquaginta adfuerunt, Presbyterorum vero, qui eos comitati sunt, Diaconorum, Acolithorum, aliorumque complurium numerus iniri vix potest*. Episcoporum numerum auget Eusthasius Antiochenus homilia in ea verba ex proverbiis Salomonis, *Dominus creavit me*, ubi ducentos septuaginta circiter fuisse, dicit; *neque enim numerum certo referre possum, ob ingentem illius multitudinem, nec in eo investigando valde curiosus fui*. Communis tamen opinio fert, tercentos decem & octo Patres Nicænæ Synodo adfuisse, quod & veterum auctoritate confirmatur. *Erant porro universi tercenti decem, & octo*, ait Theodoritus. Eumdem numerum Episcoporum Nicææ adfuisse testatur Athanasius in Epistola ad Afri[illegible] [illegible]asio, & Theodorito consentiunt Hieronymus in C[illegible] [illegible]picius Severus, Ambrosius, & Hilarius.

JESU CHR. AN.325.

Theod. lib. 1. 8.

Theod. lib. 1. 7. Athanas tom. 1. p. 2. pag. 392. Ambro. de fide ad Grat. Hilar. lib. de Synod. pag. 513. edit. Veron.

5. Nec Episcoporum tantum numero, sed & celebritate maximam sibi auctoritatem vindicat Nicæna Synodus. Nam ex iis plurimi vel doctrina, vel pietate, Fidei etiam confessione fulgebant. Inter eos Hosius Cordubæ in Hispania Episcopus, qui Synodo præfuit, eminebat, cujus cum elogio sæpe Athanasius meminit: *De magno, ac felicis senect[illegible] viro, & Confessore revera Hosio, idest Sancto, loqui superv[illegible] neum fuerit . . . . Haud enim obscurus, sed & omnium clarissimus senex ille est. Quæ Synodus enim, cui non ille præfuerit, quandonam sapientibus dictis suis non in suam omnes perduxit sententiam, quænam Ecclesia illius patrocinii, pulcherrima non servat monumenta; quis illum mæstus adiit, quin lætus ab eo recesserit, quis aliquo egens ab eo postulavit, optatumque non abiit assecutus?* Quem vel ipsi Ariani tanti faciebant, ut cum Orbem fere infecissent, nihil tamen eo superstite, & adversante proficisse se crederent: *Nibil nobis*, ajebant ad Constantium, *tanta tua gesta juvabunt, quamdiu Hosius illæsus*

De Hosio Cordubensi, & Alexandro Alexandrino Episcopis.

Athanas. Apol de fuga sua to. 1. pag. 322.

Epist. ad solit. Athanas. tom. 1. pag. 368.

 reman-

Jesu Chr. An.325. remanserit . . . *Si igitur remanserit ille, inutile nobis fuerit aliorum exilium, mox enim de medio tollenda nostra hæresis est &c.* Is in Diocletiani persecutione ob confessionem Fidei in exilium pulsus, postea Illyberitanæ Synodo, Romanæ, & Arelatensi in Donatistarum causa habitis, Alexandrinæ etiam, & Nicænæ non solum adfuit, sed & præfuit: *Nicænam fidem edidit; quæ etenim Synodus, cui ille non præfuerit*, ut Athanasius ait. Pietate, & doctrina Hosio proximus erat Alexander Alexandrinus Episcopus, qui adversus Arianam perfidiam primus vexillum erexerat; quam, ut Nicænæ Synodi sententia prostratam vidit, paulo post, die decima sexta Februarii sequentis anni, de hostium victoria lætus, ad Deum migravit; cum Athanasium sibi successorem futurum, Dei instinctu prænunciasset, ut sequenti anno videbimus.

Apol. de fuga, ut supra.

De Eustasio Antiocheno Episcopo, & Macario Hierosolimitano.

6. Speciali quoque memoria dignus est Eusthasius Antiochenus Episcopus, qui inter tot Episcopos illic congregatos, electus fuit, ut Deo primum, deinde Imperatori gratias ageret; nam Theodoritus, narrato Constantini in Synodum adventu subdit: *Statim magnus Eusthasius Ecclesiæ Antiochensis Episcopus primus omnium Imperatori panegyricum dixit, ejusque erga ... as studium gratulationibus, ac votis remuneratus*. ... Athanasio *Confessor, & fide pius* dicitur, eo quod ... Arianos certans, pro pietate exulque occubuit; cujus memoria die decimasexta Julii ab Ecclesia recolitur. Nec inferioris meriti censendus est Macarius Hierosolymitanus Antistes, quem inter præclarissimos Nicænæ Fidei Defensores Athanasius recenset.

Theod.lib.1. 7.

Athan. ad solit. tom.1. pag.346.

De Leontio Cæsareæ Episcopo, Cæciliano Carthaginensi, aliisque.

7. Adfuit & Leontius in Cappadocia Episcopus, cujus summa ... m laude meminit Gregorius Nazianzenus, dum de patre suo agit, qui hoc anno coram Leontio, aliisque Episcopis baptizatus fuit, dum iidem Nicæam properantes Nazianzo transiissent, quo loco inter cetera de patre suo hæc habet: *Cum ad profligandum nuper exortum Arii insanum dogma, quo Divinitas scindebatur, permulti Episcopi Nicæam properarent, Deo sese veritatisque præconibus tradidit, ac desiderium confitetur, communisque salutis auxilium ab iis poscit* (Gregorius scilicet Nazianzeni pater), *in quibus illustris quoque Leontius erat, qui Metropolim tum nostram*, idest Cæsaream, *moderabatur*; sed & Athanasius inter Fidei Defensores Leontium numerat, cujus memoriam Romanum Martyrologium celebrat.

Greg. Nazianz. in Orat. funeb. Patris sui.

Inter

Inter Nicænos Patres locum habuit Cæcilianus Carthaginensis Episcopus, Donatistarum factione toties vexatus, ut vel hoc uno clypeo innocentiam suam tueri posset; licet a Romana, & Arelatensi Synodo, quin & Constantini judicio satis jam ab illatis calumniis vindicatus fuisset: *Quidam etiam Episcopus ex Perside Concilio adfuit, ac ne Scytha quidem desideratus est in hoc choro*, ait Socrates, postquam dixit: *ex omnibus Ecclesiis, quæ universam Europam, Africam, atque Asiam impleverant ii, qui inter Dei Ministros eminebant, simul convenere.*

Jesu Chr. An. 325.

8. Præ ceteris tamen illustriores fuerunt, qui vel Christi stygmata in suis corporibus ferebant, vel miraculorum gloria fulgebant. Inter eos *Jacobus Episcopus Antiochiæ Mygdoniæ, quam Syri vulgo, & Assirii Nisibin appellant, & mortuos suscitavit, vitæque restituit, & alia plura fecit miracula, quæ huic Operi intexere superfluum existimo*, ait Theodoritus, de quo etiam in Philoteo plura commemorat. Paulus vero Episcopus Neocesareæ ad Euphratis ripas, Licinii rabiem expertus: ambabus enim manibus fuerat debilitatus candente ferro. Aderat quoque Paphnutius Ægyptius, cui poplites succisi fuerant, oculusque in Maximini persecutione evulsus, ac Martyrum turbam illic collectam cernere licebat, ait Theodoritus. Quantum vero miraculis Paphnutius claruerit, idem & Imperator Constantinus *magnopere observabat, & frequenter in Palatium accersebat, effossumque ejus oculum deosculabatur*, Rufinus narrat: eumque signis eousque inclaruisse addit, ut & Dæmones verbo fugaret, ægros oratione curaret, & cœcis, aut paraliticis visum, & salutem tribueret; cujus memoria die undecima Septembris ab Ecclesia recoli ...

De Paphnutio, aliisque.

Theod. lib. 1. 7.

De Paulo Episc. & Fidei Confessione.

Socrat. lib. 1. 11. Ruffin. lib. 1. 4.

9. Paphnutio Spiridionem addimus, Tremithuntis in Cypro Episcopum, qui in Maximini persecutione dextro effosso oculo ac poplite succiso ad metalla damnatus, clarus Fidei confessione, & miraculorum gratia, Nicænam Synodum præsentia sua illustravit: Vir, ut ait Ruffinus, qui etiam in Episcopatu pastoris ovium officio fungebatur. Accidit vero quadam nocte, ut cum ad caulas fures venissent, & manus improbas, quo aditum educendis ovibus facerent, extendissent, invisibilibus quibusdam vinculis restricti usque ad lucem, veluti traditi tortoribus permanserunt. At adveniens Spiridion, & causa noxæ cognita, absolvit sermone, quos meritis vinxerat; qui-

De Spiridione Episc. ejusque gestis.

Jesu Chr. An. 325.

quibus etiam arietem dedit, ne sine causa venisse viderentur. Filiam Spiridion habuit Irenem nomine in virginitate defunctam, quam ad vitam revocasse, narrat Ruffinus, ut depositum cujusdam domi reconditum revelaret. Eademque produnt Socrates, & Sozomenus.

Socrat. lib. 1. 12. Sozom. lib. 1. 11. De Spiridionis severitate. Sozom. ut sup.

10. Cumque aliquando in unum convenissent Episcopi Cypri, ac Tryphillius Ledrorum Episcopus, utpote vir disertissimus, rogatus, ut sermonem ad populum haberet, *cum necesse haberet in medium adducere dictum illud Salvatoris, tolle grabatum tuum, & ambula, mutato nomine pro grabato* Seimpodium *dixit. At Spiridion indignatione commotus: Num tu*, inquit, *præstantior es eo, qui Grabatum dixit, ut te pudeat ejus verbis uti? Quo dicto ex Sacerdotali solio exiliit, spectante populo.*

Episcopi Ariani, qui Synodo adfuerunt. Job. cap. 1. Theod. lib. 1. 7.

11. Sicut olim cum venissent Filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan, ita prorsus in tam venerando sanctorum Patrum cœtu, adfuerunt & Divinitatis hostes, quin in membris suis adfuit Diabolus; siquidem, ut ait Teodoretus: *Erant inter illos quidam, pauci quidem numero, subdoli tamen, ac velut brevia quædam in mari improbitatem suam occultantes, qui Arii blasphemiis occulte patroci[illegible]ntur, aliqui tamen aperte etiam Ario favebant.* Inter eos [illegible]ant Eusebius Nicomediensis Episcopus, Eusebius alter [illegible]reæ in Palæstina Episcopus, ob historiam Ecclesiasticam celeberrimus, Paulinus Tyri, Theognis Nicææ, Patrophilus Scythopolis, Narcissus Nerodiadis, Thomas Marmaricæ, Theodotus Laodiciæ, Athanasius Anazarbi, Gregorius Berythi, Ælius Liddæ, Maris Chalcedonensis, Secundus Ptolemaidis, Paulus Larandis, aliique; quorum tamen pars maxima, ut inferius videbimus, Nicænæ Fidei subscripserunt. Qua autem mente, ex dicendis constabit.

Hosius cum Vito, & Vincentio Synodo præfuerunt. Baron. Orsi, Nat. Alex. Tillem. de Marcha, Pagius, Dupin. aliique. Gelas. Cizicenus lib. 2. hist. Concil. Nicæn. cap. 5. Phot. cap. 88. Socrat. lib. 1. 13.

12. Hosium Cordubensem Episcopum, Vitum, & Vincentium Presbyteros, utpote Sylvestri Pontificis Romani Legatos Nicænæ Synodo præfuisse est adeo exploratum, ut inter eruditos fere conveniat. Id etenim non solum ex Gelasio Ciziceno, Photio, aliisque constat, sed & ex Concilii subscriptionibus aperte colligitur; de quibus hæc Socrates, qui autographa præ manibus habuit: *Ceterum historiæ studiosis haudquaquam inutile fore arbitror, si nomina Episcoporum, qui Nicæam convenerunt . . . hoc loco adscripsero. Hosius Episcopus Cor-*

Cordubæ Hispaniæ, ita credo, ut superius scriptum est. Vitus, & Vincentius Presbyteri Urbis Romæ. Ægypti Alexander Episcopus, Magnæ Antiochiæ Eusthasius, Hierosolymorum Macarius, Harpocratio Cynopoleos, & reliqui, quorum nomina in libro Athanasii Episcopi, qui Synodicus inscribitur, plenissime digesta sunt. Cum itaque Hosius Cordubensis in subscriptionibus primus legatur, non alia de causa id factum est, nisi eo quod Sylvestri Romani Pontificis legatione fungeretur; alioquin modicæ Ecclesiæ in Hispania Episcopus, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano Patriarchis nequaquam fuisset prælatus in eo Concilio, in quo, inter cetera, cautum est, ut præcipuarum Sedium jura illæsa servarentur. Quod etiam in Vito, & Vincentio Presbyteris Romanis clarius adhuc patet. Ecur enim ante Episcopos, ante Patriarchas subscripti leguntur, nisi quia Sylvestri Pontificis vices gerebant, ac locum tenebant? JESU CHR. AN. 325.

13. De Præside Nicæni Concilii agens quidem Launojus, plures eidem præfuisse tradit, ideft præter Hosium Cordubensem Episcopum, Vitum, atque Vincentium Romanos Presbyteros, Alexandrum etiam Episcopum Alexandrinum, Eusthatium Antiochenum; verum istos dignitate, doctrina, aut pietate præstantes, primas quodammodo partes in ea Synodo egisse produnt quidem Scriptores, eidem vero præfuisse nec ullus memorat, neque ulli persuadebit Launojus. Nec meliora sunt, quæ de Eusthasio Antiocheno Episcopo adnotat Basnagius, quem Nicænæ Synodo præfuisse scribit, eo quod primus omnium Imperatori panegyricum dixit, teste Theodoreto, ac primus ad dexteram Imperatoris sedit: *Ex Episcopis is, qui in dextera parte primum locum obtinebat*, ait Eusebius, *consurgens, modica oratione Imperatorem allocutus est, propter illum gratias, & laudes perbibens Omnipotenti Deo*: Quis autem is Episcopus fuerit, qui ad dexteram Imperatoris primus sedit, quique omnium nomine ad Imperatorem verba fecit, & si Theodoretus Eusthasium fuisse scribat, in obscuro est. Sozomenus has partes Eusebio Cæsariensi adscribit, alii Alexandro Episcopo Alexandrino. Veterum sane aliqui, primas Eusthatio partes in Nicæna Synodo dedisse visi sunt, ut Felix Papa III., qui de Petro Fullone ad Zenonem Augustum scribens, habet: *Petrus primogenitus diaboli filius, & qui Sanctam Sedem Pontificatus Ignatii Martyris polluit, qui Petri dexte-*

Launoi, & Basnagii opinio refellitur. *Launoi Op. tom. nit. lib. 8. epist. 1.*

Basnag an. 325. n. 19.

Theod. lib. 1. 7.

Euseb. Const. vit. lib. 3. 11.

Concil. tom. 4. pag. 170.

JESU CHR. AN. 325.

Facund. Hieron. lib. 11. cap. 1.

dextera ordinatus est, Eusthatiique Confessoris, & Præsidentis tercentum decem & octo Patrum, qui in Nicæa convenerant. De Eusthatio etiam Facundus: *Beatus Eusthatius Antiochenus,* ait, *qui primus in Concilio Nicæno fuerit*; & iterum sub finem capitis: *Honoratur cum multis, & præ multis Patribus, tanquam Nicæni Concilii primus existens.* At hæc de Eusthatii primatu, eo sensu explicanda sunt, ut cum ipse inter Orientales non solum primam teneret sedem, sed & pietate, & doctrina fulgeret, inter primos, & præcipuos Nicæni Concilii Patres adscriptus sit; quem & præfuisse, nonnulli scribunt, sed consilio, doctrina, pietate; non vero auctoritate, & loco, nam tertius Synodo subscripsit, eaque de causa inter primos habitus est, quem Hosius una cum Legatis Romanæ Sedis præcessit, ut Concilii subscriptiones testantur.

Episcopi cum Philosophis Gentilibus disputant; eorum aliqui ad Fidem convertuntur.

14. His ad historiæ illustrationem præmissis, nunc gesta persequimur. Cum itaque Nicæam non solum Episcopi convenissent, sed plurimi alii cujuscumque generis & conditionis, Christiani, & Gentiles, ut Imperatorem tot præclare gestis fulgentem viderent, vel ut tantum Episcoporum numerum tot titulis celeberrimum: inter eos etiam Gentiles Philosophi adfuere, quorum unus ceteris petulantior, cum adversus Christianam Religionem multa sophismatum copia despectaret, ac velut alter Goliat humanæ sapientiæ viribus innixus, agminibus Dei viventis, seu Christiano nomini insultaret, Vir quidam illitteratus pene, sed fide armatus, ad silentium non solum coegit, sed ad fidem perduxit. *Quidam ex Gentilium Philosophis horum disputationum participes esse voluerunt; alii quidem, qualis esset Christianorum doctrina cupientes cognoscere; alii vero ob religionem Gentilium, quæ recens aboleri cœperat, Christianis infensi, quæstionem de doctrina fidei ad inanem verborum altercationem deducebant, ut seditiones inter se agitarent, & contraria sibi invicem assererent.* Cumque quidam ex illis insolentius sese jactaret, & sacerdotibus illuderet, Senis quidam ex eorum numero, qui confessione Fidei inclaruerat, arrogantiam hominis non tulit. Sed etsi ejusmodi argutiarum, ac velitationum expers esset, congrediendi cum eo partes suscepit; quæ quidem petulantibus viris, quibus Confessor notus erat, risum excitarunt, modestis vero metum, sollicitis, ne cum viro dicendi peritissimo collatus, ridiculus appareret. Verumtamen dicere permiserunt, neque enim

Sozom. lib. 1. 18. Ruffin. lib. 1. 3.

enim tali ac tanto viro diutius obsistere audebant; quare ad Philosophum: *Audi*, inquit, *in nomine Jesu Christi: Unus est Deus Cœli, Terræque, & visibilium omnium, atque invisibilium Conditor, qui hæc omnia Verbi sui virtute perfecit, & Spiritus sanctitate firmavit. Hic igitur Sermo, quem nos Filium Dei vocamus, hominum errorem, ac ferinam vivendi rationem miseratus, ex muliere nasci voluit, & cum hominibus versari, & pro ipsis mortem oppetere. Iterum verò venturus est Judex eorum, quæ unusquisque gesserit in hac vita. Hæc ita se habere simpliciter credimus. Noli igitur frustra laborare eorum, quæ fide comprehenduntur, quærens confutationes, modumque investigans, quo ista fieri aut non fieri potuerint. Sed si credis, interroganti mihi responde. Hoc sermone obstupefactus Philosophus, Credo*, inquit; *& gratias agens, quod victus fuisset, eadem, quæ senior sentire cœpit, & iis, qui pari modo, quo ipse antea, affecti erant, suasit, ut ipsi quoque idem sentirent, jurejurando affirmans, se non sine Dei numine mutatum, sed inexplicabili quadam virtute impulsum esse*. Aliud ejusdem generis portentum narrat Socrates, laicum scilicet hominem, ex confessorum tamen numero, Dialecticorum turbam simplici sermone compressisse. *Socrat. lib. 1. 8.*

15. Illustrior adhuc fuit victoria, quam de Philosopho Gentili Alexander Constantinopolitanus Episcopus, non multis ab hinc annis retulit; de quibus hæc Sozomenus: *Quo tempore Constantinus Byzantium venit, adeuntes eum quidam Philosophi, conquesti sunt, quod non recte Deum coleret, & sacrorum ritus innovaret, novum cultum in Rempublicam introducens, contra morem, institutumque Majorum suorum, & omnium retro Principum, qui vel apud Græcos, vel apud Romanos unquam fuisse memorantur. Petebantque, ut de hac doctrina cùm Alexandro Episcopo disputarent. Ille vero, licet in hujusmodi certaminibus parum alioquin exercitatus, vitæ tamen integritate fretus (erat enim vir bonus, atque honestus) certamen subiit, Imperatore ita præcipiente. Itaque cum Philosophi convenissent, ac simul omnes disputare vellent; postulavit Alexander, ut unum ex ipsis, quem vellent, eligerent, reliqui verò sedentes silentium servarent. Cumque unus ex illis disputandi partes suscepisset, in nomine Jesu Christi, inquit illi Alexander, præcipio tibi, ne loquaris. Quo dicto, protinus vir ille frænata lingua obmutuit*. hæc Sozomenus.

Philosophus ethnicus ab Alexandro CP. Episcopo ad silentium adigitur.

Jesu Chr. an. 325.

Episcoporum mutuæ querelæ ad Constantinum delatæ.

Sozom. lib. 1. 17.

Constantinus Episcoporum causas cognoscere detrectat.

16. Interea cum Nicææ commorantes præfinitam ad conveniendum diem expectarent, Episcoporum nonnulli quasdam inter se simultates habentes, oblatis Constantino Imperatori libellis, sibi crimina invicem objicebant; quæ quotidiè cum fierent, jussit Imperator, ut singuli una die suas accusationes proferrent. At, ut Sozomenus, & Ruffinus narrant: *Ubi constitutus dies advenit, Imperator acceptis libellis, qui ipsi erant oblati, Mihi, inquit, cum homo sim, nefas est hujusmodi rerum cognitionem mihi arrogare, cum, & qui accusant, & qui accusantur, Sacerdotes sint. Neque enim illos oportet tales se præbere, ut ab aliis judicentur. Agedum igitur divinam clementiam in danda mutuo venia imitantes, deletis accusationibus, pacis fœdera jungamus, & causam fidei tractare studeamus, cujus gratia in hunc convenimus locum. His dictis, Imperator singulorum criminationem cessare, & libellos cremari jussit*. Sed & Theodoritus addit, Constantinum jurasse, se ne verbum quidem ex tot libellis legisse: *Postea verò cum pacem inter Episcopos composuisset, prolatos in medium libellos coram ipsis exussit, jurejurando affirmans, nihil eorum quæ scripta essent, a se lectum fuisse; nefas enim esse ajebat, ut Sacerdotum delicta ad vulgi notitiam pervenirent, ne populus offendiculi occasionem inde arripiens, licentius ad flagitia prorumperet. Illud quoque adjecisse dicitur, se, si Episcopum adulterium perpetrantem oculis suis videret, illegittimum facinus paludamento suo obtecturum esse, ne hujus facinoris spectaculum spectatoribus noxium esset*. Hactenus de Constantini obsequio Episcopis exhibito; quorum delicta non solum judicare recusavit, sed nequidem scire voluit: quod exemplum Gregorius Magnus Mauritio, & Nicolaus primus Michaeli Imperatoribus ad imitandum proponunt.

Theodor. lib. 1. 11.

Greg. epist. lib. 4. 75.

Arii doctrina SS. Patrum traditioni adversari convincitur.

Ruffin. lib. 1. 3.

Sozom. ut sup.

17. Ubi vero Nicæam convenerunt Patres, per dies singulos conventus agebantur, nec facile, aut temere de re tanta statuere audebant. Evocabatur frequenter Arius in Concilium, & assiduo tractatu assertiones ejus discutiebantur, & quid adversus hæc teneri deberet, aut statui cum summa diligentia quærebatur. Totius porro disputationis scopus in eo erat, num Arii doctrina veterum Traditioni consentiret, nec ne, cum ex sola veterum Traditione ea quæstio definienda esset. Hinc, ut ait Sozomenus, cum disputatio, uti fieri solet, in varias distraheretur quæstiones, *alii quidem suadebant, ne præter fidem ab initio*

tio traditam quidquam innovaretur, præcipue illi, quos morum simplicitas induxerat, ut fidem in Deum sine curiosa discussione susciperent; alii contendebant veterum opiniones sine ullo examine sequi non oportere. Dumque hæc Catholicos inter & Arianos quæstio agitaretur, plerique, qui ceteris doctrina præstabant, Constantino Imperatori, cunctisque, qui in comitatu erant, innotuere; ac inter alios Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ tunc Diaconus, qui ex illo tempore præcipuus Arianorum adversarius detectus e' Jesu Chr. an. 325.

18. Postquam *Episcopi assidue convenientes, Ario in medi.. adducto, assertiones ejus summa diligentia examinarunt, adveniente die, quæ finiendis controversiis fuerat constituta*; id-est decima nona Junii, qua Synodi Acta obsignata sunt, in Palatio congregati sessionem habuere, de qua Eusebium, qui gestis interfuit, audire præstat. *Die Concilio constituta, qua controversias dirimi oporteret, cum singuli præsto essent, ex quibus Synodus constabat; in ipsa media æde palatii, quæ reliquas amplitudine superare videbatur, plurimis sedilibus ad utrumque ædis latus ordine dispositis, omnes, qui accersiti fuerant, introgressi, suo quisque loco, consedere. Postquam universa Synodus cum decenti modestia resedit, omnes primum conticuere, Imperatoris processum expectantes. Mox unus ex proximis Imperatoris, deinde alter, ac tertius ingreditur. Præcedebant quoque alii, non ut moris est ex militum ac Protectorum numero; sed ex amicis ii soli, qui fidem Christi profitebantur. Cumque signo dato, quo Imperatoris introitus nuntiabatur, omnes assurrexissent, tandem ipse medius incedens advenit, velut quidam cælestis Dei Angelus; purpureæ quidem vestis fulgore oculos omnium perstringens, & flammeis quibusdam radiis collucens, ad hæc auri, & lapillorum eximio splendore exornatus. Et hujusmodi quidem corporis cultus erat. Quod vero ad animum spectat, satis apparebat, eum timore Dei, ac religione decoratum esse; atque id indicabant oculi demissi, rubor in vultu, & motus corporis, atque incessus, sed & reliqua corporis species, proceritas scilicet, qua cunctos, qui circa ipsum erant, longe superabat. Nec statura solum, sed etiam formæ decore, & totius corporis venusta quadam majestate, invicto denique virium robore cæteros anteibat. Quæ quidem omnia admirabili modestia, & Imperatoria lenitate temperata, eximiam, & omni laude majorem mentis illius præstantiam declarabant. Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primum medius stetit. Positaque ante eum humili sella ex auro fa-*

[Margin: ...stantinus ...næ Sinodo adest. Sozom. lib. 1. 19. Socrat. lib. 1. 18. Euseb. vita Const. lib. 3. cap. 10. 11.]

[Margin: Imperatoris adventus in Synodum, ejusque modestia.]

JESU CHR. AN.325. *brefacta non prius assedit, quam Episcopi ei innuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere. Tum ex Episcopis is, qui in dextra parte primum locum obtinebat, consurgens, modica oratione Imperatorem allocutus est, propter illum gratias, & laudes peribens Omnipotenti Deo.* Quis autem fuerit hic Episcopus, qui ad dexteram Imperatoris primo loco sedebat oratione sua laudavit Imperatorem, ac Deo gratias egit, in controversiam venit, ut supra adnotavimus.

Constant. oratio ad Synodum Euseb. lib. 3. vit. Const. cap. 12. 19. *Postquam ille etiam assedit, mox cuncti defixis in Imperatorem oculis, silentium fecere*, ait Eusebius. *Ille lætis oculis, & placido vultu universos intuitus, ac deinde mentem in se colligens, leni, & moderata voce ejusmodi verba fecit: Hæc erat summa votorum meorum, Carissimi, ut cœtus vestri conspectu mihi quandoque frui contingeret. Cujus voti compos nunc factus, Deo omnium Regi gratias ago, qui præter innumera alia beneficia, hoc omnium bonorum maximum mihi spectare concessit; ut scilicet vos, in unum omnes congregatis, & conspirantibus animis, unum idemque sentientes viderem. Nullus igitur posthac malevolus hostis felicem rerum nostrarum statum perturbet, nec post deletam funditus, ac sublatam, Dei Servatoris auxilio, tyrannidem eorum, qui Deo bellum indixerant, rursus malignus dæmon alia via, ac ratione divinam legem maledictis, & calumniis exponat. Quippe intestina seditio Ecclesiæ Dei, mihi quidem omni bello, & concertatione gravior, ac periculosior videtur; nec externæ res tantum animo meo dolorem afferunt, quantum hæc negotia. Optans, ut huic malo mea quoque opera remedium adhiberetur, absque ulla cunctatione omnes vos accersendos curavi; & maximam quidem animo capio voluptatem, cum vos congregatos intueor. Sed me ex voto rem gessisse tunc demum existimabo, cum vestrum omnium animos inter se conjunctos, ac permistos videro, unamque velut omnium arbitram pacem, atque concordiam; quam quidem vos utpote Deo consecrati, aliis suadere, ac prædicare debetis. Date igitur operam, o carissimi Dei ministri, & communis omnium vestrum Domini, ac Servatoris fideles famuli, ut sublatis quamprimum mutuæ inter vos dissensionis causis, omnes contraversiarum nodos pacis legibus sine ulla mora dissolvatis. Hac enim ratione, & Summo omnium Deo rem gratissimam facturi, & mihi conservo vestro ingens beneficium collaturi estis. Hæc ille cum Latino sermone dixisset, alius quispiam Græcè interpretatus est.* Latino au-

no autem idiomate potius, quam Græco usus est Constantinus, etsi utrumque calleret, ut Romani Imperii morem servaret, quo fiebat, ut Romanum tantum eloquium in solemnibus hujusmodi Actis adhiberetur. JESU CHR. AN.325.

20. *Præsidibus deinde Concilii sermonem concessit*, subdit Eusebius. Cumque Episcoporum plurimi varias iterum quæstiones, aut accusationes protulissent, horum querelas Imperator patientissime audiens, propositas quæstiones ab utraque parte excitatas componere ac sedare curavit, pertinacius certantes paulatim ad meliora revocavit, ac alios vi rationum adductos in suam sententiam traxit, alios oravit; donec eos concordes in omnibus, de quibus antea certabatur, & consentientes effecit. *Adeo ut non modo unius Fidei consonantia apud omnes obtineret; verum etiam unum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur. Porro ea, quæ in commune placuerant, scriptis mandata, & singulorum subscriptione roborata sunt.* Hucusque Eusebius, paucis perstringens, quæ in Synodo gesta sunt, & quæ fuerint in ea Imperatoris partes innuens, attente scilicet audire, paci studere, favere veritati, & fovere concordiam, tumultus comprimere, discrepantes a veritate ad rectæ fidei semitam revocare, & in omnibus de Fide Catholica benemereri, non autem ferre suffragium, vel causam sententia definire, vel quidpiam, inconsultis Patribus, decernere.

Mutuæ Episcoporum querelæ, & disputationes.

Eufeb., ut supra cap. 13.

21. Quanta autem animi indignatione a Patribus Nicænis excepta sit Arii doctrina, Arianorumque fidei formula, licet Eusebius id prætererit, ex Athanasio cognoscimus oculato teste, a quo litteris proditum, quod cum aperte, & absque ulla circuitione blasphemias suas coram Synodo Arius evomuisset, *idest Christum neque verum Deum esse, sed eum, ut & alios omnes, Deum communicatione appellari*, atque ex nihilo factum, & creatum, & fuisse tempus, cum non esset, antequam scilicet crearetur; tum etiam *Filium non solum proprium Patrem accurate non cognoscere, sed ne propriam quidem sui naturam & alia similia, Hæreticus declaratus fuit; atque, Ego*, inquit, *certe vel solum dum hæc scriberem, memetipsum expurgabam, tum contraria cogitando, tum rectam fidem firmissime retinendo: etenim ipsi quoque omnes Episcopi in Nicæna synodo undique congregati ad hæc verba aures continebant, omnesque propterea uno consensu hanc hæresim condemnaverunt, atque anathemate perculerunt.* Ita Athanasius, qui alibi etiam expositis Arii blasphemiis

Arianorum doctrina a Patribus cum execratione rejecta.

Athan. epist. ad Episc. Ægypti, & Lybiæ tom. 1. pag. 282.

JESU CHR. AN. 325. miis, hæc addit: *Sane hæc causa fuit, cur generalis Synodus Arium ista effutientem repulerit ex Ecclesia, cujus impietatem cum ferre non posset, anathemate percussit.*

Athan. contra Arianos Orat. 1. Tomo 1. pag. 411.

Eusebiani interrogantur.

22. Post anathema in Arium, ejusque hæresim a Nicænis Patribus dictum, ad Eusebianos, quorum eadem fere cum Ario sententia erat, sese Synodi zelus convertit, & ut erant in sua impietate pertinaces, moliebanturque cum ipso Deo pugnare; Episcopi, qui convenerant mansuete, imprimis ac perhumaniter ab illis postularunt, ut de his, quæ dicebant rationem redderent: at ut loqui cœperunt, ipsorum protinus perfidia patuit, cognitumque eodem ipsos cum Ario anathemate feriendos esse, nisi sententiam retractassent. Episcopi itaque, Eusebianorum vocabulis rescissis, sanam, & ecclesiasticam fidem adversus illos exposuerunt, cui cum omnes subscripsissent, Eusebiani *his vocabulis, quæ nunc reprehendunt, subscripsere*, ait Athanasius, nempe *quod Dei Filius ex substantia sit Patris, eique Consubstantialis, & quod neque res creata, vel facta, vel condita sit, sed quod Verbum ex Patris substantia sit genitum. Ipse Eusebius Cæsareæ in Palæstina Episcopus, qui pridie restiterat, postea subscripsit, hancque Ecclesiæ fidem, & Patrum traditionem esse, missis ad suam Ecclesiam epistolis, significavit.*

Arianorum fidei formula a Synodo rejicitur.

Theodor. lib. 1. 7. 8.

23. Post hæc tamen, fidei formulam Synodo Eusebiani obtulerunt, tot tantisque blasphemiis refertam, ut vix lectam, ait Theodoritus, *statim omnes discerpsere, spuriam, atque adulterinam [illegible] appellantes. Cumque ingens omnium tumultus contra eos coortus esset, & tamquam proditores Fidei ab universis accusarentur, dictu perculsi exurrexerunt, primique, exceptis Secundo ac Theona, Arium excommunicarunt. Hunc in modum illo ab Ecclesia exturbato, cum formulam fidei a Nicænis Patribus conscriptam, subscritionibus suis confirmassent, Concilium dimisere. Verum illi, quos supra nominavi*, idest Ariani, & Eusebiani cum sociis, *subdole, & parum sincere huic fidei consenserunt*; quod & capite sequenti confirmans, addit, Eusebianos *Episcopali dignitate per ambitum, & assiduas interpellationes retenta, cum eos pænitentiam agere oporteret, damnatas opiniones nunc clam, nunc aperte defendisse.* Ut autem suas Sedes retinere possent, non solum simulate Ariano dogmati anathema dixerunt, sed & Imperatoris opem implorarunt, ut in epistola ad Nicomedienses testatur Constantinus. *Idem iste Eusebius, amantissimi & carissimi, cum quanta putatis concursatione, utpote ab ipsa*

cap. 8.

Theodor. lib. 1. 20.

ipsa conscientia convictus, quanta cum ignominia confutatæ undique falsitati patrocinatus est, nunc diversos homines clam ad me mittens, qui pro ipso orarent, nunc auxilium aliquod a me postulans, ne tanti sceleris convictus, honoris sui gradu depelleretur.

JESU CHR. AN.325.

24. Interea ut omnem ambiguitatem tollerent, ac Filii Dei divinitatem, æternitatem, & perfectam cum Patre æqualitatem assererent Nicæni Patres, eumdem Patri Consubstantialem, seu ejusdem substantiæ esse declararunt. *Quo circa rescripsere, Filium esse ex Dei substantia, ut nempe istud ex Deo, non commune Filii, & rerum factarum esse existimaretur, sed ut crederetur, cætera quidem omnia esse creata, solum autem Verbum esse ex Patre*, & iterum: *Cum autem rursus Episcopi dicerent, scribendum esse, Verbum virtutem veram, imaginemque Patris esse, eique in omnibus sine ulla prorsus varietate esse simillimum, denique immutabile, semperque esse, ac sine divisione in ipso esse. Nec enim unquam non fuit, sed fuit semper Verbum, quod, & ab æternitate apud Patrem extitit, tamquam lucis Splendor: his autem cum Eusebiani repugnare non auderent, utpote quos suppudebat convictos, & confutatos fuisse; tamen deprehensi sunt inter se iterum murmurare, oculisque innuere* has voces, *simile, semper, virtutem*, hominibus quoque cum Dei Filio esse communes, ac proinde nihil illis molestum videri, si hæc a Synodo approbarentur. Quorum ea in re simulationem animadvertentes Episcopi, dolumque esse in cordibus eorum, clarioribus verbis Fidem exponere coacti sunt, ac Dei Filium Patri Consubstantialem esse decreverunt, ut scilicet significarent, Filium non tantum similem, sed eamdem rem similitudine esse ex Patre, atque ut similitudinem, & imitationem Filii, aliam omnino esse ostenderent ab ea imitatione, quæ in hominibus esse videtur: *Idcirco Synodus ea re perspecta, eum esse Consubstantialem recte scripsit, ut & hæreticorum perversitatem everteret, & Verbum aliud a factis rebus esse ostenderet; hinc illa voce scripta, statim Patres subjungunt: His vero, qui dicunt Filium Dei ex nihilo, sive ex non existentibus esse, vel creatum, vel mutabilem, vel factum, vel ex alia substantia, anathema dicit Sancta, & Catholica Ecclesia. Quibus utique dictis aperte declaratur, his vocabulis ex Substantia, & Consubstantialis, deleri impietatis vocabula*; eademque sæpe repetit Athanasius, quæ longum esset exscribere, atque ex Atha-

Dei Filium Patri consubstantialem esse Nicæni Patres asserunt.

Athan. de Decretis Nicen. Synod. p.225.

JESU CHR. AN. 325. Theod. lib. 1. 8. Theod. lib. 1. 2.

Athanasio adnotat Theodoretus. Neque ad designandam Verbi Dei Divinitatem, ac cum Patre omnimodam æqualitatem, Consubstantialis vox tunc primum inventa est, qua nonnullos ex veteribus insignes Episcopos, & disertos Scriptores, in explicanda Patris, ac Filii Divinitate, *usos esse cognovimus*; ajebat ipse Eusebius in sua ad Cæsarienses epistola.

Nicæni Patres fidei formulam vulgant, cui omnes fere subscribunt. Athan. epist. ad Monach. Tomo 1. pag. 369. Ruffin. lib. 1. 5. Socr. lib. 1. 8.

25. In fidei formula edenda, primas partes Osium habuisse, vel ipsi Ariani testati sunt; *Hic Synodis præesse solet. Hic Nicænam fidem edidit*. Nicænæ fidei subscripserunt, non solum Catholici, sed & Ariani, paucis exceptis; *Decem, & septem soli tunc fuisse creduntur*, ait Ruffinus, *quibus Arii fides magis placeret*, hunc numerum Socrates minuit, ac quinque tantum Consubstantialis vocem repudiasse scribit, Eusebium scilicet Nicomediensem Episcopum, Theognim Nicææ, Marim Chalcedonensem, Theonam Marmaricæ, & Secundum Ptolemaidis qui etiam vocem Consubstantialis plurimis cavillis, ac dicteriis infectati Arii depositioni subscribere recusarunt. Quam ob causam Synodus quidem Arium, & omnes, qui cum eo sentiebant, anathemate percussit, adjecto insuper, ne Alexandriam ingredi ei liceret. Imperator vero tum Arium ipsum, tum Eusebium, ac Theognim exilio mulctavit; *At Eusebius quidem, & Theognis paulo post quam in exilium missi sunt, oblato pœnitentiæ libello in fidem Consubstantialis consensere*, ait Socrates. In eo tamen fallitur, dum narrat Eusebium Nicomediensem, & Theognim a Synodo anathemate percussos fuisse; eo quod Nicænæ fidei subscribere recusaverint, eosque deinde oblato palinodiæ libello ab exilio revocatos fuisse; cum e contra sciamus eosdem, si non mente, manu saltem subscripsisse, & nonnisi post Nicænam Synodum, *ob apertam, quam profitebantur, impietatem dejectos esse*, Eusebium scilicet Nicomediensem, & Theognim Episcopum Nicææ, ac in exilium missos, sed postmodum oblato libello iterum suis sedibus restitutos, uti suo loco videbimus. Duo itaque tantum Episcopi, idest Secundus Ptolemaidis, & Theonas Marmaricæ Nicænæ fidei, & damnationi Arii subscribere recusarunt, eaque de causa una cum Ario damnati sunt; ficto tamen animo, & depositionis metu, quamplurimos eorum subscripsisse supra adnotavimus, quare ait Athanasius: *Isti ergo morbum animi sui occultantes, Episcoporum enim multitudinem reformidabant, expositioni Synodi consenserunt*. Nicæni etiam Patres in Synodica epistola Ecclesiis Ægypti, Pentapolis, & Lybiæ,

Theod. lib. 1. 19.

biæ, duos tantum, ideft Secundum, & Theonam cum Ario damnatos fuisse teftantur: *Tantum vero*, inquiunt, *vim habuit Arii impietas, ut Theonam Marmuricæ, & Secundum Ptolemaidis Epifcopum fecum in exitium pertraxerit, nam & in iftos eadem, quæ in illum, lata fententia eft*; Eufebium quoque Nicomedienfem, & Theognim addidifsent, fi iidem eadem fententia complexi effent, ut narrat Socrates. Sed & Hieronymus Eufebium Nicomedienfem, Theognim aliofque a Synodo receptos fuiffe ait: *An tandem, & tunc recepti funt Ariani? Quinam quæfo? Orthodoxus, Eufebius Nicomedienfis, Theognis Epifcopus Nicææ, Saras tum presbyter Lybiæ, Eufebius Cæfareæ Palæftinæ*. Omnes itaque, Secundo, & Theona exceptis, Nicænæ fidei tunc fubfcripferunt; unde Athanafius: *Eufebius quoque his ipfis vocabulis, quæ nunc reprehendunt, fubfcripfit, nempe quod Dei Filius ex fubftantia fit Patris, eique Confubftantialis*.

Athan. de dec. Syn. Nicæn. tom. pag. 210.

26. De Eufebio vero Cæfarienfi fubdit: *Ipfe Eufebius Cæfareæ in Palæftina Epifcopus, qui pridie refliterat, poftea fubfcripfit, hancque Ecclefiæ fidem & Patrum traditionem effe, miffis ad fuum Ecclefiam litteris fignificavit*. Socrates vero: *Cum in fynodo paululum hæfitavifset, fecumque expendifset, utrum admittenda effet fidei formula, tandem & ipfe una cum reliquis afsenfus eft, & fubfcripfit, & Cæfarienfibus fuis confcriptam fidei formulam mifit, vocem Confubftantialis interpretatus; ne quis finiftrum quidpiam de ipfo fufpicaretur, eo quod aliquantulum fubftitifset*. Eufebii deinde epiftolam refert, quæ a Theodoreto hiftoriæ fuæ inferta fuit, ac inter cætera hæc habet: *Quæ de fide Ecclefiaftica in magno Concilio Nicææ congregato tractata funt, ea quidem verifimile eft jam vos aliunde didiciffe, fratres cariffimi, cum accuratam rerum geftarum narrationem fama plerumque foleat præcurrere. Verum ne iftiufmodi rumore res vobis aliter nuntietur, quam fe habet, neceffarium putavimus ad vos mittere, primum quidem eam fidei formulam, quæ a nobis propofita eft; deinde alteram, quam Epifcopi, quibufdam appendicibus ad noftram adjectis, promulgarunt. Noftra igitur formula, quæ in confpectu Imperatoris Deo cariffimi lectu, recte, ac probe fe habere omnibus vifa eft*. Hinc, adjecta fidei formula a fe oblata, fubjicit eam Synodo non fatisfeciffe, quod Confubftantialis vocem fuppreffiffet, ideoque *hujufmodi formulam confcriptam: Credimus in unum Deum*, quibus additum eft de Jefu Chrifto,

Eufebius Cæfarienfis vocem Confubftantialis approbat.

Socrat. lib. 1. 8.

Socr. lib. 1. 8. Theod. lib. 1. 12.

Eufebii epiftola ad Cæfarienfes.

JESU CHR. AN. 325.

genitum non factum, Consubstantialem Patri. Narrat deinde ob vocem Consubstantialis varias ortas fuisse quæstiones; Dei tamen Filium Patri consubstantialem dici posse pluribus probat: *Quandoquidem*, ait, *non nullos ex veteribus insignes Episcopos, & disertos scriptores in explicanda Patris, ac Filii Divinitate hoc vocabulo Consubstantialis usos esse cognovimus. Atque hæc dicta sint de fide, quæ Nicææ promulgata est, cui quidem omnes consensimus non leviter, & inconsulto; sed juxta sensus allatos, qui coram ipso religiosissimo Imperatore discussi, ob rationes superius expositas ab omnibus comprobati sunt*. Hæc, aliaque in eamdem rem in sua epistola ad Cæsarienses Eusebius, dum adhuc Nicææ esset; sed an ex animo, vel ficte subscripserit, dubitari potest; cum & eadem epistola Arianismi non solum semina, sed & venena contineat, iis præsertim verbis, quibus adnotat: *Priusquam actu gigneretur* Filius Dei, *potentia erat* in Patre *ingenita quadam ratione*. Falsissimum quippe est Dei Filium apud Patrem prius potentia fuisse, quam actu: alioquin æternus non esset, & fuisset tempus cum non erat, eoque sensu, non aliter ac cæteræ res creatæ, Dei Filius æternus diceretur; cum res cunctæ antequam actu fuerint, potentia apud Deum essent. Hinc Socrates, etsi Eusebii epistolam historiæ suæ inseruerit; ea tamen verba, quæ Arianam impietatem continent, prætermisit: quod an incogitanter fecerit, vel data opera, ut Eusebii famæ consuleret, ignoramus. Cæterum Eusebii Orthodoxia inde etiam suspecta est, quod post Nicænam synodum cum Arianæ factionis Coriphæis fœdere conjunctus fuerit, atque pari studio contra catholicæ Fidei assertores certaverit, uti ex dicendis infra clarius constabit.

Nicæna Synodus Arium ejusque scripta condemnat.

Athan. orat. 1. contra Arianos tomo 1. pag. 408.

27 Damnata Arii sententia ejusque Thalia, seu Crapularum libro, quo, uti habet Athanasius: *Fucatus & Sotadeus Arius simulat quidem se de Deo loqui, cum Scripturarum vocibus utitur*; *at nihil id impedit, quominus Atheus, & impius esse undique convincatur*; *quippe qui Dei filium audeat negare, eumque inter res creatas annumeret*; deinde expositis Arii blasphemiis in Thalia insertis: *Quis ergo his, & carmine Thaliæ auditis, Arium quasi in scena de hujusmodi rebus jocantem jure non oderit*? multaque alia tum ibi, alibique passim de Arii impietate addit, ejusque libro, quem una cum Auctore Nicæni Patres

Socr. lib. 1. 9.

condemnarunt: *Sciendum est*, ait Socrates, *Arium de opinione sua librum quemdum composuisse, quem Thaliam inscripsit*; *est*

est autem dicendi genus molle ac solutum, Sotadicis carminibus non absimile, quem quidem librum tunc temporis etiam Synodus condemnavit. In synodica autem epistola ad Episcopos Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis Nicæni Patres de Synodi gestis scribunt atque admonent, Arium una cum ejusdem blasphemiis anathemate percussum fuisse, ejusque sententiæ participes Theonam Marmaricæ, & Secundum Ptolemaidis Episcopum fuisse.

Synodica Epistola ad Ægypti Episcopos

28. Imperator Constantinus Arium non solum exilio multavit, sed & ejus libros ipse quoque damnavit, Arianosque Porphirianos vocari hac lege præcepit: *Cum malos, & impios homines imitatus sit Arius, eamdem cum illis pœnam infamiæ meretur subire. Quemadmodum ergo Porphirius veræ pietatis inimicus, compositis adversus Christianam Religionem nefariis voluminibus, dignam mercedem retulit, ut & ipse infamis sit apud posteros, multisque appetitus opprobriis, & impii ejus libri penitus fuerint aboliti; ita nunc placuit, Arium sectatoresque ejus Porphirianos vocari, ut cujus imitati sunt mores, ejus etiam vocabulo appellentur. Præterea si quis forte liber ab Ario conscriptus reperiatur, flammis eum absumi præcipimus, ut non solum prava illius doctrina funditus aboleatur; sed ne monumentum quidem ejus ullum posteritati relinquatur. Illud etiam denuntio, quod si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, nec eum statim oblatum igne combusserit, mortis pœnam subibit. Simulatque enim in hoc facinore fuerit deprehensus, capitali supplicio ferietur. Divinitas vos servet*. Sozomenus vero addit: *Multas quoque alias per singulas civitates direxisse epistolas contra Arium, & eos, qui idem cum illo sentiebant*. Constantini edictum contra Arium memorat Theodosius junior in eo, quod contra Nestorium promulgavit, his verbis: *Quemadmodum lege divinæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis, Ariani a Porphirio Porphiriani nuncupantur, sic ubique participes nefariæ sectæ Nestorii, Simoniani vocentur*.

Constantini edictum contra Arium, ejusque libros
Socr. lib. 1. 9.
Sozom. lib. 1. 21.

lib. Cod. de haeret.

29. Alexandrinos quoque, ut damnationi hæresis Arianæ subscriberent, hortatus est Imperator, datis ad ipsos epistolis, in quibus postquam & Nicænæ Synodi gesta, & Arii diabolicæ fraudis & machinationis architecti damnationem exposuit: *Ad commune corpus, & ad propria nostra membra omni studio properemus*, inquit; *Hoc enim & prudentiæ, & fidei, ac sanctitati vestræ convenit, ut convicto errore illius, quem constat esse veritatis inimicum, ad divinam gratiam redeatis. Nam quod*

Constantini Epistola ad Alexan. ut ab Arii impietate caverent.
Socr. lib. 1. 9.

JESU CHR. AN. 316. *trecentis placuit Episcopis, nihil aliud existimandum est, quam Dei sententia, præsertim cum in tantorum virorum mentibus insidens Spiritus Sanctus divinam voluntatem aperuit.* Hæc Imperator ad Alexandrinam Ecclesiam; ex quibus, ut ibidem adnotat Socrates, falsitatis, ac impudentiæ manifestæ arguitur Sabinus Macedonianæ sectæ antesignanus, qui Nicææ congregatos Patres *rudes, omnique scientia destitutos fuisse* asserit, *neque illud reputat, eos, qui ad Synodum illam convenerunt, quamvis rudes essent, atque imperiti, Dei tamen, & Spiritus Sancti gratia illustratos, nullatenus a veritate aberrare potuisse.* Sed de his hactenus.

Meletianum Schisma componitur.

30. Ariana hæresi confossa, ad tollendum Meletii Schisma, quod Ecclesias Ægypti diu vexaverat, animum converterunt Nicæni Patres: quod ut consequerentur, rigorem lenitate temperantes statuerunt, ut Meletius, qui temere Episcopatum invaserat, & schisma conflaverat, Episcopi quidem nomen retineret, ab officio tamen cessaret; qui vero ab eo ordinati erant Presbyteri, in officio quidem perseverarent, sed ita, ut ordinatis ab Alexandro inferiores essent, iisque locum cederent; ut ex Synodali epistola ad Ecclesias Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis scripta constat, quam Theodoretus, & Socrates recitant. Ne tamen Meletius Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos tamquam ante Nicænæ Synodi decretum ordinatos, superinduceret, neve hujus decreti occasione *multas venderet ordinationes, & quotidie novos, tamquam a se antiquitus ordinatos mendacio subjiceret*, ut ait Athanasius, breviarium, seu indiculum Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum suæ factionis a Meletio exegit; quod Apologia sua Athanasius his verbis recitat: *Breviarium a Meletio datum Alexandro Episcopo. Ego Meletius Lycopoli, Lucius Antinopoli, Phasileus Hermopoli, Achilles Cusis, Ammonius Diospoli. In Ptolemaide: Pachimes Tentyris. In Maximianopoli: Theodorus in Copto. In Thebaide: Cales Hermeti, Colluthus in superiore Cyno, Pelagius Oxyrinchi, Isaac Letopoli, Heraclides in Niciis, Isaac Cleopatride, Melas in Arsenoite. In Heliopoli: Amor Leontopoli, Ision Athribi. In Pharbeto: Harpocration Bubasti, Moses Phacusis, Callinicus Pelusii, Eudæmon Tani, Ephraim Thmui. In Sai: Hermæon in Cyno, & Busiri, Sotericbus in Sebennyto, Pininuthes Pothenegy, Cronius Meteli, Agathammon in Alexandrinorum territorio: Memphi Joannes jussus est ab Imperatore, ut*

Theod. lib. 1. 9. Socr. lib. 1. 9.

Indiculus Meletianorum clericorum Alexandro exhibitus. Athan. Apolog. pag. 187. tom. 1.

ut Archiepiscopo adesset; & hi quidem in Ægypto. Clerici autem, quos Alexandriæ habuit: Apollonius presbyter, Irenæus presbyter, Dioscorus presbyter, Tyrannus presbyter; Diaconi: Timotheus diaconus, Antinous diaconus, Hephæstion diaconus, & Macarius Castrorum presbyter. At ne sic quidem vitare potuit Alexander, quin Meletiani novos inducerent a se ordinatos clericos; quorum unus fuit Ischiras, qui in Mareote presbyterum se esse mendacissime jactabatur, atque ex Athanasii impudentissimis calumniatoribus fuit, uti infra videbimus.

31. Majoris momenti quæstio altera de die Paschatis ab eadem Nicæna Synodo de medio finita fuit. Etsi etenim Rom. Pontificis, conciliorumque Occidentis, & Orientis auctoritate statutum fuisset, die Dominica post decimamquartam Lunam Martii Pascha ubique & ab omnibus celebrandum esse; Ecclesiæ tamen plurimæ in Syria, Cilicia, & Mesopotamia, antiquam adhuc consuetudinem, seu errorem retinentes, cum Judæis Luna decimaquarta Paschale festum celebrabant, quoties is dies in Dominicam incidebat; quod etiam in caussa fuit cur Synodus cogeretur, quemadmodum prodit aperte Athanasius in hæc verba: *Quod si caussam Nicæni conventus a caussis eorum, qui postea coierunt, discernere velis, invenies Nicænam Synodum rationabili caussa coactam fuisse... ob Arianam enim hæresim, & controversiam Paschatis celebrata fuit; eo quod Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, nobiscum dissentiebant in temporibus Paschatis celebrandi, quod eodem die cum Judæis celebrabant, sed gratia Domino nostro, quia & de fide, & de sacro illo festo in concordiam itum est.* Quo igitur in tanti Festi celebratione Ecclesiarum omnium concors disciplina esset, cautum est a Nicænis Patribus, ut, veteri abdicato errore, imposterum toto Orbe juxta apostolicam traditionem Dominica die post Lunam decimamquartam celebraretur Paschale festum.

Nicænæ Synodi de Paschate Decretum.

Athan. epist. ad Afric. tom. 2. pag. 893.

32. Constantinus vero epistolis suis omnes ubique Ecclesias hortatus est, ut definitioni Concilii subscriberent, eamdemque servarent disciplinam, hæc inter cætera scribens: *Ubi de sanctissimo Paschæ die quæsitum fuisset, communi omnium sententia decretum est eam Festivitatem uno, eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere. Quid enim pulchrius, quid honestius nobis esse possit, quam ut hæc festivitas, a qua spem immortalitatis accepimus, uno eodemque ordine, & certa ratione ab omnibus inof-*

Constantini epistola ad Orbis Ecclesias de celebratione Paschatis.

Theodor. lib. 1. 10.

Socrat. lib. 1. 9.

JESU CHR. AN. 316. *inoffense observetur?* Post multa in eamdem rem, iterum: *consideret quæso vestræ Sanctitatis solertia, quam grave sit, & indecorum, iisdem diebus alios quidem jejuniis intentos esse; alios vero convivia celebrare; & post dies Paschæ, alios quidem in festivitatibus, & animorum remissione versari, alios vero definitis vacare jejuniis. Hoc itaque convenienti emendatione corrigi, & ad unam eamdemque formam redigi divina vult Providentia, quemadmodum omnes, meo quidem judicio, intelligitis; ut scilicet, quod in Urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum, per Hispaniam, Gallias, Brittannias, Lybias; per universam Achajam; per Asianam, & Ponticam Diœcesim; per Ciliciam denique concordi sententia observatur, id vestra quoque prudentia libentibus animis amplectatur.* Hæc, aliaque Constantinus de Nicænæ Synodi sententia, ut uno, eodemque die ab omnibus Paschale festum celebraretur: cui disciplinæ sicuti omnes ubique Ecclesiæ subscripserunt; ita Antiochena Synodus non multo post tempore, idest anno 341. habita, anathemate eos feriit, qui decretum magnæ Synodi violare, ac cum Judæis Luna decimaquarta Paschale festum celebrare præsumpsissent.

Nicæna Synodus lunares cyclos confici jussit. *Ambros. Epist.* 23.

33. Ut autem in Paschatis festo omnes ubique Ecclesiæ in unam diem convenire possent, lunares cyclos eadem Synodus conficiendos curavit: *Non mediocris esse sapientiæ*, ait Ambrosius, *diem celebritatis definire Paschatis, & Scriptura divina nos instruit, & traditio majorum, qui convenientes ad Synodum Nicænam inter illa fidei, ut vera, ita & admiranda decreta, etiam super celebritate memorata congregatis peritissimis calculandi, decem, & novem annorum collegere rationem, & quasi quemdam constituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaterida nuncupaverunt*; quam provinciam Alexandrinis Episcopis, utpote Astronomiæ peritioribus datam fuisse S. Leo Pontifex testatur: *Quamvis Paschale festum semper in primo mense celebrandum sit; ita tamen est Lunaris cursus conditione mutabilis, ut plerumque sacratissimi diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque, quod non licet, ut non simul omnis Ecclesia, quod nonnisi unum esse oporteat, observet. Studuereque sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes; quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam,*

S. Leo Epist. ad Marcianum Imperatorem.

qui

qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis eveniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter percurreret. Extant porro adhuc Theophili Alexandrini Episcopi Paschales epistolæ aliquot a s. Hieronymo latinitate donatæ.

34. Eusebius etiam Cæsariensis Paschalem cyclum edidit, seu librum de Paschali festo, quem Constantino dicavit; de quo ita idem Eusebius: *Ille*, idest Constantinus, *Ecclesiis Dei provida semper mente consulens, de conficiendis sacris codicibus, & de festo Paschali ad nos epistolam scripsit; nam cum nos librum quemdam, quo arcana illius Festi ratio erat exposita, ei noncupassemus, quomodo nos responsionis suæ honore vicissim remuneratus sit, ex ejus litteris perspici potest*. Constantini deinde epistolam recitat, qua opus gratissimum sibi fuisse testatur, atque ut alia sibi mittat hortatur, his verbis. *Cum igitur intelligas, quanta cum voluptate hujusmodi munera a solertia tua nobis oblata suscipimus, cura, ut frequentioribus posthac sermonibus, quibus te innutritum esse profiteris, animum nostrum exhilares*. De eodem Eusebii libro Hieronymus: *Hippolytus rationem Paschæ, temporumque canones scripsit, & sexdecim annorum circulum reperit, & Eusebio, qui super eodem Pascha canonem decem & novem annorum circuli composuit, occasionem dedit*. Non semel tamen post Nicænam Synodum accidit, ut etsi in eo convenirent Catholici, Paschalem solemnitatem Dominica die post Lunam decimamquartam Martii celebrari oportere, nihilominus ob diversas computandi rationes, aliquando de ejusdem celebratione disputatum, erratumque fuerit; aliquando etiam Orientales ab Occidentalibus dissenserint: de quibus plura videri possunt apud Norisium Dissertatione de Paschali Latinorum Cyclo, ut cæteros prætereamus.

Eusebius Cyclum Paschalem edit. *Euseb. vita Constantini. Lib. 4. cap. 35. 34.*

Hier. de Vir. Ill. cap. 61.

35. Ut Novatiani etiam Ecclesiæ reconciliarentur, Acesius ejusdem sectæ Episcopus ad concilium vocatus est, qui edita jam fidei formula, ab Imperatore interrogatus, num Synodi definitioni consentiret: *Nihil novi*, inquit, *a concilio definitum est; sic enim olim ab initio, & ab ipsis Apostolorum temporibus, tum fidei definitionem, tum festi Paschalis tempus traditum accepi*. Rursus vero ab Imperatore interpellatus, cur se ab Ecclesiæ communione sejunxisset; ille res sub Decio persecutionis tempore gestas commemoravit, & vigorem severæ illius regulæ protulit: eos scilicet, qui post baptismum ejusmodi cri-

Novatiani ad unitatem ab Imperatore invitati, sed frustra. *Socrat. lib. 1. 10.*

crimen admiserint, quod peccatum ad mortem divinæ Scripturæ pronuntiant, ad divinorum mysteriorum communionem admitti non oportere, sed ad pœnitentiam quidem invitandos esse, remissionis vero spem non a sacerdotibus expectare eos debere, verum a Deo, qui solus jus, potestatemque habet dimittendi peccata. Quæ cum dixisset Acesius, subjunxit Imperator: *Pone scalam, Acesi, & in cœlum solus ascende. Hæc ego*, ait Socrates, *accepi ab homine haudquaquam vano, qui quidem admodum provecta erat ætate, & ea narrabat, quæ ipse in Concilio geri viderat*; is autem Auxanon Novatianorum presbyter fuit, ut idem Socrates capite XIII. tradit: similia habet Sozomenus; de quorum tamen veritate vehementer suspicatur Valesius ob Eusebii silentium, sed immerito. Quid enim mirum schismaticum Episcopum ad Synodum vocatum fuisse, ut Nicænæ fidei subscriberet, & catholicæ Ecclesiæ, si fieri potuisset, reconciliaretur? Cætera, quæ ibidem Valesius adnotat, ut Socratis narrationi fidem elevet, leviora adeo sunt, ut confutatione non indigeant.

Socrat. lib. 1. 21.
Vales. in not. ad Socrat. loco cit.

De numero canonum Nycænæ Synodi.

36. Quare his missis ad utiliora pergendum, & expositis jam, quæ a Nicænis Patribus gesta sunt pro Fide tuenda, pro unitate Ecclesiæ, & concordia fovenda, dicendum de iis, quæ ad restaurandam Ecclesiæ disciplinam sancita sunt. Numerum Canonum Nicæni Concilii eousque nonnulli auxerunt, ut octoginta eos fuisse tradiderint; viginti tamen tantummodo fuisse, exploratius est, quam ut probari debeat: *Post hæc*, ait Theodoretus, *Episcopi rursum in unum convenientes de Ecclesiæ disciplina viginti leges conscripsere*. Ruffinus quidem viginti duo numerat. Sed hujus differentiæ caussa est, quod sextum, & octavum Canonem in duas partes dividit. His adde, quod cum quinto ineunte sæculo, quæstio inter Zozimum Romanum Pontificem, & Africanos Patres, de appellationibus ad Sedem Apostolicam exorta esset, eaque de causa Africani Episcopi ad Antiochenam, Alexandrinam, & Constantinopolitanam Ecclesiam legatos misissent, qui exemplaria Concilii Nicæni authentica consulerent, inque Africam deferrent, viginti tantum in antiquis earum ecclesiarum codicibus canones inventi sunt. Ambrosius quidem ad Vercellensem Ecclesiam scribens de bigamis non ordinandis, tradit: *Hoc non solum Apostolum de Episcopo, & Presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatus addidisse, neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia*

Theod. lib. 1. 8.

Contan. pag. 982.

Ambr. Epist. 63. num. 64.

gia fortitus est : hic vero canon in Nicænorum numero non legitur. Hieronymus etiam de auctoritate libri Judith agens : *Hunc librum*, inquit, *Nicæna Synodus in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse*; quæ pariter in Nicænis canonibus desiderantur, quare naufragium aliquod ejusmodi Synodi acta, & canones passos fuisse Baronius, aliique suspicantur. Quin tamen Ambrosius, & Hieronymus, aut memoriæ lapsu, aut errore decepti, eos Synodo Nicanæ adscripserint canones, vix dubitamus, quod viris alioquin eruditis alias accidisse scimus; & ne longius exempla petamus, vel ipse Zosimus Romanus Pontifex Sardicensem canonem pro Nicæno, ad sui ipsius sententiam confirmandam, Africanis Patribus objecit, in errorem inde facile lapsus, quod Nicænis canonibus Sardicenses adjuncti essent, atque absque ulla prorsus distinctione in codice, quo usus est Zosimus, Nicænos canones sequerentur Sardicenses. Nil itaque mirum alterius Concilii canones pro Nicænis Ambrosium, vel Hieronymum citasse, in quam rem plura apud Maurinum S. Ambrosii editorem, & Nat. Alexandrum videri possunt.

Hieron. Epist. 111.

Bar. 325. 158.

Nat. Alex. histor. Ecclesf. 4. sec. 1. dissert. 18

37. His de numero prænotatis, quid Nicæni statuerint canones videndum superest. Primus itaque ex versione Dionysii Exigui, qua utimur, hæc habet : *Si quis in ægritudine a medicis sectus est, vel a Barbaris astratus, placuit ut iste permaneat in Clero, si quis autem sanus se ipsum abscidit, etiam si est in Clero, cessare debet, & ex hoc nullum talem oportet ordinari, &c.* Huic canoni Leontium Antiochenum presbyterum, qui seipsum absque necessitate castraverat, ut Liberius cum Eustolia virgine, seu scorto viveret, causam dedisse nonnulli putant; quod an verum sit, ignoramus, non enim constat Leontium ante Nicænam Synodum id facinoris admisisse. Contra Nicænos quidem Canones eum Episcopum ordinatum fuisse, Theodoretus adnotat, quod æque verum est, sive Nicænam Synodum ejusdem mutilatio præcesserit, aut subsecuta fuerit. Ad rem nostram adnotare juvabit, eousque ea ætate mutilationem frequentatam fuisse, ut paullo post Nicænam Synodum, stylum in hujusmodi facinus acuerit Auctor libri de Virginitate Zetojo Melitensi Episcopo dicati, qui Basilio quidem a Combefisio, & Dupinio inscribitur; a Tillemontio vero, & Garnerio Basilii editore, inter apocrypha Basilii opuscula recensetur.

Quid Nicæni canones statuant.

Tom. 1. Concil. Hard. p. 324.

Baron. 325. n. 147.

Athan. Apol. de fuga sua in fine Epist. ad Solit.

Theodor. lib. 1. 24.

Basilii Oper. tom. 3. in Append.

38. Canone secundo prohibet Synodus, homines recen-

De Neophytis non ordinandis.

JESU CHR. AN. 325. ter baptizatos ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoveri; cum dicat Apostolus de eligendis ad Episcopatum, vel Presbyteratum, *non Neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat, & in laqueum diaboli*. Tertio, ut Clericorum continentiæ consuleret Synodus, Episcopo, Presbytero, vel Diacono, & ceteris, qui in Clero sunt, subintroductas habere mulieres prohibet, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt. De canonis sensu, aut mente non est opus, ut pluribus disputemus; Clericos enim cum mulieribus habitare vetat, ne in eadem domo morantes, illicitis implicarentur cupiditatibus, de quibus Hieronymus: *Unde in ecclesiasticis Agapetarum pestis introiit, unde sine nuptiis aliud nomen uxorum; imo unde novum concubinarum genus*. Quas vero *subintroductas* appellat Synodus, alibi *cohabitantes* etiam, *contubernales*, *adoptivæ*, *extraneæ*, *Sorores*, *Agapetæ* dictæ sunt. Hanc clericorum cum mulieribus sub eodem tecto cohabitationem ante Nicænam Synodum, Antiochena contra Paulum Samosatenum congregata prohibuerat: neque sequentis postea temporibus unquam destitit Ecclesia hanc clericalis vitæ corruptelam, editis in eam rem canonibus, detestari.

De vetita Clericorum cum mulieribus cohabitatione.

Eusеb. lib. 7. 30.

Minores clerici cum uxoribus habitabant.

39. Subintroductarum autem mulierum nomine, uxores Clericorum, qui in inferioribus ministrabant ordinibus, idest Subdiaconorum ceterorumque, nequaquam veniebant, quibus cum uxore non solum habitare, sed & procreandis liberis operam dare permittebatur; quod etiam, si vera narrat Socrates, uxoratis Episcopis ex Nicænorum Patrum sententia licitum erat; nam de Paphnutii Episcopi gestis agens adnotat: *Visum erat Episcopis novam legem in Ecclesiam inducere; ut quicumque in sacrum Ordinem allecti essent, idest Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxorum, quas cum laici essent, matrimonii jure sibi sociaverant, concubitu abstinerent; cumque hac re in medium proposita, singulorum sententiæ rogarentur, surgens in medio Episcoporum consessu Paphnutius, vehementer vociferatus est non esse imponendum Clericis, & Sacerdotibus hoc jugum, honorabiles nuptias, & torum immaculatum esse dicens, ne ex nimia severitate damnum potius inferrent Ecclesiæ*, cum non omnes continentiæ jugum ferre possent; ac satis esse addidit, ut juxta veterem Ecclesiæ traditionem, qui in Clerum adscriberentur, non amplius uxores ducerent. *Atque hæc dixit ipse non*

Socras. lib. 1. 11.

non modo conjugii, sed muliebris congressus penitus expers, quippe qui a puero in Monasterio educatus fuisset, & ob singularem castimoniam ab omnibus celebratus. Paphnutii sententiæ Synodum subscripsisse, ac eorum, qui uxores habebant arbitrio reliquisse, ut iis uterentur, vel a concubitu abstinerent, addit Socrates, eademque Sozomenus, Cassiodorus, aliique. Atque in eamdem rem alio loco idem refert Socrates, Episcoporum arbitrio sua ætate fuisse abstinere ab uxoribus, vel liberos procreare: *In Oriente cuncti sua sponte etiam Episcopi ab uxoribus abstinent, nulla lege, aut necessitate constricti. Multi enim illorum, Episcopatus etiam sui tempore, liberos ex legitimo conjugio susceperunt.* In Thessalia tamen, Thessalonica, Macedonia, Achaja, aliam omnino disciplinam viguisse narrat, ita ut, quisquis ex clero cum uxore concubuisset, depositionis pœna plecteretur; quod in Occidentalibus Ecclesiis ubique, semperque observatum fuisse testes sunt Siricius, Innocentius, & Leo Romani Pontifices, Hieronymus, aliique innumeri; atque jamdiu ante Nicænam Synodum ab Illyberitanis Patribus statutum id fuerat: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis, & non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* Quod vel ab ipsis Apostolorum temporibus, in Oriente æque ac in Occidente, in usu fuisse, Hieronymus scribere non dubitavit: *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut vidui, aut certe post Sacerdotium pudici*; & adversus Jovinianum: *Certe confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur*; eumdemque disciplinæ vigorem non apud Occidentales tantum viguisse scribit; sed & apud Orientales: *Quid*, inquit, *facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & sedes Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desierunt?* De Orientali Ecclesia idem confirmat S. Epiphanius: *Sanctum Sacerdotium ex virginibus quidem, ut plurimum procedens; si vero non ex virginibus, aut ex solitariam vitam ducentibus; si vero hi non suffecerint ad ministerium, hi, qui continent a propriis uxoribus, accipiantur*; & iterum cum dixisset, eos, qui procreandis liberis daut operam, in clerum Ecclesiam non admittere, etsi unam tantum habuerint uxorem, sed

Jesu Chr. an. 325.

Sozom. lib. 1. 23. Cassiod. tripar. lib. 2. 14. Socrat. lib. 5. 22.

Illyber. can. 33

Hier. epist. 50.

Epiph. hær. 59

Jesu Chr. an 325. Baron. 325. n. 151.

eos tantum, qui ea vel orbati essent, vel vivente sese continerent, protinus addit: *Nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi*, & Hypodiaconi liberos *suscipiunt*. *Respondeo*, inquit, *non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere, ac connivere solet*; his verbis aperte eorum luxuriam condemnans, qui contra canonum auctoritatem, in sacris ordinibus constituti, non tamen Episcopali dignitate præditi (quibus nec ipsa temporum corruptela favebat) sed Presbyteratus vel Diaconatus honore, nihilhominus cum uxoribus suis commiscebantur.

Socratis historia de Paphnutii dictis in concilio Niceno suspecta. *Vales. not. in Socr. u loc. cit. Ors. hist. Eccl. tomo 5.*

40. Quoniam vero hæc cum iis, quæ de Paphnutio prodit Socrates, conciliari vix possint, ejus narrationem suspectam aut fabulosam habent viri eruditi, nec immerito. Qui fieri enim potuit, ut inter tot Ecclesiæ Patres, rerumque ecclesiasticarum scriptores, qui post Nicænam Synodum usque ad Socratis ætatem floruerunt, idest per centum & ultra annos, nullus hanc Paphnutii sententiam a Nicænis Patribus adoptatam meminerit, qua scilicet Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum arbitrio relinquebatur, a propriis uxoribus abstinere, aut cum iisdem immorando procreandis liberis operam dare? Nec solum nemo ad Socratem usque hujusce indulgentiæ meminerit; sed etiam his contraria verbo, & exemplo plures docuerint, uti supra ex Hieronymo, & Epiphanio vidimus? Juvabit autem animadvertisse, vel Nicæni concilii tempore Orientales Episcopos, Presbyteros, & Diaconos a propriis uxoribus abstinentes in continentia vixisse; aut nondum continentiæ legibus adstrictis, liberum fuisse, cum propria uxore vivere, juribusque conjugii uti; si primum absonum propemodum est, ut, cum Niceni Patres Episcopos, Presbyteros, & Diaconos continentiæ legibus arctius devinciendos existimarent, & quod usu apostolicaque auctoritate & traditione, vel saltem exemplo servabatur, lege etiam confirmare, unus obstiterit Paphnutius, vir alioquin excellentissimæ continentiæ: si vero liberum adhuc unicuique Episcoporum erat, aut continenter vivere, aut in conjugii operibus perseverare, verosimile ne est, ex tot Patribus neminem, si Paphnutium excipias, restitisse, atque omnes continuo in eam abiisse sententiam, ut a propriis uxoribus se divelli paterentur? Quare Socratis narrationem, quidquid contra conati fuerint, & novatores, & alii clericalis cælibatus osores, inter fabulas ablegamus; utpote quæ Apostolicæ traditioni,

Annus 325. n. 40.

ni, ceterorumque Patrum testimonio adversetur; atque reliquos canones prosequimur.

41. Canon quartus, Episcopum ab omnibus Provinciæ Episcopis ordinandum jubet: *Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem*, tres saltem in ordinatione concurrant, absentes scripto consensum præbeant; Metropolitanus vero ordinationem auctoritate sua confirmet. Quinto, abstentus ab uno Episcopo, sive clericus, sive laicus fuerit, ab altero non recipiatur, nisi *pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, videatur a communione exclusus*; eaque de causa, ut singulis annis in qualibet Provincia concilia celebrentur, statuitur, idest ante Quadragesimam, & autumnali tempore. Huic canoni Arium causam dedisse verosimile est, qui cum ab Alexandro Episcopo excommunicatus esset, ab Episcopis aliquot Palæstinæ in communionem receptus fuerat, ut Alexander Alex: Episcopi cum altero Alexandro Constantinopolitano Episcopo conqueritur: *Unde fit ut nonnulli*, ajebat, *litteris eorum subscriventes in Ecclesiam eos recipiant, cum tamen consacerdotibus nostris, qui hoc ausi sunt, gravissima, ut opinor, reprehensionis immineat infamia, eo quod istud Apostolica regula non permittat.*

Episcopus a tribus saltem Episcopis ordinari debet.

Excommunicatus ab uno Episcopo, ab altero non recipiatur.

Concilia Provincialia bis in anno celebranda.

42. Canone sexto cautum, ut *antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia, & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem, & apud Antiochiam, cæterasque Provincias suis privilegia serventur Ecclesiis*. Deinde *si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & secundum Ecclesiasticam regulam comprobato, duo, aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum*. Hactenus canon sextus, quem Ruffinus paucis verbis sic refert: *Ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*. Quibus verbis an certum canonis sensum servaverit, nec ne, in dubio est; & disputandi occasionem eruditis præbuit, & ut antiquiores sileam, Binnium, Labeum, Baronium, Bellarminum; Launojus, Sirmondus, Valesius, de Marcha, Schelestratus, Gothofredus, Salmasius, Blondellus, aliique de ejusdem canonis sensu plura, ac sibi invicem

De Privilegiis Ecclesiarum servandis.

Ruffinus hist. lib. 11. 6.

Binn. Lab notis, ad 6 can. Bar. an. 325. n. 123 ad 138. Bellarmin. de Roman. Pont. cap. 13.

JESU CHR. AN.325. *Launojus dissert. de sexto Concil. Nicaen.* De sensu Canonis sexti Niceni Concil.

vicem adversantia adnotarunt; quæ longum esset, vel in compendium referre: ne tamen celeberrimum canonem prorsus prætereamus, adnotare sufficiet hujusce condendi canonis occasionem dedisse Meletium, sicuti superioris Arius dederat.

43. Meletius itaque a Petro Alexandrino Episcopo officio suo dejectus, *non ad aliam Synodum*, teste Athanasio, *confugit, neque coram Successoribus se studuit purgare, sed schismata fecit, & seditionem novo crimine cumulans quamcumque regionem, locumque peragraret, ibi Clericos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos instituit, ac privatas Ecclesias instituit*. Quibus cum jura Alexandrini Episcopi quam maxime violarentur, ne id ultra fieret, est a Nicænis Patribus constitutum, ad Alex. Episcop. in tota Ægypto, Pentapoli, & Lybia jus ordinationis Episcoporum pertinere. Ne tamen novum videretur Episcopum Alexandrinum super plures Provincias, idest per totam Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim jurisdictionem habere, atque ordinationes facere, Romanæ Ecclesiæ exemplo, & antiquæ consuetudinis jure, se id decrevisse declarant, ideoque *antiqua*, inquiunt *consuetudo servetur, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est*. Tandem quo Antiochenæ etiam Ecclesiæ, cæterarumque privilegia illæsa servarentur, illud additum, *& apud Antiochiam, cæterasque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis*. De Metropolitico itaque jure, quod in tota Ægypto Alexandrinus Episcopus exercebat, eo Canone agitur, quod exemplo Romani Episcopi sartum tectum eidem Antistiti servandum esse voluerunt Nicæni Patres; & si quæ forte in eo obscuritas offenditur, omnis Ruffini versioni tribuenda, in qua ita exhibetur, quia Romanæ Ecclesiæ Episcopus *suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerit*. De his autem suburbicariis Ecclesiis, in quibus Romanus Pontifex, non aliter ac Alexandrinus Episcopus in Ecclesiis Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis jurisdictionem exerceret, non una eruditorum sententia est.

Athan. Apolog. contra Arianos.

Romanus Pontifex diversas personas gerit.

44. Adnotare siquidem oportet Romanum Pontificem, quatuor titulis exornari, & quatuor quodammodo personas gerere; scilicet in tota Ecclesia Primatum tenet, in Occidente solus Patriarchæ titulo gaudet; in tota Italia, vel maxima parte Metropolitanum regimen exercet, & in Romana Diœcesi Episcopatum fungitur. Non alia porro ratione a Nicænis Patribus de Alexandrino Episcopo dictum est, eidem jus esse in

tota

tota Ægypto, Lybia, & Pentapoli, quia Romani Pontificis *parilis mos est*; nisi quia eamdem ipse in Ægypto, Lybia, & Pentapoli auctoritatem gerebat, quam Romanus Pontifex uti Metropolitanus in tota Italia. Præcipuum vero Metropolitani jus erat, intra limites suæ Metropolis Episcoporum ordinationes facere; hanc Ruffinus auctoritatem, potestatemque his verbis expressit, *Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerit*.

Suburbicariæ Ecclesiæ quænam essent.

45. De Suburbicariis autem Ecclesiis, quibus uti Metropolitanus præerat Romanus Pontifex, in varias Eruditi opiniones abierunt, ac omnes Occidentis Ecclesias a Ruffino Suburbicariarum nomine designatas fuisse nonnulli tradidere; alii vero suburbanas tantum Ecclesias, idest Portuensem, Ostiensem, Sabinensem, Albanensem, Prænestinam, & Tusculanam significari eo nomine contendunt; vel, uti aliis placet, quæ intra centesimum ab urbe lapidem, continentur: eorum tamen cæteris præferenda opinio videtur, qui nec per totum Occidentem diffusas Ecclesias Suburbicarias affirmant, nec ad Suburbanas, aut ad centesimum lapidem coarctant; sed Suburbicariarum nomine eas Ecclesias designatas volunt, quæ in decem Provinciis suburbicariis continebantur; suburbicariæ ideo dictæ, quia Urbis Vicario olim parebant. Sciendum est enim in Italia duos Vicarios fuisse, quorum primus in Urbe erat, alter Mediolano. Urbis Vicario decem Provinciæ suberant, idest I. Campania. II. Tuscia, & Umbria. III. Picænum Suburbicarium. IV. Sicilia. V. Apulia, & Calabria. VI. Bruttium, & Lucania. VII. Samnium. VIII. Sardinia. IX. Corsica. & X. Valeria. Cæteræ autem Italiæ Provinciæ, ut Ravennatensis, Mediolanensis, aliæque, quæ in Cisalpinis regionibus, & Mediterraneis erant, Vicario Italiæ parebant, quarum caput erat Mediolanum. Itaque suburbicariæ ecclesiæ a Ruffino dictæ sunt eæ, quæ in Provinciis suburbicariis erant, in quibus Romanus Pontifex ex antiqua consuetudine omnem gerebat sollicitudinem, non aliter ac Alexandrinus Episcopus per totam Ægyptum in varias licet provincias divisam. Romanum autem Pontificem iis in Provinciis, quæ Vicario Urbis in rebus civilibus parebant, Metropoliticum jus, Episcoporumque ordinationes egisse ex innumeris pene constat exemplis. Hinc Sardicenses Patres Julium Pontificem rogarunt, ut quæ ibidem statuta fuerant, fratribus, seu Episcopis, qui in Sicilia, in Sardinia, & in Italia erant intimaret. At de Suburbicariis Ecclesiis, deque sensu canonis sexti, qui plura cupit, adeat tractatores.

46. Ca-

Jesu Chr. An. 325.

46. Canon septimus honorem Æliensi Episcopo, seu Hierosolymitano ex consuetudine delatum servari jubet: *Salva* tamen *Metropolis propria dignitate*. Cum enim Evangelii prædicatio ex Hierosolymitana Ecclesia initium duxerit: *Omnes ei favorem impendant quasi matri christiani nominis*, ajebat Justinus Imperator in epistola ad Hormisdam Romanum Pontificem. Honor autem Hierosolymitano Episcopo ex consuetudine debitus in eo erat, quod inter comprovinciales primus haberetur, primusque post Cæsariensem Metropolitanum suum in Synodis sententiam diceret, ut ex Synodo, tertio ineunte sæculo, celebrata ob diei Paschalis quæstionem constat, de qua ita Eusebius: *Extat etiamnum epistola Sacerdotum, qui tunc in Palæstina congregati sunt, quibus præsidebat Theophylus Cæsareæ Palæstinæ, & Narcissus Hierosolymorum Episcopus*. In Diospolitano item Concilio pro causa Pelagianorum habito, Eulogius Cæsariensis Joanni Hierosolymitano præficitur; & Hieronymus adversus eumdem Joannem scribens: *Maluisti*, inquit, *accusatis auribus molestiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere*, idest Cæsariensi Episcopo. Jamvero extra provinciæ Palæstinæ fines Hierosolymitanus Episcopus Cæsariensem aliquando prævivit, ut in Antiochena Synodo adversus Samosatenum congregata factum scimus, qua Hymeneus Hierosolymorum Episcopus Theotecno Cæsariensi prælatus est. Quocirca Hierosolymitanus Episcopus Metropolitani honorem aucupabatur, eumque ab Ephesina Synodo sibi decerni Juvenalis tentaverat; sed frustra. *In Ephesina Sinodo*, ait S. Leo Pontifex, *Juvenalis Episcopus ad obtinendum Provinciæ Palæstinæ Principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare*. Hujusmodi tamen dignitatem Chalcedonensis Concilii decreto tandem obtinuit Hierosolymitanus Episcopus, ut scilicet tribus Palæstinis præficeretur, & sub Cæsariensis potestate ultra non esset; quin & Patriarchalem honorem tractu temporis adeptus est, ut & inter primas sedes Hierosolymitana quinta numeraretur.

De Privilegiis Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Hard. tom. 2. pag. 1025.

Euseb. lib. 5. 23.

Hier ad Pammach. adversus Joannem Hierosolym.

Euseb. lib. 7. 28.

47. Canone octavo fertur: *De his, qui se cognominant Catharos, idest Mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuisse sancto, & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes in clero permanerent*. De Novatianis hæc explicantur, quorum clerici ad Ecclesiam redeuntes in clero permanere poterant, laici vero ne in clerum admitterentur statutum est: Episcopi, & Presbyteri gradum suum retinerent, cum soli

De Novatianis ad pœnitentiam admittendis.

soli essent; ubi vero Episcopus catholicæ Ecclesiæ fuisset, Presbyteri honore contentus esset, si tamen Episcopo catholico placuisset, Episcopi titulum retineret, aut Chorepiscopi, *ne in una civitate duo Episcopi probarentur existere*. Catharorum nomine Novatianos a Nicænis Patribus fuisse designatos Augustinus innuit: *Cathari, qui se ipsos isto nomine quasi propter munditiem superbissime, atque odiosissime nominant, secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Novatum sectantes hæreticum, unde etiam Novatiani appellantur*. In una autem, eademque civitate duos esse Episcopos, Apostolica traditio non patitur; unde Cornelius Papa de Novatiani ordinatione agens in Epistola ad Fabium Antiochenum hæc scribit: *Vindex ille Evangelii*, idest Novatianus, *ignoravit unum esse debere Episcopum in Ecclesia catholica*; eamdemque regulam se aliquando ignorasse fatetur Augustinus, cum, vivente Valerio, Hipponensis Episcopus ordinatus est: *Sedi cum Patre, & Episcopo meo sene Valerio, quod in Concilio Nicæno prohibitum nesciebam*.

Aug. de hær. cap. 38.

Aug. epist. 213

De lapsis in clero non admittendis.

48. Canon nonus a presbyterio eos removet, qui sine examine admissi, postea ea crimina confessi fuerant, quæ publicæ pœnitentiæ subjiciebantur; eamdemque sententiam in eos fert canon decimus, qui persecutionis tempore lapsi erant, si forte per ignorantiam, aut dissimulationem ordinati fuissent. Canone undecimo statuitur de iis, *qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Lycinii*, ut triennio inter Audientes habeantur, sex annis omni se contritione dejiciant, duobus autem annis sine oblatione cum Populo in oratione communicent. Quibus gradibus, quove ritu publica pœnitentia ageretur, jam alibi adnotavimus, unde ad Canonem duodecimum pergimus, cujus hoc est Decretum. Quicumque vocati per gratiam, militiæ cingulum deponentes, postea ad proprium vomitum sunt relapsi, ut militiam repeterent, tredecim annis in pœnitentia erunt; qui tamen magno fervore pœnitentiæ opera impleverint, post tres annos, quibus inter Audientes fuerint, cum iisdem Episcopi mitius agere poterunt. Hoc canone de iis agitur, qui Lycinii temporibus, cum militiæ renunciassent, ne Idololatriæ operibus fœdarentur, postmodum ad eamdem redierant.

De pœnitentia laicis imponenda.

De pœnitentia imposita iis, qui ad militiam redibant.

Morientibus danda communio.

49. *Qui ad exitum veniunt*, ait canon decimus tertius, *ulti-*

Jesu Chr. An. 325.

ultimo, & necessario Viatico minime priventur; si postmodum convaluerint, inter eos, qui in oratione communicant, sint. De pœnitentibus hic agi, explorata res est; nam de fidelibus dubitari non poterat, quin in vitæ discrimine Viatico salutari donarentur. Canone decimoquarto statutum est; ut Catechumeni in crimen lapsi, tribus annis inter Audientes sint, post hæc cum catechumenis orent. Episcopus, Presbyter, aut Diaconus de civitate in civitatem non transferatur, ait canon XV. Si quispiam contra definitionem Synodi id tentaverit, Ecclesiæ suæ restituatur, sive Episcopus, Presbyter, aut Diaconus fuerit. Presbyter vero, aut Diaconus, vel quicumque ex clero ab Ecclesia sua discedens, in altera non recipiatur, sed ad suam revertatur; quod nisi fecerit, communione privetur. Si quis, non consentiente Episcopo, alterius Ecclesiæ clericum ordinaverit, hujusmodi ordinatio irrita sit. Canon decimus septimus, usuras clericis vetat: *Quoniam multi sub regula constituti avaritiam, & turpia lucra sectantur, censuit magna Synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, vel aliud quodlibet negotium transigens, dejiciatur a clero, & alienus existat a regula*. Dum autem clericis usuras prohibet, laicis easdem exercere nequaquam permittit; sed quod turpius erat e clero removet, laicos, quod imitarentur edocens. Eodem anno Imperator Constantinus lege sua usuras arctaverat decernens, ne in frugibus tertiam partem excederent, & in pecunia centesimam, seu unum pro centesimo singulis mensibus: *Quicumque fruges humidas, vel arentes indigentibus mutuas dederint, usuræ nomine tertiam partem consequantur, idest, ut si summa crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius consequantur, quæ lex ad solas pertinet fruges; nam pro pecunia ultra centesimas singulas creditor vetatur accipere. Cæsareæ XV. Kal. Majas, Paulino, & Juliano Coss.* Itaque usuris civili lege permissis, cavendum erat, ne hujus forte obtentu Clerici id sibi licitum existimarent, quod ne laicis quidem Evangelica lege permissum erat.

De Catechumenorum pœnitentia. Episcoporum, aliorumve clericorum translationes vetantur.

Clericis usuræ vetitæ.

Cod. Theodos. de usuris.

50. Canone decimus octavus Diaconorum fastus reprimitur, prohibet nimirum ne Sacerdotibus Eucharistiam dent, aut ante Episcopum attingant, neve inter presbyteros sedeant, sub pœna depositionis. Paucos ante annos statutum in Arelatensi Concilio fuerat: *De Diaconibus urbicis, ut non sibi tantum præsumant, sed honorem presbyteris reservent, ut sine conscientia ipso-*

Diaconorum fastus reprimitur.

Canon 18. Arelat.

ipsorum nihil tale faciant. Post Nicænam vero Synodum, de Diaconorum fastu Hieronymus hæc inter cœtera scripsit: *Paulatim increbrescentibus vitiis inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum vidi, & in domesticis conviviis benedictiones coram Presbyteris dare*. Sequens canon Paulianistas rebaptizari jubet; si qui autem ex his in clero fuerint, & irreprehensibilis vitæ, post baptismum ordinari permittit; Diaconissæ eorum cum non habeant aliquam manuum impositionem, inter laicos deputari placuit: *Hos autem baptizandos esse in Ecclesia Catholica Nicæno Concilio constitutum est*, ait Augustinus, *unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere*, seu in nomine Trinitatis non baptizasse. *Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus minime baptizabant*, ajebat Innocentius Papa epistola ad Episcopos Macedoniæ. Canone vigesimo, & ultimo hæc habentur: *Quoniam sunt quidam in die Dominico genuflectentes, & in diebus Pentecostes; ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere*. Cur autem hæc statuta sint, hanc rationem affert Augustinus: *Quinquaginta dies qui celebrantur post resurrectionem Domini complentur in figura non laboris, sed quietis, & lætitiæ; propter hoc, & jejunia relaxantur, & stantes oramus, quod est signum Resurrectionis*. Hactenus Nicænæ Synodi Canones, quos viginti tantum fuisse supra diximus.

Jesu Chr. an. 325. — *Can. 20.* — *Apud Coutan. pag. 836.* — Paschali tempore non genuflectatur. — *Aug. epist. 119.*

51. Ultra vicenos canones, cæteros a Turriano, Gelasio Ciziceno, aliisque Nicæno Concilio inscriptos usque ad numerum octogiuta vel octogintaquatuor, adittitios esse non dubitamus, sicuti & alia decreta Nicænis Patribus supposita, atque a Baronio Annalibus inserta; cujusmodi sunt Epistolæ ad Sylvestrum Pontificem a Nicæna Synodo scriptæ, aut a Sylvestro ad Nicænos Patres, quibus addi potest Romanum Concilium de Nicænæ Synodi confirmatione ab eodem Sylvestro habitum. Cæterum etsi Nicænæ Synodi Epistola ad Sylvestrum, & Sylvestri ad Nicænos Patres, ejusque Romanum Concilium pro Nicænæ Fidei, Nicænorumque Canonum confirmatione apocrypha sint; dubitari tamen vix potest, Nicænos Patres ad Sylvestrum Pontificem ea de re scripsisse, ac Sylvestrum Nicænæ Synodi gestis subscripsisse, eamque calculo suo comprobasse, cum præsertim, teste Socrate, *ecclesiastica regula interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis, quidquam ab Ecclesia decernatur*; quæ si in minoris momenti negotiis locum habent, quan-

Canones, Decreta, & Epistolæ Nicæno Concilio falso adscriptæ. — *Baron. 325. n. 160. ad 180. & 199.* — *Hard. tom. 1. pag. 343. 527.* — *Coutan. epist. Rom. Pontif. in Appen pag. 51. ad 55.* — Sylvester Papa Nicænam Synodum confirmat. — *Socrat. histor. lib. 2. 17.*

JESU CHR. AN. 325. to magis dum de summa rerum ageretur, ideſt de Fide, ac de divinitate Unigeniti Filii Dei,

Constantinus vicennalia celebrat. Episcopos convivio excipit. Euseb. vit. Constant. lib. 3. cap. 15. 16.

52. *Vicesimus interea Imperii Constantini annus complebatur*, teste Eusebio, seu potius inchoabatur. *Cujus rei causa cum in omnibus provinciis publicæ festivitates agerentur, Imperator Dei ministros ad convivium vocavit; & cum iisdem jam inter se conciliatis epulatus, hoc velut conveniens sacrificium per illos obtulit Deo. Neque ullus Episcoporum ab hoc Imperiali convivio abfuit. Res porro ipsa omnem dicendi copiam longe superabat. Protectores enim, & milites in orbem dispositi, strictis gladiis palatii vestibulum custodiebant. Homines autem Dei per medium illorum absque ullo metu transibant, & ad intima usque palatii penetralia ingrediebantur. Ex his deinde alii una cum Imperatore accubuerunt; alii in stibadiis utrinque dispositis discubuere. Prorsus imago quædam Regni Christi adumbrari; resque ipsa somnio, quam veritati propior videbatur.* Deinde: *Celebratis splendidissimo apparatu conviviis, Imperator cunctos liberaliter excipiens, id etiam pro sua magnificentia adjecit, ut unumquemque pro meritis ac dignitate muneribus honoraret.* Eis quoque, qui Synodo minime interfuerant, litteras dedit, quibus potissimum significavit, plurimis Ecclesiæ Episcopis in unum congregatis, singula, quæ ad Sacratissimam Religionem pertinerent, *competenti examine eo usque discussa fuisse, donec inspectori omnium Deo accepta sententia, ad unitatis concentum proferretur in lucem; ita ut nullus dissensioni, nullus controversiæ de Fide locus amplius relinqueretur.* Multa præterea subjunxit de Paschate una die ab omnibus Ecclesiis celebrando, uti supra adnotavimus.

Constantini Epistola ad Ecclesias universas.

Constantini ad Episcopos exhortatio pro unitate servanda. Vales. not. ibid. Euseb. lib. 3. 21. 22.

53. Tandem *cum Synodus jam dissolvenda esset*, subdit Eusebius, *Imperator sermonem cum Episcopis habuit, quo ipsis valediceret, quippe omnes certo die in unum convocavit*, atque ad pacem, & unitatem inter se servandam cohortatus est; *ad extremum vero adjecit, ut pro se quoque preces ad Deum sedulo facerent. Cumque in hunc modum eis valedixisset, cunctis posthæc in patriam redeundi potestatem fecit: illi igitur*, ideſt Episcopi, *summa cum hilaritate domum reversi sunt*. Insuper, ut vicennalium suorum solemnitatem augeret, *universis populis tam iis, qui per agros, quam qui in urbibus habitabant, magnam pecuniæ vim distribui jussit*. Sozomenus vero, & Theodoretus addunt præter pecuniam tunc distributam, frumentum quo-

Jesu Chr. An. 325. Theodor. lib. 1. 81.

quoque in singulos annos viduis, virginibus, & Dei ministris, elargiendum, decrevisse. *Litteras quoque ad provinciarum Rectores dedit, quibus mandabat, ut per singulas civitates virginibus, ac viduis, & iis, qui divino ministerio erant consecrati, annona quotannis praeberetur, ex sua potius liberalitate, quam ex usu, ac necessitate, modum annonarum definiens. Harum pars tertia nostra quoque aetate Ecclesiis praebetur. Nam cum impius Julianus omnes illas annonas ademisset, successor ejus eas, quae nunc erogantur, praeberi jussit. Etenim fames eo tempore illationis tributariae modum imminuerat*, ait Theodoretus, qui eodem loco narrat piissimum Imperatorem labia sua vulneribus Episcoporum saepe admovisse, quibus sub Maximini persecutione dexter oculus effossus fuerat, benedictionem se inde percepturum sperans.

Indulgentia veteranis militibus concessa.

54. Rebus Ecclesiae compositis, ad ea quae Imperium spectabant sese convertit Constantinus; & sublatis e medio Imperii hostibus, indulgentiam veteranis concessit, edita lege, quarto Idus Aprilis Paulino, & Juliano Coss. idest hoc anno: *Veteranis, qui ex die quinta nonarum Juliarum, cum prima per Thraciam victoria universo Orbi illuxit, & qui postea apud Nicomediam nostram missionem meruerunt, certam per edictum indulsimus, quae scribendi tabulis vel encausto, & cerusa conscribere detur eis, licentiam*. Quam legem erudite Gothofredus exponens, *quae encausto, vel cerusa scriberentur*, explicat. Memoria etiam dignum est aliud Imperatoris edictum, quo Magistratus accusandi licentiam tribuit: *Si quis*, inquit, *est cujuscumque ordinis loci, dignitatis, qui se in quemcumque Judicum, Comitum, Amicorum, vel Palatinorum meorum, aliquid veraciter, & manifeste probare posse confidit, quod non integre, atque juste gessisse videatur; intrepidus, & securus accedat, interpellet me; ipse audiam omnia, ipse cognoscam. Et si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo. Dicat securus, & bene sibi conscius dicat. Si probaverit, ut dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me usque ad hoc tempus simulata integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit, & comprobaverit, & dignitatibus, & rebus augebo. Ita mihi summa Divinitas semper propitia sit, & me incolumem praestet, ut copia felicissima efflorente Republica PP. XV. Kal. Octobr. Paulino, & Juliano Coss.* Hucusque lex Constantini, digna sane, inquit Baronius, quae ad velum cujusque Principis prae foribus affiga-

Cod. Theodos. lib. 7. tit. 19.

Adversus Magistratus licentiam tribuit accusandi.

JESU CHR. AN. 325.

affigatur; cum sæpe contingat, bonos Principes aulicorum, ministrorum, & magistratuum perperam gestis rebus enormiter infamari.

Gladiatorii ludi prohibiti.

55. Christiano etiam Principe digna est lex altera hoc anno data, qua gladiatorii ludi prohibebantur, & cruenta spectacula; prætiosior quippe sanguis humanus est, quam ut insanæ plebis voluptati inserviret, unde ajebat: *Cruenta spectacula in otio civili, & domestica quiete non placent. Quapropter omnino gladiatores esse prohibemus; eos qui forte delictorum causa hanc conditionem, atque sententiam mereri consueverunt, metallo magis facies inservire, ut sine sanguine suorum scelerum pœnam agnoscant.* Hanc legem in Orientali Imperio tantum vulgatam fuisse, eruditorum nonnulli putant, atque Baronium erroris arguunt, quod tum Orientalibus, tum Occidentalibus provinciis eam datam esse censuerit. Cum enim constet posthac in Occidente, & Romæ præcipue gladiatorum spectacula celebrata fuisse, unde Alipium amicum suum *gladiatorii spectaculi inhiatu incredibiliter abreptum* narrat Augustinus; ad Occidentale Imperium Constantini legem non pertinuisse confidenter affirmant. Immerito tamen ex frequentatis imposterum Romæ, alibique his ludis, cruentisque spectaculis, Constant[illegible] m in universo Imperio vulgatam non fuisse conten[illegible] qu[illegible] potius temporis lapsu, alicubi, ac Romæ præcipue, ob insanam ejusdem civium in ea spectacula propensionem, observatam non fuisse constat; alioquin neque pro Orientali Imperio ipsam editam esse sequeretur, cum in eo etiam posthac eadem cruenta gladiatorum spectacula aliquando celebrata fuisse sciamus, utpote quæ Libanius testetur se Antiochiæ spectasse anno ætatis suæ decimoquinto. Nulla itaque occurrit ratio, cur hanc de spectaculis gladiatoriis Constantini legem Orientales tantum spectasse dicamus. Constantini vero pietas in eo vel maxime eluxit, quod *supplicium Crucis, a Romanis olim decretum, sustulit; quin etiam quotiescumque, aut in nummis imago ejus insculperetur, aut in tabulis pingeretur, semper divinum hoc Signum una cum ipso sculpi, aut dipingi præcepit*; quod etiamnum ejusdem numismata testantur.

Cod. Theodos. l. 1. de gladiat.

Gothof. ut supra. Basnag. ann. 325. n. 4. Pag. not. 10. ad an. 325. Aug. confess. lib. 6. 8.

Constantinus Crucis supplicium prohibet.

Sozom. lib. 1. 8.

Diversarum gentium Legationes ad Constantinum.

56. Tantam porro ob præclara hactenus gesta gloriam sibi comparaverat piissimus Imperator, ut barbaræ remotæque gentes a Romano solo terra marique disjunctæ, ejusdem societatem ambirent, missisque legationibus peterent: *Ex omnibus*

bus locis Legati continue ad eum accedebant, ait Eusebius, *quæcumque apud ipsos prætiosissima habentur dona ei offerentes. Adeo ut nos ipsi pro foribus palatii varias formas, atque habitus barbarorum ordine stantium aliquando conspexerimus, quorum & vestitus, & ornatus dispar erat; coma item, & barba longe dissimilis, torvus aspectus, & barbarus, ac terrorem incutiens, corporum enormis proceritas, & aliorum quidem rubicundi vultus, aliorum vero nive ipsa candidiores. Nonnullis media quædam coloris inerat temperatura. Quippe Blemmyes, & Indi, atque Æthiopes, qui, ut ait Homerus, bifariam divisi inextimo terrarum degunt inter illos, quos dixi, barbaros, conspiciebantur*. Certatim autem singuli, quæ apud eos ipsos prætiosiora erant, Imperatori offerebant, coronas scilicet aureas, diademata gemmis conferta, pueros flava cæsarie conspicuos, quidam barbaricas vestes auro, & floribus intextas, hi equos, illi clypeos, & hastas longas, & sagittas, & arcus; quibus vicissim Constantinus alia donabat. Nonnullos etiam dignitatibus exornavit, ita ut illorum plerique apud Romanos remanserint.

JESU CHR. AN. 325.
Euseb. vita Constan. lib. 4. cap. 7. 8 9.

57. De Legatis vero Persarum subdit Eusebius, quod cum Rex Persarum per Legatos dona ad eum misisset in pacis, & amicitiæ signum, non solum munerum magnificentia Constantinum Persas superasse, sed ea occasione Christianorum res Persarum Regi commendasse. Pii officii testes supersunt commendatitiæ Constantini epistolæ ad Saporem datæ, quibus plura de Dei cultu, deque armorum suorum, gestorumque felicitate narrat; multaque etiam addit de infelici eorum exitu, qui in Deum blasphœmi fuerant, & Christianos vexaverant; nec Valerianum præteriit a Persis captum, & servitute ignominiaque affectum. Tandem post multa, ut Christianis, qui in suo Imperio degebant, faveret, Saporem his verbis hortatur: *Quanta porro voluptate me affici censes, cum audio id, quod mihi maxime in votis est; horum hominum multitudine, Christianorum scilicet (de his enim in præsentia loquor) nobilissima quæque Persidis loca longe lateque esse decorata? Opto igitur, ut & tuæ quam florentissimæ, & illorum perinde sint florentissimæ; hoc est, ut tuæ, sic illorum. Hoc enim modo summum omnium Dominum ac parentem Deum, propitium, ac placatum habiturus es. Hos itaque, quandoquidem talis, tantusque es, tibi commendo: hos, quandoquidem pietate excel-*

Constantini epist. ad Saporem qua Christianos commendat.
Euseb. vita Constan. lib. 4. cap. 9.

JESU CHR. AN. 325.

excellis, tibi in manum trado: hos pro tua humanitate complectere. Sic enim & tibi ipsi, & nobis hac tua fide immensum beneficium præstabis &c.

Eusebius Chronicon suum absolvit, & vulgat.

58. Tandem ad hujus anni historiam pertinet, Eusebii Chronicon, quod hoc anno Constantini vigesimo absolvit, ejus vicennalia his verbis memorans: *Vicennalia Constantini Augusti*. Opus exquisitæ eruditionis, & laboris immensi, atque ad sacram, prophanamque historiam illustrandam perutile; quod tamen injuria temporis, nonnisi mutilum atque confusum habemus, ita ut vix tuto quisque eo uti possit. Eusebii Chronicon Librariorum negligentia decurtatum, ac confusum, sua ætate Augustinus conquerebatur; unde pristinæ integritati, post tanti temporis lapsum, illud reddere impossibile est. Ad Eusebiani Chronici intelligentiam regulas quasdam invenerat Hieronymus, ut in ejusdem Chronici præfatione monet, nam alia minio, alia minio cum nigro admixta, alia nigro tantum adnotaverat, ut pluribus ipse testatur. At ea distinctio a Librariis prætermissa, obscuræ, & inutiles quoque Hieronymi regulæ evaserunt. Hieronymus autem non solum Eusebii Chronicon latine edidit; sed & illud, ab hoc Constantini anno vigesimo, usque ad Consulatum Augustor. Valentis sextum, & Valentiniani iterum, idest usque ad annum 378. continuavit; plura etiam addidit, ut idem his verbis narrat: *Sciendum etenim me esse, & interpretis, & scriptoris ex parte officio usum; quia & Græca fidelissime expressi, & nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adjeci in Romana maxime historia, quam Eusebius hujus conditor libri non tam ignorasse, utpote eruditissimus, quam ut Græca scribens, parum suis necessaria perstrinxisse mihi videtur. Itaque a Nino, & Abraham usque ad Trojæ captivitatem pura Græca translatio est. A Troja usque ad vigesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quæ de Tranquillo, & cæteris illustribus historicis curiosissime excerpsimus. A Constantini autem supradicto anno usque ad Consulatum Augustorum Valentis sextum, & Valentiniani iterum, totum meum est. Quo fine contentus, reliquum tempus Gratiani, & Theodosii latioris historiæ stylo reservavi; non quo de viventibus timuerim libere, & vere scribere, (timor enim Dei hominum timorem expellit) sed quoniam debacchantibus adhuc in terra nostra barbaris incerta sunt omnia.* Hucusque Hieronymus. Hinc factum, ut idem Chronicon, & Eu-

Aug. de Civit. Dei lib. 11. 31.

Hier. Præf. in Chr. Eusebii.

Quæ Hieronymus Eusebii Chronico addiderit.

& Eusebii, & Hieronymi passim dicatur; cum tamen idem sit opus, sed ita contextum, ut quæ Eusebii sint, aut ab Hieronymo addita, distingui nulla ratione possint.

JESU CHRISTI AN. 326. SILVESTRI PAPÆ 13.
CONSTANTINI IMPERATORIS 20.
COSS. CONSTANTINO AUG. VII., ET CONSTANTIO CÆSARE.
OLYMP. 276. AN. 2. URBIS AN. 1079.

Eusebii Nicomediensis perfidia ejusque exilium.

1. Cum perfida manu Nicænæ fidei subscripsisset Eusebius Nicomediensis, post Synodum Arianæ impietati, quam corde retinuerat, impensius, apertiusque patrocinari incepit vir sane turbulentissimus, honorumque insane cupidus, qui, Berythensi Ecclesia relicta, Nicomediensem invaserat; Episcopalem scilicet dignitatem, ex civitatis amplitudine, & proventibus tantummodo dimetiens, ut ajebat Athanasius. Interea cum Ariani a perditis consiliis minime desisterent, atque sub pellibus ovium ea, quæ luporum sunt, agerent, Eusebius Nicomediensis, teste Theodoreto: *Post Nicænum concilium ob apertam, quam profitebatur, impietatem dejectus est, & una cum illo Theognius Episcopus Nicææ*. Præter Arianam impietatem, aliorum quoque criminum reum fuisse Eusebium, in epistola ad Nicomedienses Constantinus testatur; atque inter cætera Licinianæ crudelitatis participem fuisse, & conspirationis adversus Constantinum. Integras Augusti epistolas historiæ suæ inseruit Baronius, in quibus hæc potissimum in rem nostram adnotanda veniunt.

Athan. contra Arianos Tomo 1. pag. 129. Theod. l. 1. 19. 20.

Baron. 319. n. 13.

Constantini Epist. ad Nicomed. de Eusebii impietate, & exilio.

2. *Quisnam adeo simplicem plebem ista docuit? Eusebius nimirum tyrannicæ crudelitatis consectaneus. Nam quod Tyranni cliens perpetuo fuerit, ex multis perspici potest: Id enim Episcoporum cædes testantur, sed verorum plane Episcoporum. Id crudelissima Christianorum persecutio aperte clamat. Nihil enim de illatis mihi contumeliis dicam, per quas, cum adversarum partium concursus plurimum laborarent, hic etiam oculos exploratores contra me emisit, & propemodum armatum ministerium Tyranno præbuit. Nec me quisquam imparatum esse existimet ad harum rerum probationem. Certissimum enim argumentum est, cum Diaconos, & Presbyteros Eusebium assectantes, manifesto a me comprehensos esse constet. Verum hæc missa facio, quæ quidem a me non indignationis meæ testificandæ causa, sed ad pudorem eis incutiendum nunc prolata sunt.* Eos etiam hor-

 tatur,

JESU CHR. AN.326. tatur, ut quoniam ob perversam Eusebii doctrinam a veritate recesserant, cito, eo expulso, ad rectam redirent fidem. De iis vero, quæ vel Nicænæ Synodi tempore, vel post eam Eusebius admiserat, hæc addit: *Idem ipse Eusebius cum quanta putatis concursatione, utpote ab ipsa conscientia convictus, quanta cum ignominia, confutatæ undique falsitati patrocinatus est; nunc diversos homines clam ad me mittens, qui pro ipso orarent, nunc auxilium aliquod a me postulans, ne tanti sceleris convictus, honoris sui gradu depelleretur! Testis hujus rei mihi est Deus ipse, qui & mihi, & vobis semper propitius adsit. Nam & ille me circumvenit, ac turpiter decepit, sicut & vos ipsi agnoscetis. Tunc enim omnia gesta sunt, prout ipse cupiebat, qui nihil non mali in animo suo clausum habebat. Sed ut alia improbitatis illius facinora prætermittam, quid nuper una cum Theognio dementiæ suæ socio admiserit, quæso accipite. Alexandrinos quosdam, qui a nostra fide desciverant, isthuc abduci præceperam, propterea quod eorum opera, ac ministerio discordiæ fax excitabatur. Verum isti, egregii scilicet Episcopi, quos Synodi clementia ad agendam pœnitentiam servaverat, non solum istos susceperunt, & apud se tuto degere jusserunt, sed etiam malitiæ illorum socios, se, ac participes adjunxerunt. Quamobrem adversus ingratos istos id agere decrevi: Abreptos videlicet quam longissime deportari jussi.* Eusebius itaque, & Theognius cum suis sedibus, & civitatibus ejecti fuissent; *Nicomediæ quidem Episcopatum Amphion, Nicææ vero Chrestus regendum suscepit*, ait Theodoretus, *sed cum consuetas artes, & machinas adhibuissent, & Imperatoris clementia ad fraudem faciendam abusi essent, pugnam redintegrarunt, & pristinam potentiam suam receperunt*. Ut autem in exilium a Constantino pellerentur, hanc eos causam dedisse refert Sozomenus: *Fertur, Eusebium Nicomediæ, & Theognium Nicææ Episcopum corrupto Notario, cui Imperator acta Synodi Nicænæ servanda commiserat, subscriptiones suas delevisse, palamque prædicare ausos esse, quod Filius Consubstantialis Patri dicendus non esset. Qua de re cum accusaretur Eusebius, ingenti fiducia respondisse dicitur Imperatori, ostensaque ei veste, qua induebatur, dixisse: Si hæc vestis, spectante me, divisa esset, numquam dicerem utramque partem ejusdem esse substantiæ. Porro Imperator ista quidem acerbissime tulit, nam cum existimaret hujusmodi quæstiones post Nicænum concilium sopitas*

Sozom. lib. 2. 21.

tas esse, præter spem eas denuo suscitari cernebat, ideoque tamquam discordiæ auctores ob id patria extorres, in exilium deportari jusserat. Quo tempore Eusebius, & Theognis in exilium acti fuit, non satis constat: *tribus mensibus post Nicænam Synodum exactis, Eusebius relegatus est*, ait Philostorgius; Socrates vero vigente adhuc Synodo, cum vocem *Consubstantialis* admittere recusarent, una cum Ario, Theona, & Secundo pulsum fuisse refert. At in hisce errasse Socratem, anno superiore jam diximus. Pluribus etiam, quam tribus elapsis mensibus a Nicæna Synodo, ut habet Philostorgius, eosdem perfidiæ pœnas dedisse probabile est; quin in libello pœnitentiæ, quem postea iidem Eusebius, & Theognis ad Episcopos miserunt, ut ab exilio revocarentur, testantur se Episcoporum judicio suis sedibus ejectos fuisse; quod ab Episcopis in Synodo, post Nicænam, habita factum fuisse constat, cujus etiam sententia Amphion Nicomediæ, & Chrestus Nicææ substituti fuerant, & quidem, ni fallimur, hoc labente anno.

JESU CHR. AN. 326.

Philostor. lib. 1. 10.

3. De Eusebio altero, idest Cæsariensi, aliqua nunc addimus, qui cum Chronicon suum anno præterito vulgasset, Historiam hoc labente publici juris fecit, & quidem cum nondum mors Crispi, quæ hoc eodem anno accidit, eidem innotuisset, festique dies ob Constantini Vicennalia adhuc celebrarentur uti ex sequentibus ejus verbis aperte patet: *Constantinus omnibus religionis virtutibus ornatus una cum Filio Crispo Cæsare Deo carissimo, & Patri undequaque simillimo*; deinde: *Itaque homines omni metu eorum, a quibus antea opprimebantur, penitus amoto, festos dies cum maximo splendore, & celebritate egerunt &c.* Paulino Tyriorum Episcopo hoc opus dicavit Eusebius, ut in Proemio libri decimi ipse admonet: *Quandoquidem*, ait, *tuis precibus adjuti, hunc decimum historiæ ecclesiasticæ librum prioribus jam decursis opportune tandem adjecimus, eum tibi nuncupantes, sacratissime Pauline, te velut signaculum totius Operis nostri prædicabimus*. Hoc præcipue laboris immensi, & eruditionis opere, exquisitæque nomen suum Eusebius æternitati commendavit; multumque ei Ecclesiastica historia debet, non solum, quod primus historiæ scribendæ auctor fuerit, sed quod ejusdem opera pretiosiora antiquitatis ecclesiasticæ monumenta posteritati transmiserit, quæ alioquin periissent; unde si quis eum Historiæ Ecclesiasticæ parentem dixerit, non equidem erraverit. De tanti Scriptoris persona, & fide plura

Eusebius Cæsariensis historiam suam vulgat.

Euseb. histor. lib. 10. cap. 9.

JESU CHR. AN 326. Valesius congessit in ejus Vita, unde huc aliqua adferre operæ pretium est.

De Eusebii Cæsariensis gestis & fide. Vales. in Euseb. hist. tom. 1. 4. Hic igitur in Palæstina natus sub extrema Gallieni Imperatoris tempora circa annum 265, *Palæstinus* tum origine, cum ex Cæsariensi, quem gessit Episcopatum in Palæstina, dictus est. Quibus sit ortus parentibus in obscuro est; etsi Nicephorus Callixtus ex Pamphili martyris sorore eum genitum fuisse tradat. Ipsum Eusebii Nicomediensis fratrem appellavit Arius in sua ad Nicomediensem epistola. Euseb. lib. 7. 31 A teneris unguiculis sæcularibus sacrisque disciplinis eruditus, in his magistrum habuit Dorotheum Eunuchum Antiochensis Ecclesiæ presbyterum, quem prodit se *sacras Scripturas in Ecclesia non inscite exponentem audivisse*; Ab Agapio autem Theotecni in Cæsariensi Episcopatu successore in clerum adscriptus, a Pamphilo Cæsariensi presbytero, qui scholam, & Bibliothecam Cæsareæ tunc aperuerat, sacris tradendis litteris est destinatus; quare in libro de martyribus Palæstinis, Appianum martyrem in sacras litteras se erudivisse scribit. Diocletiani interim orta persecutione, Cæsareæ multos ad martyrium excitavit, ac inde excedens Tyrum primo, deinde in Ægyptum perrexit, Euseb. lib. 8. cap. 7. 8. ubi multos vidit utriusque sexus pro Fide certantes. Eadem rursus vigente persecutione una cum Pamphilo carcere detentum fuisse scimus, ibique consociatis cum eo studiis, elucubrasse quinque Origenianæ apologiæ libros, quibus post Pamphili martyrium sextum addidit; dicavitque Confessoribus ad metalla Palæstinæ damnatis, uti est a Photio litteris proditum. Phot. Cod. 118. Qua autem ratione illæsus e vinculis evaserit in obscuro est. Prævaricationis quidem crimen in Tyriensi Synodo a Potamone Episcopo objectum eidem fuisse ita refert Epiphanius: Epiph. hær. 8. 7. *Te ne*, inquit, *Eusebi sedere, & innocentem Athanasium a te judicari? Qua ratione e custodia evolasti? nisi quod persecutoribus nostris facinus admissurum te esse recepisti, vel etiam admisisti*. At cum ex suspicione, quæ sæpe fallitur, hæc Potamon Eusebio objecerit, ejusdem innocentiæ obesse vix possunt; & credi vix ac ne vix quidem potest, Apostatam a fide ad Cæsariensem Episcopatum fuisse promotum; plurimosque Episcopos non multo post curasse, ut idem e Cæsariensi ad Antiochenam cathedram transferretur. Sed ejus gesta prosequamur. Post Pamphyli obitum de ejusdem Vita elegantissimos libros, ut ait Hieronymus conscripsit. Eodemque tempore Hieroclem, qui Christianæ Religioni per-

perfecutionis tempore fcriptis infultaverat, confutavit. Hos Eufebii libros in Hieroclem Lactantius meminit Inftitutionum libro quinto. Interea Agapio Cæfarienfium Epifcopo defuncto, vel, uti malunt alii, Agricolao illius fuccefsore, communi omnium confenfu Cæfareæ Epifcopus electus fuit; neque multo poft, pace jam Ecclefiæ reddita, cum Paulinus Tyri Epifcopus Ecclefiam ædificafset, in ejufdem dedicatione orationem habuit, quam hiftoriæ fuæ inferuit. Inter hæc cum Arius Alexandria ejectus in Palæftinam fecefsifset, cum Eufebius, cum aliquot Epifcopis ad communionem admifit, & Alexandro Alex. Epifcopo, ut idem faceret, datis litteris fuadere curavit, quæ in Synodo feptima, actione fexta recitatæ fuerunt. In Nicæna etiam fynodo, cum de Fidei formula inter Epifcopos difceptaretur, fuam quoque Eufebius protulit, Conftantino non ingratam, fed cui tamen Nicæni Patres, ad confutandam novi dogmatis impietatem addendum cenfuerunt: *Genitum non factum, Confubftantialem Patri*. Confubftantialis vocem principio admittere recufavit: fed de illius fenfu, & fententia ab Epifcopis edoctus, Nicænæ Fidei & ipfe fubfcripfit, uti pluribus admonet in fua ad Cæfarienfes epiftola. Attamen fincera ne mente, an ficte, utque Imperatori blandiretur, fubfcripferit, in incerto eft; nam Fidei Nicænæ adverfariis focietate, & amicitia poftea conjunctus fuit. Arii tamen doctrinam damnare vifus eft, & eos præcipue, qui dicerent Filium Dei ex nihilo factum, aut ex non extantibus, quemadmodum ex ejus etiam libris contra Marcellum editis conftat: unde inter fufpectæ, & dubiæ fidei viros merito recenfetur. Verum qui de Eufebii Cæfarienfis orthodoxia, aut heterodoxia plura cupit, doctifsimos viros adeat, qui hujufmodi quæftionem diligentifsime difputarunt; in tanta enim opinionum varietate, Eufebii fortem, non fecus, ac Salomonis, aut Origenis, Deo refervamus. Illud præterea admonemus, inter ipfius infigniora opera libros quindecim de præparatione evangelica, & viginti de evangelica demonftratione recenferi, quos, cum jam Epifcopus efset, in vulgus edidit. Interea Euftatio Antiocheno Epifcopo Arianorum factione ejecto, Epifcoporum & populi fuffragio Antiochena Sedes ei oblata eft; qui tamen recufavit, ob idque meruit Conftantini Augufti litteris commendari. Dein Synodis Tyrienfis, & Hierofolymitanæ interfuit, unaque cum Arianis Athanafii depofitioni fubfcripfit. Inde autem ad Conftantinum reverfus, ut de geftis contra Athanafium

JESU CHR. AN. 326.

Eufeb. lib. 10. 4.

Valef. fup. Dupin. tom. 1. fec. 4.
Nat. Alexand. fec. 4. Differt. 17.
Bull. de Divinit. Jefu Chrif.
Montfaconius præf. in comment. Eufeb. in Pfal.
Bar. 340. Bafnag. 326.
Clericus Bibl. univerf. to. 10. vita Eufebii.

JESU CHR. AN. 326. *Caveus in append. ad Tom. 1. hist. litt. Dissert. 3. & epist. apolog. adversus Clericum.*

sium rationem redderet, vitam usque ad annum 330. circiter produxisse creditur. Sicuti inter Ecclesiasticos scriptores merito adscriptus est; ita dignus etiam fuisset, qui in illustriorum Episcoporum numerum referretur, nisi ob perpetuam cum Arianis consuetudinem, & societatem infamiam quodammodo nomini suo intulisset.

Alexandri Alex. Episc. obitus, cui succedit Athanasius. *Athanas. apol. contra Arianos Tomo 1. p. 178. Theod. lib. 1. 26.*

5. Post Nicænam Synodum cum Alexandriam rediisset Alexander Episcopus, senio & laboribus confectus, paulopost obiit, cujus memoria ex eo vel maxime illustris perseverat, quod adversus Arianam perfidiam ad mortem usque certaverit. Tempus, quo occubuit, indicat Athanasius: *Mensibus quinque nondum exactis* a Nicæna Synodo, *obiit beatæ memoriæ Alexander*. Theodoretus vero: *Cum admirabilis ille Episcopus Alexander, qui Arii blasphemiam expugnavit, post quinque menses a Synodo Nicæna vivendi finem fecisset, Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulatum Athanasius suscepit*. Idem narrat Cæsariensis in Palæstina Arianorum Synodus, ut in Synodico apud Labbeum: *Alexandro vero Papa Alexandriæ quinto post mense, quam Nicæa domum reversus esset, ad Dominum digresso, Athanasius Præsulatum accepit*. Quare cum Nicæna Synodus circa Septembrem anni elapsi finem habuerit, hujusce initio Alexandrum fato functum esse constat.

Labb. tomo 2. pag. 85.

De gestis Athanasii ante Episcopatum. *Nazian. or. 21.*

6. Alexandro successit Athanasius, qui, Nazianzeno teste, *in unum virtutes omnes collectas habebat*; de cujus ordinatione antequam dicamus, juvat aliqua de tanto viro præmittere. Itaque nihil certi exstat de Athanasii parentibus & ortu; quæ enim Eutychius, Severus, aliique Orientales vulgarunt, omnia esse ad fabulas amandanda, ostendit inter cæteros Renaudotius. Omnium tamen ore celebratur, quod adhuc puer, cum similibus ludens baptismum administraverit, uti est a Ruffino traditum in hæc verba: *Tempore, quo apud Alexandriam, Petri martyris diem Alexander habebat Episcopus, cum post expleta solemnia conventuros ad convivium suum clericos expectaret in loco mari vicino, videt eminus puerorum super oram maris ludum, imitantium (ut fieri solet) Episcopum, atque ea, quæ in Ecclesiis geri mos est. Sed cum intentius diutine pueros inspectaret, videt ab his geri quædam etiam secretiora, & mystica. Perturbatus illico, vocari ad se Clericos jubet; atque eis quid eminus ipse videret, ostendit. Tum abire eos; & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumque adessent,*

Renadot. hist. Patriarch. Alex. in Athanasium. Ruffin. histor. lib. 10. 14.

sent, quis eis ludus, & quid egissent, vel quomodo, percuncta-tur. Illi, ut talis habet ætas, pavidi negare primo; deinde rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos a se esse quosdam Catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogaverat; ubi videt secundum Religionis nostræ ritum cuncta constare; collocutus cum Concilio Clericorum, statuisse traditur, illis, quibus integris interrogationibus, & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea, quæ a Sacerdotibus mos est. Athanasium vero, atque eos, quos ludus ille vel Presbyteros habere visus fuerat, vel Ministros, convocatis parentibus sub Dei obtestatione tradidit Ecclesiæ suæ nutriendos. Parvo autem tempore cum a Notario integro, & Grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus, continuo tamquam fidele Domini commendatum, a parentibus restituitur Sacerdoti, ac velut Samuel quidam in templo Domini nutritur, & ab eo pergente ad Patres in senectute bona ad portandum post se ephod sacerdotale diligitur. Hactenus Ruffinus, cui Socrates, Sozomenus, aliique plurimi tum veteres, tum recentiores plane assentiuntur: fabulosam tamen, vel suspectæ saltem fidei judicari oportere totam hanc Ruffini narrationem criticorum plurimi existimant; *Hæc Ruffini historia* (inquit adposite Maurinus auctor Vitæ Athanasii) *grandi apud Eruditos laborat suspicione; etsi enim per ætatem Athanasii minime repugnaret ejusmodi lusus, quod haud facile tamen concedatur de adolescente, qui ex superius dictis duodeviginti annorum erat, non is erat Alexander, qui tam seria in re, ludum puerorum ratum haberet.* Quare in opinionum varietate, cuique de hac re judicium relinquimus, & certiora de Athanasii vita persequimur. Igitur perfectionis vitæ studio incensus in solitudinem secessit, & Antonium convenit, cujus eo tempore fama longe lateque celebrabatur, ipso Athanasio in Antonii vita abs se scripta testante: quæ caussa fuit, cur Ægyptii Episcopi inter Ascetas Athanasium numerarent: *Nihil mali, ut isti scripsere,* idest Ariani, *de illo proferebant, sed optima quæque prædicantes probum, pium, christianum ex Ascetis unum, ac verum Episcopum nuncupabant.*

7. Vix adolescentiam ingressus, cum divinis, humanis-que

[Margin: JESU CHR. AN. 326.]

[Margin notes: *Socrat. lib. 1. 15.* *Sozom. lib. 2. 17.* *Bar. 311. 61.* *Pag. ibid. n. 26.* *Bolland. die 2. Maii.* *Hensch. 26. Febr.* *Renad. histor. Patriarch. Alex. pag. 86.* *Tillemont. tomo 8. pag. 651. vita Athanas. pag. 3.* *Basn. an. 326.* *Athen. tom. 3. pag. 794.* *Apol. contra Arianos to. 1. pag. 129.* Athanasii oratio contra gentes.]

JESU CHR. AN.326.

que litteris excelleret, Orationem contra gentes vulgavit, eloquentem adeo eruditamque, ut a perfecto Oratore, provectoque Theologo, nil ultra desiderari posse videretur. Huic alteram de Incarnatione Verbi Dei contra Judæos addidit; utrasque autem ante hæresis Arianæ ortum vulgatas fuisse, ex eo colligunt Monachi Sancti Mauri Athanasianorum operum editores, quod nec Verbum de Ario, aut Arianis in iis occurrat. Iis tamquam velitationibus ad majora certamina, quæ instabant, instruebatur; ut deinde inter Triarios, & veteranos, gravissimum adversus Arianos bellum gereret.

Athanasius in clerum cooptatur.

8. Post hæc in Clerum adscriptus ab Alexandro Episcopo, Diaconus ordinatus est; cumque Arius venena sua spargere, largiusque propagare cœpisset, Alexander Episcopus Athanasium præ cæteris Arianæ hæresi objecit, eundemque ad Nicænam Synodum duxit; ubi pro catholica Fide strenue adversus Arianos dimicans, ipsorum in se odium teterrimum concitavit: uti Episcopi Ægyptii in Synodica epistola ad Episcopos Ecclesiæ catholicæ testantur. *Cum Arius impietatis auctor ab Ecclesia ejectus fuisset a beatæ memoriæ Alexandro Episcopo, Eusebius cum suis, qui ejus impietatis discipuli, & participes erant, se ejectos fuisse arbitrantes, multa scripsere, quibus Alexandrum Episcopum rogarent, ne Arium extra Ecclesiam relinqueret. Alexandro autem ob suam in Christum pietatem, impium illum non recipiente; Athanasio tunc Diacono succensebant, quod curiose sciscitantes ipsum frequentissime cum Alexandro versari, & ab ipso in pretio haberi audivissent. Cum autem ex iis, quæ in Nicæna Synodo adversus Ariomanitarum impietatem confidenter locutus est, ejus in Christum pietatem experti essent, in majus odium exarserunt.* Hæc de Arianorum odio in Athanasium, antequam etiam Episcopus ordinaretur: quem postea acrius adhuc infectatos esse, ex eadem Ægyptiorum Præsulum Epistola intelligitur.

Apol. contra Arianos to. 1. pag. 128.

Athanasius divinitus electus Alexandrinæ Ecclesiæ præficitur.

9. Ad Episcopatus officium divinitus electum fuisse, ita Sozomenus narrat: *Sub idem tempus Alexander Episcopus Alexandriæ, cum ex hac vita migraturus esset, Athanasium successorem reliquit, divinis ut arbitror jussionibus ad eum designandum impulsus. Etenim Athanasius ipse fugam paravisse dicitur, & per vim ab Alexandro coactum esse, ut Sacerdotium acciperet, cujus rei testis est Apollinaris Syrus ita dicens: Cum Alexander ex hac vita vocaretur, & jam morti vicinus esset, Atha-*

Sozom. lib. 2. 17.

Athanasium absentem nominatim vocare cœpit ; & cum alter ejusdem nominis, qui illic aderat, vocanti respondisset, isti quidem nihil dixit, quippe quem non vocabat ; Rursus vero vocare præstitit, cumque id sæpius fieret, is quidem, qui aderat silentio transmittebatur, designabatur vero is, qui aberat. Quin & prophetico spiritu Beatus Alexander ita locutus est: effugisse te credis, Athanasi, non effugies, significans scilicet eum ad certamen vocari ; & Apollinaris quidem hæc de Athanasio scribit. Quare paulo post Alexandriam reversus, omnium consensu, ac maxima cum populorum lætitia Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus est ordinatus. *Nos autem*, ita Ægyptii Episcopi in laudata alias Synodica, *cum tota civitate, & universa provincia testes sumus, totam multitudinem, omnemque Catholicæ Ecclesiæ populum, quasi uno corpore, uno animo congregatum exclamasse, vociferatum esse, ac Athanasium suæ Ecclesiæ Episcopum petiisse. Hoc publicis votis Christum rogabant; hoc nos diebus, noctibusque plurimis facere adjurabant, nec ipsi Ecclesia discedentes, nec nos abire permittentes. At nihil quidem mali (ut isti scripsere) de illo proferebant; sed optima quæque prædicantes probum, ac Christianum, ex Ascetis unum, ac verum Episcopum nuncupantes. Quod autem ex nobis quamplurimi sub omnium conspectu, & omnibus præ gaudio acclamantibus ipsum ordinaverint, nos testes sumus, qui ordinavimus, & fide quidem digniores iis, qui tunc aberant, & jam talia mentiuntur.* Ordinationem multis laudibus celebrat Gregorius Nazianzenus, cujus hæc sunt inter cetera : *Sic igitur & ob eas causas totius populi suffragiis, non autem secundum pravam formam, quæ postea obtinuit, per vim aut cædem, sed Apostolico, ac spirituali modo ad Marci thronum provehitur, non minus pietatis, quam sedis successor.* Hæc Nazianzenus de Athanasii ordinatione, quem miro Dei consilio ad hujusce modi munus evectum fuisse adnotat Sozomenus, *utpote eloquentia juxta, atque intelligentia præditum, & ad occurrendum insidiis adversariorum paratissimum cujusmodi virum illa tempora quam maxime postulabant.*

Apol. contra Arianos tom. I

Greg. Naz. orat. in Athan.

Sozom. lib. 2. 17.

10\. Enimvero Athanasii electionem, ordinationemque tanto consensu & plausu factam apertissimis calumniis, putidisque mendaciis Ariani infamare conati sunt, sicuti Ægyptii Episcopi in superius laudata epistola Synodica testantur : *Atque ita implacabiles sunt, ut ejus etiam in Episcopatum*

Arianorum calumniæ in Athanasii ordinationem.

Athan. op. Tom. I. pag. 128.

JESU CHR. AN. 325. *tum promotionem reprehendant ; ac se se undique Viro inimicos , & infensos exhibeant ; eo solum mendacia loquentes , ut eum suis calumniis infamem reddant . Ajebant siquidem post Alexandri Episcopi obitum sex aut septem Episcopos eum clam , & in obscuro loco ordinasse* . Impudentius adhuc de Athanasii ordinatione mentitus est Philostorgius scribens , Athanasium Ecclesiam s. Dionysii invasisse , atque a duobus Episcopis , cæteris resistentibus , ordinatum fuisse . De Athanasii ordinatione apposite Ruffinus : *Hujus tanti in Ecclesia pro Fidei integritate agones fuerunt , ut etiam de hoc videatur dictum esse illud , quod scriptum est : Ego enim ostendam ei quanta eum pati oporteat pro nomine meo ; in hujus etenim persecutione universus conjuratus Orbis , & commoti sunt Principes terræ , gentes , Regna , exercitus cojerunt adversus eum* . Quod ex ejusdem historia apertius infra constabit .

Philostorg. lib. 2. 11.

Ruffin. lib. 10. 14.

Act. cap. 9.

Ariani cum Meletianis contra Athanasium sociantur.

11. Arianorum perfidiam æmulati sunt Meletiani , societate cum ipsis inita adversus Athanasium . *Mensibus quinque nondum exactis* a Nicæna Synodo , ait Athanasius , *obiit beatæ memoriæ Alexander , Meletiani vero , quos quiescere par erat , & gratiæ loco habere , quod aliqua saltem ratione in Ecclesiam essent admissi , more canum non obliti vomitum suum , iterum perturbant Ecclesias . Quapropter Eusebius re cognita , cum esset ipse Arianæ hæreseos patronus , mittit ad Meletianos , quos magnis sibi pollicitationibus devincit , initaque cum illis clanculum amicitia , negotium constituit sibi opportuno tempore gerendum* . Eadem de Meletianorum cum Arianis societate habet Sozomenus , a quo præterea traditum , Meletium paulo post Nicænam Synodum , *cum jam migraturus esset e vita , contra decretum Synodi Nicænæ , Joannem quemdam e familiaribus suis in suum locum subrogasse , ac rursus turbarum in Ecclesia auctorem fuisse* . Ad hujusmodi autem turbas digitum intendere videtur Eusebius , dum ait , restituta per Orbem pace a Nicæna Synodo , in Ægypto tamen adhuc dissidia viguisse : *Cunctis inter se pacem colentibus , apud solos Ægyptios implacabilis contentionis furor ardebat ; adeo ut molestiam quidem exhiberent Imperatori , non ideo tamen eum ad iracundiam excitarent . . .* De Meletianis , Arianisque Athanasio infensis agens Epiphanius , multa quidem minus vere scribit ; nihil tamen mirandum , quippe qui ea ex Meletiano auctore incaute fuerit mutuatus : hinc in Alexandrum Alexandriæ Episcopum , & catho-

Athan. Apol. contra Arianos Tom. 1. pag. 178.

Soz. lib. 2. 18. 21.

Epiph hær. 68

tholicos, schismatis causam & culpam conjicit; Meletianos vero, quos certis argumentis constat execratione dignos fuisse, laudibus celebrat. Verius multo hæc inter cetera de iisdem Athanasio scripsit Constantinus Augustus: *De illis autem omni execratione dignis Meletianis, scilicet improbissimis, ac nefariis hominibus, qui stupore demum perculsi obturpuere, quique per invidiam, perturbationem, atque tumultum, absurdas res movent, nefariamque suam mentem demonstrant, hæc eloquar &c.* His addenda, quæ Athanasius quoque Episcopis Ægypti significavit: *Perspicite, quomodo ii, qui antea inter se pugnabant, nunc ut olim Herodes, & Pontius contra Dominum nostrum Jesum consensere*; & post aliqua, *hinc fit, ut in hujusmodi conjuratione, suam mutuo commodare possint improbitatem, ita ut Meletiani quidem Arianorum simulent impietatem, Ariani vero Meletianorum pravitatem nequitia tutentur.*

Apolog. contra Arianos Tom. 1. pag. 127. 184.

Athan. epist. ad Episcopos

12. Quæ anno superiore Nicomediæ, eadem hoc labente vicennalia Romæ celebravit Constantinus, Urbem ingressus die octava Julii, Idacio teste. De hujusmodi solemnitate audiendus Zozimus: *Cum autem dies quidam more patrio festus adpetisset, quotidie in Capitolium exercitui ascendendum erat, eum ascensum verbis contumeliosis impudenter insectans, & a ritu sacrorum recedens, Senatus, atque Populi odium incurrit.* Cum enim neque ipse uti mos erat, Jovi sacrificaturus Capitolium ascendisset, neque id a militibus fieri permisisset; Senatus, Populique Romani Idololatriæ addictissimi odia in se concitavit, ideoque ab orbe quamprimum discedens, in animum induxit Imperii sedem alio transferre.

Constantini Vicennalia Romæ celebrata. *Pag. not. an. 325. 326. Basnag. ibid. Murat. ibid. Idac. in Fastis Zozim. lib. 2. 19.*

13. Interim tamen vigesimum Imperii sui annum illustrem reddidit privilegiis Catholicæ Ecclesiæ collatis, a quibus Schismaticos & Hæreticos alienos esse statuit hac edita sanctione: *Privilegia, quæ contemplatione Religionis indulta sunt, Catholicæ tantum legis observatoribus prodesse oportet; Hæreticos non solum ab his privilegiis alienos esse volumus, sed etiam diversis muneribus constringi, & subjici: Kal. Septembris, Constantino Aug. VIII., & Constantino Cæsare Coss.* Mitius cum Novatianis egit, quibus Ecclesias, & loca sepulchris apta habere permisit, quod quiete viverent, neque Catholicis molestiam inferrent; cum Acesius illorum Episcopus ob morum integritatem ipsi esset acceptissimus. Quamquam alia lege non multo post edita, eandem Novatianis, quam cæte-

Privilegia Ecclesiæ Catholicæ concessa. *Lib. 1. Cod. de hoer. lib. 1. Tit. 5.*

Cod. Theod. leg. 2. de hæreticis.

Sozom. lib. 2. 3. Socrat. lib. 5. 10.

 ris

Jesu Chr. An. 326. Constantini lex contra omnes hœreses Euseb. vita Const. lib. 3. 64.

ris hæreticis pœnam inflixit. *Agnoscite nunc*, ajebat, *hujus legis beneficio, o Novatiani, & Valentiniani, Marcionitæ, Pauliniani, & quibus Cathaphrygum nomen est inditum, omnes denique, qui hæreses privatis cœtibus instruitis, atque impletis, quot mendaciis opinionis vestræ vanitas implicetur, & quam perniciosis venenis imbuta sit vestra doctrina, adeo ut sanis morbus gravissimus, viventibus perpetua mors per vos importetur &c.* & post plurima in detestationem hæresum omnium: *Quid est*, inquit, *quod hujusmodi mala diutius toleremus..... Quocirca quando hæc vestræ improbitatis pernicies amplius ferri non potest, præsenti lege interdicimus, ne quis vestrum imposterum conventus agere præsumat.* Quibus idcirco loca, in quibus conveniebant, auferri præcipit, ut non modo in publico, sed ne in privatis quidem ædibus, ac locis congregari possent. Alia lege hæreticorum libros perquiri jussit. Hac legum severitate factum est, teste Eusebio, ut Schismaticorum, & Hæreticorum quamplurimi ad Ecclesiam redirent; alii quidem ex animo, & sincere, alii ficte, & Imperatoris minis perterriti. At Ecclesiarum Antistites *facta diligenti perquisitione eos quidem, qui simulanter accedere tentarent procul abigebant, eos vero, qui sincere id agerent, aliquanto tempore exploratos, post idoneam probationem, in numerum eorum, qui ad sacros conventus admittebantur, retulerunt.* Quare hæreticorum numerus eousque est imminutus, ut plurimarum sectarum, quæ tunc vigebant, pene memoria interierit; nam qui in iis pertinaciores perseverarunt, cum successores non reliquerint, una cum iis defecerunt, ut habet Sozomenus; Novatianis tamen exceptis, qui, eodem Sozomeno teste, longo adhuc tempore perseverarunt. Ne autem cum ceteris hæreticis Ariani numerarentur in supradicta Constantini lege, Eusebii dolo factum Baronius existimat; nec Sozomeno assentiendum putat, qui ea ætate eos nondum in sectam divisos fuisse scribit. Verosimilis tamen Sozomeni sententia videtur; nam Nicænæ Synodi definitione, atque Ario una cum pertinacioribus ejusdem fautoribus in exilium pulsis, si non finita, sopita saltem ea videbatur quæstio, quo factum est, ut illos ea lege inter hæreticos non meminerit Constantinus.

Sozom. lib. 2. 32.

Bar. an. 326. 22.

Constantinus Idololatriam exterminat. Euseb. vita Const. lib. 4. 23

14. Ad Idolorum prætetea cultum, superstitionemque extirpandam, tantam eodem tempore diligentiam adhibuit, ut teste Eusebio: *Cunctis sub Romano Imperio degentibus tam plebeis*,

beis, *quam militibus occlusæ essent fores cultus simulacrorum*, *& quodvis sacrificiorum interdictum*; & post pauca de ejusdem in Deum pietate subdit: *Crebris legibus*, *& constitutionibus interdixit omnibus ne simulacris sacrificarent*, *ne vates curiose consulerent*, *neve simulacra erigerent*, *aut arcana sacra peragerent*, *postremo ne cruentis gladiatorum spectaculis urbes contaminarent*. *Cumque Ægyptii & Alexandrini fluvium suum ministerio quorumdam hominum effœminatorum colere consuevissent*, *lex quoque ad eos data est*, *ut omnis Androgynorum natio*, *tamquam adulterina*, *e medio tolleretur*, *nec usquam conspicerentur ii*, *qui hujusmodi impudicitiæ morbo laborassent*. *Sed quoniam superstitiosi homines existimabant*, *Nilum posthac more solito agros suos minime irrigaturum*, *Imperatoris legi favens Deus*, *contrarium prorsus*, *quam speraverant*, *præstitit*. *Nam illi quidem*, *qui urbes obscænitate sua polluebant*, *esse desierunt*. *Ipse autem fluvius*, *quasi expiata*, *purgataque ipsi tota regione*, *uberior quam unquam ante affluxit*, *& largiore aquarum copia exundans*, *agros omnes irrigavit*, *stultos homines reipsa docens*, *atque admonens impuros quidem aversari oportere*, *soli autem Deo omnium bonorum auctori prosperos casus esse adscribendos*. Hæc Eusebius de Constantini imperatoris zelo in evertendo Idolorum cultu, quæ etiam Eunapii Sardiani Ethnici scriptoris testimonio in vita Edesii confirmantur: *Fieri namque potest*, *ut istud occultum habuerit Edesius*, *ob temporum iniquitatem*, *quod tum Constantinus Imperium regeret*, *qui Fana toto orbe celebratissima evertebat*, *& Christianorum ædificia extruebat*. Tanta tamen erat Orbis Romani in Deorum cultu cæcitas, & obstinatio, ut ne repetitis etiam legibus extirpari nisi longa annorum serie potuerit; quare Libanius in oratione pro Templis, aliquot abhinc annis recitata scribit, Romæ, alibique permissa, seu potius tolerata fuisse sacrificia, ea præcipue, quæ Nilo offerebantur. *Nec vero Romæ solum*, ait, *Sacrificia permissa sunt*, *verum etiam magnæ illi*, *ac populosæ Urbi Serapidis*, *& templorum multitudine refertæ*, *quorum ope communem cunctis hominibus reddit Ægypti ubertatem*; *Porro hæc ubertas donum est Nili &c.* Qua autem ratione Nilo sacra, epulæque fierent, deinde narrat. Jamvero cum Eusebius Libanio vetustior, & fide dignior diserte tradat a Constantino sublatos fuisse Nili sacerdotes, hoc unum dicendum superest, vel Libanium consulto mentitum esse; vel illos paulo

post,

JESU CHR. AN. 326. cap. 25.

Eunap. Sard. in Vitis Philos. in Edes.

Jesu Chr. An. 326. post ipsius ætate fuisse restitutos, quæ caussa fuerit, cur nunquàm sublatos existimaverit. Ceterum hæc Socrates de eadem re

Socrat. lib. 1. 18. litteris prodidit: *Sequenti anno, & reliquis deinceps annis exundavit Nilus, atque etiamnum exundat, adeo ut re ipsa declaratum sit, Nilum non ob superstitionem illam Gentilium, sed ex divinæ Providentiæ decreto ascendere.* Heliopolitanorum præterea corruptissimos mores, effusamque libidinem in melius reformasse Constantinum, idem Socrates scribit: *Et delubro Veneris in Aphacis ad Montem Libanum demolito, nefanda, quæ illic committebantur flagitia penitus extirpasse. Atque Pythonicum Dæmonem in Cilicia fugavisse, æde in qua ille delitescebat funditus everti jussa.*

Qua ratione Constantinus populos à Deorum cultu ad veram Religionem revocaret. Soz. lib. 2. 5.

15. Quod porro in Religionis negotio vim nemini inferendam esse censeret Constantinus, ut subditas sibi gentes ab Idolorum cultura ad Dei cognitionem revocaret, omnem adhibebat diligentiam, ait Sozomenus, atque in primis, ut populi ad contemnenda templa, & quæ in Templis erant simulacra consuescerent. Insuper industria, & opera Christianorum, qui in Palatio erant, pretiosissima quæque falsorum Numinum simulacra ex adytis, & occultis penetralibus Templorum in publicum prodita sunt; ac quæ prius inaccessa fuerant, solisque sacerdotibus nota, omnibus pervia fuere. Ex simulacris autem, quæ pretiosiora erant, igne conflata in pecuniam redacta sunt; quæ vero ex ære artificio præstabant, ea undique collecta ad Regiæ urbis ornatum comportata, in plateis, circo, & palatio collocata sunt. In his & Apollinis statua, quæ fuit in Templo, ubi Phythia reddebat oracula, & statua Musarum ex Helicone, & Tripodes Delphici; & Pan ille celeberrimus, quem Pausanias Spartanus, & civitates Græciæ post bellum contra Medos gestum publice dedicaverant. Templa vero partim januis, partim tectis nudata, sic neglecta paulatim ruebant; vel subversa funditus delebantur; quæ quantum Idololatriæ abolendæ contulerint, ex eodem Sozomeno intelligimus. *Namque alii quidem, cum ea, quæ prius sancta, ac formidanda duxerant, temere projecta viderent, & stipula, ac feno intus referta, contemnere cœperunt, quæ prius religiose coluerant, & majorum suorum errorem incusare. Alii vero, cum Christianos beatos idcirco existimarent, quod ab Imperatore in pretio haberentur, institutum Principis imitandum sibi esse censuerunt. Alii cum doctrinam Chri-*

Christianorum attentius examinare cœpissent, signis quibusdam, aut somniis, aut Episcoporum, vel Monachorum colloquiis inducti, consultius arbitrati sunt Christianam fidem amplecti. Hinc factum ut populi, & civitates sua sponte a prioribus institutis resilientes, Christianam susciperent Religionem. Ex his Navale urbis Gazæorum, quod Majuma nuncupatur, etsi superstitioni admodum deditum esset, repente ad Christi fidem se transtulit. Imperator vero eorum pietati vicem rependens, maximo honore illos affecit, obscurumque locum ex nomine suo Constantiam dici voluit, sicuti alterum in Phænicia Constantinam appellavit; de quibus plura apud Eusebium videri possunt. *Euseb. Const. vita lib. 3. cap. 54. ad 59.*

16. Constantino hactenus res prospere adeo cesserant, ut meliora vix cupere, aut majora sperare posse videretur. Verum hoc anno humanarum rerum vicissitudines, & fortunæ inconstantiam expertus, non levem crudelitatis, & credulitatis notam incurrit; siquidem Crispum Cæsarem, filiorumque primogenitum vita privavit, deinde Faustam uxorem, ac postea Licinianum Licinii olim Imperatoris, sororisque suæ filium, ut alios prætereamus. Cur optimæ spei adolescentem, qui non obscura tum pietatis, tum bellicæ virtutis indicia dederat in bello contra Licinium gesto, Constantinus sustulerit, se ignorasse Victor in Epitome, & Orosius testantur: *Incertum qua causa Patris judicio occisus fuerit*, ait Victor; Orosius vero: *Latent causæ cur vindicem gladium, & destinatum in impios, Constantinus Imperator etiam in proprios egit affectus, nam Crispum filium suum interfecit*. Novercali tamen odio, seu Faustæ insidiis Crispum periisse diserte Zosimus tradit, & supplicium paulo post de ea sumptum confirmat: *Ubi Romam Constantinus venit, omnis arrogantiæ plenus, ab ipso lare sibi sumendum impietatis exordium existimavit, nam Crispum filium Cæsaris ornatum titulo, quod in suspicionem venisset, quasi cum Fausta noverca consuesceret, nulla ratione juris naturalis habita, sustulit. Cumque Constantini mater Helena tantam calamitatem ægre ferret animo, & intollerabilem ex cæde juvenis dolorem perciperet, quasi consolans eam Constantinus, malum malo majori sanavit; nam cum balneum accendi supra morem jussisset, eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit*. Eadem de Crispi, & Faustæ interitu narrat Victor de Cæsaribus: *Crispum filium necari jubet, dehinc uxorem in balneos ardentes conjectam inte-*

Crispi Cæsaris obitus.

Oros. lib. 7. 28.

Zosim. lib. 2. 29.

JESU CHR. AN. 326. Marcell. lib. 14. 11.

interemit. Quo loco occisus sit Crispus, indicat Marcellinus *Paulæ* scilicet oppido Istriæ, *ubi quondam peremptum Constantini filium accepimus*. Tantam porro ob hæc invidiam incurrerat Constantinus, ut palatinis foribus hoc fuerit appensum dysticon

Sidon. Apoll. lib. 5. epist 8.

Saturni aurea sæcula quis requirat
Sunt hæc Gemmea, sed Neroniana.

Pag. Basnag. Murat. ad an. 326.

Crispi obitum anno 324. Baronius refert; Alexandrinum Chronicon, & Hieronymus ad Eusebii Chronicum anno 325. alligant; labenti tamen accidisse multa suadent. Audiendus in primis Idacius in fastis: *Constantino Cæsare bis consulibus occisus est Crispus, & edidit Vicennalia Constantinus Romæ*. Ex Zosimo etiam scimus, Crispi interitum eo tempore accidisse, quo Constantinus Romam ad Vicennalia celebranda advenerat. *Ubi Romam venit &c.* ut supra. Insuper ex Eusebio, & Porphyrio discimus Crispum Cæsarem superiore anno in vivis adhuc fuisse, quo tempore Nicomediæ Vicennalia Cæsarea Constantinus celebravit, uti pluribus Pagius probat. Post Crispum, & Faustam, Licinianum quoque Cæsarem Licinii Imperatoris filium, interfecit. Unaque alios plurimos iis affines, aut familiares

Eutrop. lib. 10

tunc interemptos fuisse testatur Eutropius. In hæc autem infortunia, si mavis etiam crimina, Constantinum incidisse ob-

Bar. an. 324. 2.

servat Baronius, eo quod *sui ipsius, nescio qua incuria, prorsus oblitus, Augurum responsa captare cœpisset, ac perinde atque non esset Deus in Israel, misisset ad consulendum Deum Accaron*; itaque Saulis exemplo Dei iram in se concitasse cum lege lata consulendorum Augurum potestatem Gentilibus fecit; quæ etsi vera sint, a Christiana tamen fide ipsum defecisse nequaquam constat. Quare cum perdificile, ac periculosum sit calamitatum causas inquirere, & Dei judicia scrutari, nil verius dici potest, quam Constantinum crudelitati adeo indulsisse ex præcipiti ira, animoque ad suspicionem propenso.

De Constantini pœnitentia veterum fabulæ. Orsi Tom. 5. lib. 12. n. 133. 134. Tillemt. Murat.

17. Tantam labem, suscepto tunc Romæ Baptismate eluisse Constantinum, veterum plurimi tradiderunt; & acta Silvestri Pontificis, aliaque non satis probatæ fidei monumenta referunt, sed quid de hisce ac ceteris eo pertinentibus sit judicandum notius hodie est, quam ut hic oporteat commemorare. Absurdiora multo sunt, quæ de Constantini pœnitentia insulsissimus ejus

ejus hostis Zosimus scribit; eum scilicet Christianæ Religioni nomen dedisse, ut lustrationem, quam ab Idolorum sacerdotibus frustra exquisierat, apud Christianos obtineret: *Horum criminum ipse sibi conscius, ad Flamines accedens, admissorum lustrationes poscebat. Illis respondentibus non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula posset eluere, quidam Hispanus genere, cui nomen esset Ægyptius Romam delatus, Palatinisque mulierculis familiaris factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmavit, & in id ipsum adeo polliceri; nimirum acceptantes eam homines impios, mox omni delicto liberari. Eam orationem cum non gravate Constantinus accepisset, ac patria missa faceret, perceptis iis, quæ hic Ægyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, ut divinationem suspectam haberet. Nam quod ei multæ res prosperæ per hanc prædictæ fuissent, eventumque re ipsa sortitæ, verebatur, ne itidem aliis adversus ipsum hanc consulentibus, id quod futurum esset, prædiceretur; atque hoc consilio impulsus, ad hujusmodi abolenda se convertit.* Hæc Zosimus, quæ usque adeo apud Gentiles vulgata fuerant, ut eadem serio confutanda censuerit Sozomenus. Conficta tamen hæc fuisse a Christianæ Religionis hostibus, inde facillime probatur, quod Constantinus longe ante Crispi, Faustæque interitum Christianæ fidei suscipiendæ votum, propositumque inierat, ut leges ab eo una cum filio Cæsare pro Christianis latæ testantur; sed de fabulis Zosimi jam satis, quæ contemptu magis, quam confutatione exsuflantur.

JESU CHR. AN. 326. *Zosim. lib. 2.*

Sozom. lib. 1. 5.

18. Luctuosam de Crispi, & Faustæ interitu tragœdiam in suis de Costantini vita libris præteriit Eusebius, eaque de causa pœnas Baronio dedit, quod perfecti historici munus non impleverit, cujus officii est, nil falsum dicere, nihil veri silentio premere. Eusebiani tamen silentii causa manifesta est; cum enim eos libros Constantini, & Faustæ filiis dicaverit, Constantio scilicet Coustanti, & Constantino, inopportuum prorsus, ac periculosum fuisset ejusmodi historiam, qua Constantini æque ac Faustæ memoria periclitabatur, iis ingerere, ac luctuosi casus memoriam refricare. Eusebii silentium errandi causam Evagrio dedit, qui Crispum, & Faustam a Constantino morte damnatos inficiatur, & Zosimum mendacii insimulat. Non Zosimi tantum testimonio factum illud nititur, sed Vi-

Cur silentio hæc Eusebius obvolverit. *Bar. 324. 5.*

Evagr. lib. 3. 40. 41.

ctoris, preterea Eutropii, Idacii, Hieronymiani, & Alexandrini Chronici, Sozomeni, aliorumque, quorum magis probata fides, quam ut possit in dubitationem adduci.

JESU CHRISTI AN. 327. SILVESTRI PAPÆ 14.
CONSTANTINI IMPERATORIS 21.
COSS. FL. VALERIO, CONSTANTINO, ET MAXIMO.
OLYMP. 176. AN. 3. URBIS AN. 1080.

Constantinus Constantinopolim ædificat. Socrat. lib. 1. 16.

1. Constantinus, *celebrata publica festivitate vicennalium suorum*, uti anno elapso diximus, *statim ad instaurationem ecclesiarum omne studium contulit, idque tum in aliis civitatibus præstitit, tum in Urbe sibi cognomine. Quam quidem, Byzantium antehac appellatam, magnopere amplificavit, & ingentibus cinctam muris, variisque ædificiis exornatam reginæ urbium Romæ exæquans, Constantinopolim nominavit, utque nova Roma vocaretur lege sanxit*, ait Socrates; *Sacram* enim

Zosim. lib. 16.

Religionem subjungit Zosimus, idest Deorum cultum, *conculcans, incurrit odium Senatus, populique. Non ferens autem omnium in se propemodum jacta convicia, quærebat urbem Romæ æquandam, in qua palatium sibi constitueret, & Byzantium concessit*. Romani quippe Idolorum cultui adeo devoti erant, ut urbis a Deorum superstitionibus expurgandæ spes

S. Leo in natali Apost. Petri & Pauli serm. 82. edit. Baller.

nulla superesse videretur; nam uti vere S. Leo Pontifex scripsit, *cum omnibus gentibus dominaretur, omnium gentium serviebat erroribus*. Ut itaque urbem a superstitionibus vacuam incoleret, de transferenda Imperii sede consilium Constantinus iniit. Antequam vero Byzantium eligeret, *progressus ad campum, qui est ante Ilium secus Hellespontum, supra tumulum Ajacis, quo in loco Achivi, qui Trojam oppugnarunt, castra, & navale habuisse dicuntur, urbis formam, & magnitudinem delineavit, & portas construxit in edito loco, quæ ex mari etiamnum visuntur a præternavigantibus*; sed mutato

Sozom. lib. 2. 3

postea consilio, seu Dei monitu, *urbem, quæ prius Byzantium vocabatur amplificatam ingentibus muris cinxit*, & amplissimis ædificiis constructis, egregios viros cum familiis suis incolas, ac dominos earum esse jussit, quorum alios ex seniore Roma, alios ex aliis Provinciis vocaverat. Circo etiam, & fontibus ac porticibus, & reliquis operibus ambitiose exornavit, ac juniorem Romam vocavit; post vero triennium dedi-

dedicavit, ideſt anno 330., ubi de ejuſdem Urbis ædificiis, & ornatu iterum ſermo redibit. De anno, quò Conſtantinus novam Urbem ædificare cœpit, variæ, diſcrepanteſque ſunt eruditorum opiniones, num ſcilicet elapſo potius, aut labenti, vel ſequenti id acciderit, de quo plura cupientem ad Pagium, alioſque amandamus, qui hujuſmodi quæſtionem ſedulo diſputarunt.

JESU CHR. AN. 327. *Pag. not. ad an. 324. n. 26.*

2. Novam Urbem *plurimis Oratoriis*, teſte Euſebio, *exornavit, ampliſſimiſque martyriis, & ſplendidiſſimis ædibus partim in ſuburbiis, partim in ipſa civitate conſtructis, atque hoc modo ſimul Martyrum honoravit memoriam, ſimul civitatem ſuam ipſi Martyrum Deo conſecravit*: atque in id potiſſimum incubuit, ut eſſet ab omni Idolorum cultu prorſus immunis.

Oratoria, & ædificia Conſtantinopoli ædificata. *Euſeb. vita Conſtan. lib. 3. 48. 49.*

3. In Palæſtina autem, quam præſentia ſua, prædicatione, miraculis, & paſſione Dominus Noſter Jeſus Chriſtus illuſtraverat, quamplurima Chriſtianæ Religionis trophœa Conſtantinus erexit, & templa extruxit. Ejus vero pietatem æmulata Helena mater, etſi annorum gravis eſſet, in Palæſtinam & ipſa nihilominus perrexit, *ut debitum piæ affectionis munus Deo omnium Regi perſolveret*, & pro filio ſuo, ac prò filiis ejus Cæſaribus cariſſimis nepotibus ſuis gratias ageret, inprimis vero ut Servatoris noſtri veſtigia debito cultu veneraretur, prout olim propheticus ſermo prædixerat: *Adoremus in loco ubi ſteterunt pedes ejus*. Ut autem pietatis ſuæ fructum poſteris relinqueret, *duo ſtatim templa dedicavit; alterum ad ſpeluncam, in qua natus eſt Dominus; alterum in eo monte, ex quo in Cœlum aſcenderat; & Deiparæ Virginis partum eximiis monumentis ornavit, ſacram illam ſpeluncam omni cultus genere illuſtrans. Nec multo poſt Imperator eamdem Domini Nativitatem regalibus donariis honoravit, variis ex auro, & argento monumentis, veliſque acu pictis, matris ſuæ cumulans magnificentiam*, ait Euſebius.

Palæſtinam luſtrat, ſacriſque ædibus exornat. *Euſeb. vita Conſtan. lib. 3. 47. Idem ut ſupra cap. 42.*

4. Ethnici nimirum ſpeluncam, quam Dei Filius nativitate ſua illuſtraverat, variis modis polluerant, ædificato ibidem Adonidi, & Veneri templo, ut teſtes ſunt Paulinus, & Hieronymus: *Bethlem*, ajebat Hieronymus, *nunc noſtram, lucus inumbrabat Thamus, ideſt Adonidis, & in ſpecu ubi quondam Chriſtus parvulus vagiit, Veneris amaſius plangebatur*. Loco itaque ab Idolorum ſuperſtitionibus expurgato, tem-

Bethlemi ſpelunca a Gentilibus polluta. *Paulin. epiſt. ad Severum. Hier. ad Paulinum epiſt. 13*

 plum

Jesu Chr. An. 327.

Chrysosth. hom. in Lucam cap. 2.

plum in Dei honorem ibidem extrui jussit; quod tanta magnificentia exornavit, ut auro, & argento undique fulgeret; quare inquiebat Chrysostomus: *Nunc nos Christiani quasi pro honore tulimus lateritium, & posuimus argenteum. Sed mihi pretiosius est, quod ablatum est; argentum autem, & aurum meretur Gentilitas, Christiana fides meretur illud luteum. Non tamen contemno eos, qui in Templo fecerunt vasa aurea, sed admiror Dominum, qui creator est Mundi, non inter aurum, & argentum, sed in luto nascitur.* Hæc ille de specu, ubi natus est Mundi Redemptor, quem fideles tanta veneratione prosequebantur, ut & laterem asportarent, & pro latere argentum, & aurum darent.

In loco, ubi Christus in Cœlum ascenderat, aliud Templum erigitur.

Euseb. cap. 42.

De vestigiis Christi terræ impressis.

Zach. cap. 14.

Hieron. de locis hebr.

5. Ad hæc piissima Augusta, in memoriam Ascensionis Christi in monte Olivarum, sublimia extruxit ædificia in ipso montis vertice, Imperator vero eodem in loco variis ornamentis ac donariis templa ditavit. De Ecclesia in monte Oliveti in loco ubi Christus Dominus in Cœlum ascenderat, auctores fide dignissimi, ac fere coævi narrant, Christi Domini vestigia eo in loco impressa adeo remansisse, ut nunquam deleri potuerint, juxta Zachariæ prophetiam: *Stabunt pedes ejus in die illa supra Montem olivarum, qui est contra Hierusalem ad Orientem*, de quibus ita Hieronymus: *Mons Oliveti ad Orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa hodieque monstrantur. Cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur; nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt. Denique cum Ecclesia, in cujus medio sunt, rotundo schemate, & pulcherrimo opere conderetur; summum tantum cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi, & concamerari potuit, sed transitus ejus a Terra ad Cœlum usque patet apertus.* Consentiunt Paulinus Nolanus, & Sulpicius Severus, quorum loca brevitatis studio præterimus; Cyrillus vero Hierosolymitanus Episcopus: *Stat*, inquit, *ad hodiernum usque diem Mons Olivarum, qui ascendentem in nube oculis fidelium modo commonstrat, & portam, qua ascendit in Cœlum, indicat.*

Paulin. ut sup.

Sulpic. hist. lib. 2.

Cyril. catech. 14.

Jesu Christi sepulchrum ab Idolorum contaminatione expurgatur, tem-

6. Jesu Christi vero sepulchrum, & locum in quo resurrexerat, illustriorem reddidit, dum amotis inde Gentilium simulacris, magnificentissimum ibidem Templum erigendum jussit Constantinus. Cum enim *salutarem speluncam impii quidam*,

dam, ait Eusebius, *ac profani homines funditus abolere in animum induxissent, stulte admodum opinati, se hoc modo veritatem esse occultaturos*; plurima humo aliunde advecta, totum locum impleverant, ac cum mediocri altitudine opus extulissent, lapide constrato, sacram Speluncam obtexerant, ac supra illud infaustum prorsus animarum sepulchrum ædificaverant, ædem & altare in honorem lascivi Dœmonis, seu Veneris extruentes. His itaque ad solum dejectis, dirutisque, cementa ipsa quam longissime extra fines regionis asportata fuerunt. Deinde terra effossa undique, præter spem dominicæ Resurrectionis monumentum apparuit, & Spelunca illa, quæ Sancta Sanctorum vere dici potest in lucem prodiit.

Jesu Chr. an. 327. plumque ibidem extruitur. *Euseb. vita Constantini lib. 3. cap. 25. 26.*

7. Quare Imperator Rectoribus Provinciarum per Orientem illico præcepit, ut impensis copiose subministratis, ingens, amplumque templum ibi ædificandum curarent. Ad Macarium vero, qui tunc temporis Herosolymorum regebat Ecclesiam, has litteras dedit: *Tanta est Servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur, nam sacratissimæ Passionis monumentum sub terra jampridem occultatum tot annorum spatio delituisse, quoad communi hominum hoste sublato, idest Licinio, famulis ejus in libertatem vindicatis effulgeret, omnem revera admirationem superat*; & post aliqua, *illud tibi inprimis persuasum velim, nihil mihi antiquius esse, quam ut sacrum illum locum, quem Dei jussu turpissima adjectione Simulacri, velut gravi quodam pondere exoneravi, & qui ab initio quidem Dei judicio sanctus fuit, postea vero multo sanctior effectus est, ex quo Dominicæ Passionis fidem in lucem protulit; eum, inquam, locum fabricarum pulchritudine exornemus. Decet itaque prudentiam tuam, singula ad opus necessaria ita disponere, & curare, ut non modo Basilica ipsa omnium, quæ ubique sunt, pulcherrima, sed & reliqua membra ejusmodi sint, ut omnes quantumvis eximiæ singularum urbium fabricæ, ab hac una facile superentur. Ac de parietum quidem substructione, & elegantia, Draciliano amico nostro, agenti vices Præfectorum Prætorio, & Præsidi Provinciæ scias a me curam esse commissam. Jussit siquidem pietas nostra, ut artifices, & operarii, & quæcumque ad hoc opus necessaria esse ex prudentia tua cognoverit, protinus instante illorum sollicitudine dirigantur. De columnis vero, & marmoribus quæcumque, & pretiosiora, & utiliora esse ipso aspe-*

Constantini epistola ad Macarium Hierosolym. Episcopum. cap. 30. 31. 32.

JESU CHR. AN. 327. *aspectu judicaveris, cura, ut ad nos perscribas, ut cum ex literis tuis cognoverimus, quot, & qualibus opus sit, ea undique possint comportari. Æquum est enim, ut qui præ totius Orbis locis maxime admirabilis est locus, pro dignitate sua exornetur. Porro cameram Basilicæ, utrum laqueatam, an alio quopiam operis genere faciendam censeas, certior a te fieri velim. Nam si laqueata fiet, auro quoque poterit exornari. Restat igitur, ut Sanctitas tua supra memoratis judicibus quamprimum significet, quot operariis, & artificibus, & sumptibus opus erit; utque ad me celeriter referat, non modo de marmoribus, & columnis, sed etiam de lacunaribus; si hoc opus venustius esse censueris. Divinitas te servet Frater carissime.* Hactenus cap. 33. Eusebius, qui addit admotam continuo manum operi fuisse, cap. 34. ad 40 quod magnifico & regio plane apparatu extructum Imperator innumeris ferme *ornamentis, ac donariis partim ex auro, & argento, partim ex gemmis illud diversimode ornavit*. Labente anno inceptum fuisse ex epistola ad Dracilianum data intelligimus: quanta vero celebritate trigesimo Imperii sui anno perfectum absolutumque Constantinus dedicaverit, opportune suo tempore explicabim . Cyrillus Hierosolymitanus, aliique Cyril catech. 14. Martyrion, sive A . tasim, nempe Resurrectionis Templum, Athan. Apol. tom. 1. 199. appellaverunt; un. . . ictum, ut duo ibidem templa extructa fuisse nonnuli falso crediderint, namque unum idemque fuisse Vales. epist. ad Euseb. hist. Martyrion, & An. . tasim pluribus ostendit inter ceteros Valesius. Titulorum porro diversitas inde forte orta, quod plu- Pag. ad an. 326. n. 12. rium ejusdem templi ædicularum, una Martyrion, altera Basnag. an. 326. 7. Anastasis dicta fuerit, uti Eucherius innuit. *De locis Sanctis*, ait, *pro conditione platearum divertendum est ad Basilicam, quæ Martyrium appellatur, a Constantino Magno extructa; dehinc cohærentia ab Occasu insunt Golgotha, & Anastasis est in loco Resurrectionis*. Unicam tamen Basilicam ibidem ædificatam fuisse cum Eusebio Socrates, & Sozomenus scribunt; quin idem Eusebius in oratione quoque de laudibus Constantini tres Basilicas in memoriam Mysteriorum Christi ab eodem ædificatas fuisse tradit, una scilicet in antro ubi Christus Mundo Euseb. de lad. Constant. cap. 9. apparuit, idest ad Præsepe Domini; *altera ubi assumptus est in montis jugo; tertiam vero in Spelunca, quæ inter utramque media est; Servatoris nostri certamina, & victoriam extollens*; idest uno ædificio Passionis, & Resurrectionis locum illustrans.

8. Eu-

8. Eusebius Helenæ in Palæstinam peregrinationem persequens, salutiferæ Crucis inventionem, & prodigia ea occasione parata, nec verbo meminit, tot tamen tantisque testibus, iisque fere coævis testata res est, ut nullam dubitationem pariatur; quin ipsemet Eusebius ea confirmare videtur, ita scribens Commentario in psalmum 87.: *Si quis animum adhibeat iis, quæ nostro tempore ad speluncam, & Martyrium Salvatoris patrata sunt, mirabilibus, re sane deprehendet, quo pacto ea, quæ prænunciata fuerant, opere completa sint*; quibus sane verbis miracula in Crucis inventione facta designasse clarius est, quam ut oporteat probare: nuspiam enim prodigia facta vel Eusebius, vel alius quisque memorat, nisi cum Christi Crux inventa fuit. De hujusmodi inventione non multo post tempore quam contigerat ita in epistola ad Constantium Imperatorem scripsisse constat Cyrillum Hierosolymitanorum Episcopum: *Tempore Deo dilectissimi, & beatæ memoriæ Constantini, salutare Crucis lignum Hierosolymis repertum est, divina Gratia concedente ei, qui recte quærebat pietatem, etiam abstrusam locorum Sanctorum inventionem*. Fusius vero rem narrat Ambrosius in oratione funebri Theodosii: *Venit ergo Helena cœpit revisere Loca Sancta, infudit ei Spiritus, ut Lignum Crucis requireret. Accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ; ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non invenio*; & post aliqua: *Aperit itaque humum, decutit pulverem; tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerta hæret ut mulier; sed certam indaginem Spiritus sanctus inspirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum, sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret, & inverteret. Redit ad Evangelii lectionem; invenit quia in medio patibulo prælatus titulus erat, Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Hinc collecta est series veritatis, titulo Crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Judæis Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi; id est, non ea scripsi, quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret: non vobis scripsi, sed posteritati; propemodum dicens: Habeat Helena, quæ legat, unde Crucem Domini recognoscat; invenit ergo titulum; Regem adoravit, non lignum, quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum; sed adoravit illum, qui pependit in ligno scri-*

JESU CHR. AN. 327.
De Crucis inventione.
Euseb. Const. vita lib. 3. 24.
Montefauc. praef. in Euseb. psalm. cap. 3. n. 6.
Euseb. in psal. 87. pag. 549.
Cyril. pag. 352
Ambros. in orat. Funebri Theod. tom. 4. pag. 295.
Crucis titulus invenitur.

JESU CHR. AN.327. *scriptus in titulo*; *illum qui*, *sicut* Scarabæus clamavit, *ut persecutoribus suis Pater peccata donaret. Avida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare Sacramentum salutis. Læto corde, & trepidante vestigio quid faceret nesciebat. Pertendit tamen ad cubile veritatis. Lignum refulsit, & gratia micuit.* Hactenus de Crucis inventione Ambrosius; cui congruit Chrysostomus; *Cum tres Cruces inventæ essent, par est, & quia media erat, & propter titulum Domini Crucem agnitam, nam latronum Cruces titulum non habebant.*

Crisost. in Joan.

Miracula in Crucis inventione patrata. *Paulin. ad Severum epist.31*

9. Paulinus tamen, & Ruffinus, Salvatoris Crucem prodigio a cæteris distinctam fuisse produnt: *Regina illa venerabilis*, idest Helena, *ut venit Hierosolymam*, inquit Paulinus, *diligenter & pie locis illis, & circa omnibus, divinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens fidem, quam piis auribus litterisque perceperat; Crucem Domini studiosissime perquirere adorsa est*; & adhibitis ejusdem loci peritissimis viris, in loco sibi designato terram effodi jussit: cui operi cum cives ac milites manum admovissent; terræ finibus alta egestione reseratis, tres Cruces simul inventæ sunt, quibus Dominus, & latrones quondam fixi fuerant. At quæ Salvatoris esset, incertum erat; quare cum periculum esset, ne aut patibulum latronis pro Cruce Domini eligeretur, aut salutare Lignum pro patibulo abjiceretur, tale consilium initum est, ut cadaver alicujus ea die defuncti inferretur, quod cum uni ex crucibus admotum esset, ligni vim mors sprevit; at ubi salutare Lignum cadaver tetigit, Redemptoris virtutem continuo sensit, & excussa morte, vivus, & integer stetit, qui mortuus fuerat, eadem habet Sulpicius; Ruffinus vero non mortuum revocatum ad vitam, sed seminecem fœminam incolumitati redditam fuisse scribit, cum Macarius Hierosolymorum Episcopus Christi Crucem post duas alteras, decumbenti fœminæ imposuisset. Consentiunt Theodoretus, Socrates, Sozomenus, aliique plures, quos recensere non vacat.

Ruffin. hist. l. 1. cap. 17. Thodor. lib. 1. 18. Socrat. lib. 1. 17. Sozom. lib. 2. 1.

Crucis lignum in partes divisum per totum orbem. *Rufin. lib. 1. 8 Socr. lib. 1. 17. Theod. Sozom. ut supra.*

10. Inventæ Crucis partem Helena filio detulit, ait Ruffinus, *partem vero thecis argenteis conditam derelinquit in loco, quæ etiamnum ad memoriam sollicita veneratione servatur. Constantinus vero ut Crucis partem accepit, ratus civitatem, in qua illa servaretur omnino salvam, & incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli in foro collocata est*, testibus Socrate, Theodoreto, Sozomeno, aliisque.

Per

Per totum deinde Orbem ejusdem particulæ delatæ sunt; & ut prætereamus eam partem, quæ Romam translata in ecclesia, quæ S. Crucis dicta est, recondita fuit, & ad hæc usque tempora magna religione servatur; quæ Hierosolymis recondita fuerat, per totum licet Orbem divisa, vix tamen damnum passa, longo post tempore perseverabat, unde hæc Paulinus Nolanus in Epist. ad Severum: *Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat; quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus, sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sangine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.* S. quoque Cyrillus, qui per hæc tempora in Hierosolymitana cathedra sedit, & Crucis inventione interesse potuit, quippe cum sub Costantio Constantini filio post Maximum Macario successerit, Crucis in partes pene infinitas divisionem catechesi quarta meminit. *Ligno Crucis universus terrarum Orbis per partes repletus est.* Rursum Cathechesi decima tertia: *Per particulas ex hoc loco per universum orbem sparsum est*; & iterum: *Lignum Crucis testatur, ad hodiernum diem apud nos* [illegible] *eos, qui secundum fidem ex illo* [illegible] *cupientes, hinc universum Orbem fere jam replerunt.*

Jesu Chr. an. 327.

Paulin. epist. ad Severum.

11. Hæc tamen, tot tantorumque Virorum illustribus testimoniis confirmata, Calvinianis scriptoribus, quibus omnis Reliquiarum cultus & veneratio superstitionem perverse sapit, suspecta sunt, & quæ potissimum Cyrillus tradit, ab ipso conflata impudentissime blaterat Basnagius; *Partim, ut pergratum fieret Constantio, qui Reliquiis extra modum delectabatur, partim ut Ecclesiæ Hierosolymitanæ honos augeretur.* Miseret sane hominem ingenio & doctrina præstantem, in transversum adeo partium studiis agi potuisse. Quot fere Hierosolymis, & in Palæstina tunc versabantur homines, tot saue falsi Cyrillum revincere poterant, si quid minus forte verum in re, quam omnibus exploratam esse plane oportebat, Imperatori scripsisset. Non itaque, etiamsi id maxime voluisset, imponere Augusto potuit Cyrillus: voluisse autem Episcopum religione pietateque sanctissimum, eccui quæso suaserit Basnagius? Vereor equidem vehementer, ne id ipse quoque persuasum animo habuerit. Sed enim, inquit post Salmasium aliosque suo de grege criticos, Crucis inventæ non meminit

Basnagii, & Salmasii de Crucis inventione injusta censura.

Basnag. an. 316.

JESU CHR. AN. 327.

Eusebius in Vita Constantini. Meminere Cyrillus, Ambrosius, Sulpicius; Paulinus, & alii, quorum sane non minoris quam Eusebii, fides, & auctoritas æstimanda. Cæterum commentario in Psalmum 87. rem ipsemet Eusebius memorat, uti paullo antea præmonuimus.

De Christi clavis, eorumque usu. *Ambros. ut supra.*

12. Una cum Cruce inventi sunt Clavi, quibus Salvator confixus fuerat: *Quæsivit clavos* Helena, inquit Ambrosius, *quibus crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit: de altero diadema intexuit, unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit.... Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas Crucis redemptionis divina gemma connecteret; misit & frenum, utroque usus est Constantinus, & idem transmisit ad posteros Reges*. Et paulo post: *Recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi præsidium, in vertice corona, in manibus habena quoque de Cruce, ut potestas regat, sitque justa moderatio, non injusta præceptio*. Clavo autem freno intexto hanc Zachariæ prophetiam adcommodat Theodoretus: *In die illa erit, quod super frenum equi est, Sanctum Domino*, quæ tamen à Hieronymo non probantur.

Teod. hist. lib. 1. *Hier. in Zach. cap. ult.*

De Basilica ad Quercum Mambre.

13. Inter Templa, quæ Constantinus, & Helena in Palæ[illegible] illum quoque ad Quercum Mambre, ubi Abrahamo Angeli apparuerant, recensetur. Admonitus quippe a socru, idest Eutropia Faustæ uxoris matre, & Helenæ in peregrinatione comite, superstitiosum cultum, & illicita sacrificia ibidem ab Ethnicis offerri, datis continuo litteris, Eusebio Cæsariensi mandavit, ut Ecclesiam ibidem extruendam curaret, hæc inter cetera scribens: *Sanctissima Socrus mea, vel hoc unum maximum erga vos beneficium est, quod sceleratorum quorumdam nefariam audaciam, quæ apud vos hactenus occulta fuerat, suis ad nos datis litteris indicavit; ut quod diu neglectum est crimen, etiam si sero, attamen necessario competenti cura, & animadversione a nobis emandetur. Est enim revera impietas gravissima, ut loca sancta detestandis piaculis inquinentur. Quidnam vero illud est, fratres carissimi, quod cum vestram subterfugerit solertiam, nostra, ut diximus, Socrus ob divini cultus reverentiam tacere non potuit? Locus ille, qui ad Quercum Mambre vocitatur, in quo Abrahamum habitasse comperimus, fertur a superstitiosis quibusdam hominibus omni modo contaminari. Nam & simulacra omni digna exitio juxta illam*

Epistola Constantini ad Eusebium. *Eusb. Constant. vita lib. 3. cap. 52. 53.*

illam arborem erecta esse; & aram proxime extructam. & impura sacrificia assidue illic peragi, ad nos relatum est. Quod quoniam, & alienum a temporibus nostris, & ipsius loci sanctimonia indignum videtur, sciat Gravitas vestra, mandatum a nobis esse per litteras Acacio viro perfectissimo, comiti, & amico nostro, ut sine ulla dilatione, & simulacra omnia, quae memorata in loco reperta fuerint, igni tradantur, & ara funditus evertatur; utque omnes, qui post jussionem nostram impium aliquid admittere in eo loco ausi fuerint, debito supplicio afficiantur. Quem quidem locum puro Basilicae aedificio exornari praecipimus, ut idoneus sanctis viris consessus efficiatur. Quod si quid adversus praeceptum nostrum geri contigerit, absque mora ad clementiam nostram litteris vestris illud referri oportebit; ut quicumque deprehensus fuerit, tamquam violatae legis reus, extremo supplicio afficiatur. Hactenus ad Eusebium Caesariensem Episcopum Constantinus, de Ecclesia ad Mambre Quercum aedificanda, quibus & alia de ejusdem loci veneratione subnectit. Plura in hanc rem habet Sozomenus.

JESU CHR. AN. 327.

Sozom. lib. 2. 4.

Helenae obitus.

14. Etsi postremus vitae Helenae Augustae annus in obscuro sit, diu tamen post habitam in Palaestina peregrinationem superstitem non fuisse indicat Eusebius; nam iis recensitis, quae in Palaestina gessit, de ejusdem obitu subdit: *Jam vero cum satis longo vitae spatio decurso ad feliciorem sortem vocaretur, annum aetatis agens octogesimum, in ipso mortis confinio posita, testamento facto, ultimam voluntatem declaravit, haeredem relinquens unicum filium solum Imperatorem, ac Dominum Orbis terrarum, cum filiis nobilissimis Caesaribus nepotibus suis. Quorum singulis bona, quae per universum Orbem possidebat, divisit*; & eodem adstante Constantino mortalem cum immortali vitam commutavit. *Cadaver autem ipsius honore haud quaquam vulgari affectum fuit, nam cum ingenti satellitum numero in regiam urbem pervectum, ibidem in regali monumento depositum est.* Regiae autem urbis nomine Romam designasse Eusebium extra dubium est; meritoque Baronius adnotat errasse Socratem, dum eam Constantinopoli sepultam fuisse scribit, eo quippe tempore, CPolis nondum dedicata, nec Urbs regia, nec nova Roma dici poterat. Nicephorus vero non solum Romae sepultam, sed & defunctam affirmat, atque post biennium Constantinopolim translatam, cui sententiae Pagius subscribit: *Helena Romae obiit, ut Eusebius docet*. Eusebius tamen Romam,

Eus. Const. vita lib. 3. 46.

Bar. an. 326. 62.

Socrat. lib. 1. 17.

Niceph. lib. 8. 31.

Pag. an. 326. n. 15.

 ejus

Jesu Chr. AN. 327. ejus corpus translatum fuisse asserit, defunctam non dicit.

Helenæ pietas commendatur. Eusb. Const. vita lib. 3. 44. 45. 15. Cum multa de Helenæ pietate, munificentia in pauperes, aliisque virtutibus referat Eusebius, nonnulla commemorare juvabit, quæ Epithaphii loco erunt: *Cum Orientem peragrat, civitatibus tum privatis, qui ipsam adibant, innumera beneficia acervatim contulit, innumera quoque militaribus numeris distribuit. Pauperibus autem, ac nudis, & omni ope, ac solatio destitutis quamplurima donavit? illis pecuniam, his vestem; alios item vinculis, aut metallorum ærumnis afflictos exsolvit, quosdam potentiorum violentia oppressos liberavit, nonnullos etiam ab exilio revocavit, quibus operibus cum maximam sibi gloriam comparasset, pietatem erga Deum minime neglexit; nam & assidue cunctis videntibus in Ecclesiam ventitabat, & sacras ædes eximiis ornamentis decorabat. Itaque videre erat mulierem prorsus admirabilem modesto, ac decenti habitu, una cum reliqua multitudine versantem, suamque erga Deum Religionem, omni piorum operum genere declarantem*. Addit Ruffinus, Ruffin. lib. 1. 8. eam ad humilitatis exemplum, Hierosolymis Virgines Deo sacratas ad prandium invitasse, suisque ipsam manibus aqnam manibus infudisse, cibos apposuisse, pocula porrexisse, & famulæ adinstar iisdem inserviisse. Concinunt ferme Theodoretus, Socrates, Sozomenus, aliique; isthæc tamen incredibilia Basnagio videntur, *nec satis Augusta Matre Imperatoris digna, cum in his ministeriis nulla Religionis pars constituatur*. Verum ineptissime, nequid gravius dicam, est hujusmodi Calviniani historici animadversio. Si enim Jesus Christus cum Filius Dei esset, de seipso testatus est: *Non veni ministrari, sed ministrare*; & instante Passione Apostolorum pedes linteo præcinctus lavare non dedignatus, ut idem ipsi facerent præcepit, addens: *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes, exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*: eccur quæso Christiano viro quoque, & ipsa quidem Imperatoris matre indignum arbitrabimur Christi exempla imitari, aut ipsa exequi? Quod vero addit, in iis charitatis, humilitatisque officiis, ac ministeriis, nullam Christianæ Religionis partem constitui, satis superque ex eo refellitur, quod Paulus Apostolus de viduis ad ministerium eligendis inter cetera animadvertendnm admonet, *num hospitio receperint, & Sanctorum pedes laverint*.

Theod. lib. 1. 18. Socrat. lib. 17 Sozom. lib. 2. 2. Basn. an. 326. 8. Matt. 20. 21. Joan. 13. Ad Timoth. 1. cap. 5. 10.

16. Ut

16. Ut Matris memoriam æternitati commendaret Constantinus, Drepanum Bithyniæ oppidum, ædificiis, & ecclesiis auctum, Helenopolim vocari jussit, teste Hieronymo: *Drepanum Bithyniæ civitatem in honorem Martyris Luciani ibi conditi Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit*. Chronicon vero Alexandrinum addit ad sua usque tempora immunem a vectigalibus urbem fuisse ob honorem Martyris Luciani, eademque Socrates, & Sozomenus testantur.

JESU CHR. AN. 327. Drepano Helenopolis nomen imponitur. Socrat. lib. 1. 18. Sozom. lib. 2. 2

17. Ad reliquas Ecclesiæ res quod attinet, hoc tempore Christi Fides apud Barbaras gentes, & Romano Orbe divisas, idest apud Indos, & Iberos est propagata, uti auctor est Ruffinus: *Inter Indiam citeriorem, Parthiamque, media interjacet ulterior India, multis variisque linguis, & gentibus habitata, quam velut longe remotam, nullus Apostolicæ prædicationis vomerem impresserat, quæ tamen temporibus Constantini tali quadam ex causa semina Fidei prima suscepit*. Hanc interiorem Indiam, de qua ibidem Ruffinus, Abyssiniam fuisse multis argumentis ostendit Pagius, demonstratque interiores Ægypti Provincias etiam Nilo conterminas ab antiquis Indiæ nomine designatas fuisse. Quæ vero ibi gesta fuerint, ita persequitur Ruffinus: *Metrodorus quidam Philosophus inspiciendorum locorum, & Orbis perscrutandi gratia, ulteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cujus exemplo etiam invitatus Metropius quidam Tyrus Philosophus, simili ex causa adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus litteris, utpote propinquos instituebat; quorum unus, qui erat junior Ædesius, alter Frumentius vocabatur. Igitur pervisis, & in notitiam captis his, quibus animus pascebatur, cum Philosophus redire cœpisset, aquæ vel cæterorum necessariorum causa, ad portum quemdam navis, qua vehebatur, applicuit. Moris est inibi Barbarorum, ut si quando fœdus sibi cum Romanis turbatum vicinæ nunciaverint gentes, omnes, qui apud eos ex Romanis inventi fuerint, jugulentur. Invaditur navis Philosophi, cuncti cum ipso pariter perimuntur. Pueruli reperti sub arbore meditantes, & lectiones suas parantes, barbarorum miseratione servati, ducuntur ad Regem. Horum ille alterum, idest Ædesium, sibi Pincernam fecit; Frumentio vero, quem quasi perspicacem deprehenderat, & prudentem, rationes suas, scriniaque commisit; ex quo & in honore magno apud Regem habiti & in amore. At vero moriens Rex,*

Evangelium apud Indos propagatur.

Pagius ad an. 327. n. 7. ad 25

Ruffin. lib. 1. 9

JESU CHR. AN. 327.

Rex, uxorem cum parvulo filio regni dereliquit heredem; adolescentibus autem quid vellent, agendi dedit liberam facultatem. Regina tamen, tamquam nihil haberet in toto Regno fidelius, adolofcentes rogavit, ut usquequo adolefceret filius, regendi Regni follicitudinem gererent, & præcipue Frumentium, cujus prudentia ad Regni adminiftrationem utebatur; nam alius fidem puram, & fobriam mentem fimpliciter exhibebat. Cum itaque Frumentius Regni clavum teneret, requirere follicitus cœpit, an inter negotiatores Romanos Chriftiani effent, quibus poteftatem fecit, ut conventicula per loca fingula facerent, ad quæ Romano ritu orationis caufa confluerent. *Poft plurimos autem annos, tum regius puer adolevisset, Regni adminiftratione abdicata Frumentius, & Ædefius in Romanum redierunt Imperium, & Ædefius quidem Tyrum, parentes, propinquofque revifurus rediit*: Frumentius vero Alexandriam perrexit, ac Athanafium rogavit, ut virum dignum mitteret, qui congregatis jam plurimis Chriftianis, & ecclefiis conftructis inter Barbaros Epifcopum conftituat. Athanafius vero, rem attentius confiderans, Frumentium ipfum Epifcopum ordinavit, ac ut unde venerat rediret, juffit. Is vero cum Epifcopus perrexiffet ad Indiam, tanta ei a Deo data eft virtutum gratia, ut figna etiam faceret, ita ut infinitus numerus Barbarorum converteretur ad Fidem. Ex quo in Indiæ partibus & Populi Chriftianorum, & Ecclefiæ factæ funt, & Sacerdotium cœpit. *Quæ ita gefta, non opinione vulgi, fed ipfo Ædefio Tyri presbytero poftmodum facto, qui Frumentii Comes prius fuerat, referente fe cognoviffe*, Ruffinus affirmat. Paria ferme Theodoretus, Socrates, Sozomenus tradunt. Frumentium vero in Æthiopia, feu Abyffinia regione Epifcopum ordinatum fuiffe, atque in Auzuma urbe Abyffiniæ metropoli fedem habuiffe fcimus ex epiftola, quam Conftantinus Imp. ad Ezanam, & Sazanam Auzumitarum Reges dedit, ut Frumentium Epifcopum ab Athanafio ordinatum, ad Georgium Alexandrinæ Sedis invaforem mitterent, de qua epiftola, ab Athanafio in fua ad Conftantium apologia recitata, fuo loco dicemus.

Theodor. lib. 1. 23.
Socr. lib. 1. 19.
Sozom. lib. 2. 26.

Athanaf. apol ad Conftantium Tomo 1. pag. 315.

Iberorum ad fidem converfio.

Ruffin. lib. 10. 10.
Theod. l. 1. 24.

18. Iftis mirabiliora adhuc funt, quæ de Iberorum converfione idem Ruffinus a Bacurio comite Iberorum, olim Regulo, fe accepiffe memorat. Hac itaque ætate Iberorum gens, quæ fub axe Pontico jacet, Chrifti Fidem fufcepit; cum enim Chriftiana mulier Captiva apud eos fobrie & cafte viveret, ac diebus

bus & noctibus Deum non fine maxima illius gentis admiratione exoraret, accidit, ut infans quidam periculose ægrotaret, quem mater, uti apud eas gentes in more erat, de domo in domum, ut morbo remedium quæreret circumferens, ad mulieris Captivæ domum tandem pervenit, eamque, ut si quod nosset, filio suo ægrotanti remedium adhiberet, enixe rogavit. At illa se humani remedii nihil scire testatur; Deum tamen suum Christum, quem colebat, desperatam ab hominibus salutem filio restituere posse addidit, puero dein cilicio suo superposito, fusisque ad Deum precibus, illum continuo matri incolumem reddidit. Rei itaque fama late pervulgata, ad Reginæ aures pervenit, quæ cum viscerum doloribus dirissime torqueretur, Captivam ad se duci jussit. Verum cum hæc Reginam adire renuisset, ne plus forte, quam par esset, præsumere videretur, ad ejus cellulam Regina perrexit, super ipsius cilicium procubuit; & statim ac Christi nomen super illam Captiva invocavit, pristinam sanitatem est consequuta. Quocirca domum reversa, marito tam subitæ sanitatis causam aperuit, qui continuo pro salute conjugis ad Captivam munera deferri jussit. Monuit vero uxor, Captivam neque aurum, aut argentum recipere, id unum ipsam curare, ut Christus Deus ab omnibus coleretur; sed ad hoc Rex segnior fuit, & Christo nomen dare distulit, etsi ab uxore sæpe commonitus; donec accidit, ut quadam die inter venandum, densissimis repente tenebris obortis, & comitibus huc, illucque oberrantibus, solus densissima obscuritate circumdatus, mediis in silvis remaneret, incertus quid ageret, quove se verteret: cum repente *anxios salutis desperatione animos cogitatio talis ascendit: Si vere Deus est Christus ille, quem uxori suæ Captiva prædicaverat, nunc de his tenebris liberet, ut ipsum ex hoc, omissis omnibus, coleret. Illico, ut hæc nondum verbo, sed sola mente devoverat, reddita Mundo dies, Regem ad urbem perducit incolumem. Itaque Reginæ rem protinus, ut gesta est pandit; evocari jamque Captivam & colendi ritum, ut sibi tradat, exposcit, neque se ultra alium Deum, quam Christum veneraturum esse confirmat. Adest Captiva, edocet Deum Christum; supplicandi ritum, venerandique modum in quantum de his aperire fœminæ fas erat, pandit. Fabricari Ecclesiam monet, formamque describit.*

19. Rex igitur populo convocato, quæ hactenus erga se, ac Reginam gesta fuerant, narrat, fidemque edocet, & nondum

JESU CHR. AN. 327. Socrat. l. 1. c. 20. Sozom. l. 2. c. 7.

Miracula patrata dum Iberi Christi fidem suscipiunt.

JESU CHR. AN. 327. dum sacris initiatus, suæ gentis Apostolus evadit. Quare cum multi Christo nomen dedissent, ecclesiam ædificare cœperunt, & elevato festinanter murorum ambitu, columnæ tantum erigendæ supererant, erectaque jam prima, & secunda, cum ad tertiam ventum est, accidit, ut consumptis omnibus machinis, & bovum hominumque viribus frustra adhibitis, ne loco quidem moveri posset. *Admiratio erat*, sequitur Ruffinus, *totius populi*; *Regis animositas hebescebat*; *quid fieri deberet*, *omnes simul latebat*. *Sed cum interventu noctis omnes abscessissent*, *cunctique mortales*, *& ipsa opera cessarent*, *Captiva sola in oratione pernoctans mansit intrinsecus*. *Cum ecce matutinus*, *& anxius*, *cum suis omnibus ingrediens Rex videt columnam*, *quam tot machinæ*, *& tot populi movere non quiverant*, *erectam*, *& super basim suam librate suspensam*; *nec tamen superpositam*, *sed quantum unius pedis spatio aere pendentem*. *Tunc vero omnes populi contuentes*, *& magnificantes Deum*, *veram esse Regis fidem*, *& Captivæ Religionem*, *præsentis miraculi testimonio perhibebant*. *Et ecce jam mirantibus adhuc*, *& stupentibus cunctis*, *in oculis eorum sensim supra basim suam*, *nullo contingente*, *columna deposita*, *summa cum libratione consedit*. *Post hoc reliquus columnarum numerus tanta facilitate suspensus est*, *ut omnes*, *quæ superfuerant ipsa die locarentur*. Cumque ecclesia magnifice constructa esset, atque eadem gens majori ardore Christi fidem sitiret, ad Imperatorem Constantinum totius gentis legatio est destinata, ut sacerdotes recipere mererentur, quorum studio, & opera inceptum perficeretur opus: Constantinus vero legatione accepta, sacerdotes ad eos misit, ac lætatus est non aliter ac si ignotas gentes Romano Imperio adjunxisset. *Hæc nobis ita gesta fidelissimus vir Bacurius gentis ipsius Rex*, *& apud nos domesticorum Comes*, *cui summa erat cura*, *& religionis*, *& veritatis exposuit*, *cum nobiscum Palæstinæ tunc limitis Dux*, *Hierosolymis satis unanimiter degeret*, ait Ruffinus. Has gentes terram non longe a mari Caspio, & Caucasis montibus incoluisse nos monet Plinius, quos supra Armenios ad Septentrionem collocat Sozomenus. *Plin. lib. 6. 10.* *Sozom. lib. 2. 7*

Qua occasione barbaræ gentes Evangelium didicerint. 20. Ad Evangelii quoque propagationem, non semel bella cum Barbaris a Romanis gesta profuerunt, ea præcipue, quæ gessere Principatu Gallieni, & sequentium Imperatorum. Cum enim innumerabilis ea ætate Barbarorum multitudo ex Thracia in Asiam transisset, eamque depopulata esset, Sacerdotes etiam *Sozom. lib. 2. 6*

in

in captivitatem adducti sunt, quorum plurimi vitæ sanctitate, & miraculis barbaras gentes in sui admirationem adeo perduxerunt, ut prudenter se facturos putarent, Deumque propitium habituros, si eos tot virtutibus signisque claros imitarentur.

JESU CHR. AN. 327.

21. Dum Christi Fides inter barbaras gentes, idest Indos, & Iberos seritur, Ariana hæresis, quæ Nicænæ Synodi auctoritate sopita, aut extincta videbatur, ad Ecclesiæ perniciem e cineribus iterum excitatur. Unde autem hæc pestis eruperit, paucis Hieronymus indicat; *Arius ut Orbem deciperet, sororem Principis ante decepit*. Fusius vero rem aperit Ruffinus adnotans, post Helenæ obitum Constantiam tunc Licinii relictam, fratris Augusti, idest Constantini, gratiam promeruisse, in cujus amicitiam cum presbyter quidam, latenter Arii partibus favens, sese insinuasset, ac temporis lapsu in ejus etiam familiaritatem pervenisset, Arii causam agere cœpit; atque Arium invidia, privatisque Episcoporum simultatibus Ecclesia, & patria exturbatum fuisse, frequenter Constantiæ affirmans, ipsi tandem persuasit. Quare eadem diem obitura, cum visitaretur a Fratre, extremam ab eo gratiam petiit, ut presbyterum in suam familiaritatem reciperet, & quæ sibi ab eo pro ope & salute sua suggererentur, audiret. Quo vero dictis fidem faceret, addidit se quidem ex hac luce discedentem nihil curare; de Fratris tamen statu sollicitam vehementer esse, ne forte pro innocentium pœnis Regni sui pateretur excidium. Ille adhibita sorori fide, ejus monitis aurem presbytero accommodavit, moxque Arium de exilio accersivit, testibus Ruffino, & Socrate, qui de presbytero Ariano in consuetudinem Constantini admisso subdit, eum in familiaritatem Imperatoris admissum, omnia, quæ sorori sugesserat, eidem confirmasse; quin addidisse, Arii sententiam cum Nicænis Patribus convenisse. Hæc quidem etsi nova, atque admiranda Imperatori viderentur, ita nihilominus presbytero reposuit: *Si Arius decretis Synodi subscribit, & eadem sentit cum Synodo, eum in conspectum meum admittam libens, & cum honore remittam Alexandriam*; & confestim ad illum has litteras dedit:

Constantia ab Arianis seducta Arianum presbyterum Constantino commendat.
Hier. epist. ad Ctesiphontem.
Ruffin. lib. 10 cap. 11.

Ruffin. lib. 10. cap. 11.
Socrat. lib. 1. 25.

22. *Victor Constantinus Maximus, Augustus, Ario. Jampridem Gravitati tuæ significatum est, ut ad Comitatum nostrum venires, quo Majestatis nostræ conspectu perfrui posses. Sed mirari satis non possumus, quod confestim id non præstiteris. Con-*

Constantini Epist. ad Arium.

JESU CHR. AN.327. *scenso igitur vehiculo publico, ad Comitatum nostrum venire accelera, ut nostram clementiam, & beneficentiam expertus, in patriam reverti possis. Divinitas te servet, frater dilectissime. Data ante diem quintum Kal. Decembrium.* Hactenus Constantini epistola ad Arium, ex qua adnotat Socrates, jam pluries antea Imperatorem epistolis suis Arium ad palinodiam excitasse, curasseque, ut ad se veniret.

Arius ad Constantinum venit, & simulata pœnitentia in gratiam redit. Socrat.l.1.26.

23. *Illis acceptis epistolis*, subdit Socrates, *haud multo post Constantinopolim Arius rediit, & cum eo Euzojus, quem Alexander diaconatus honore exuerat.* Interrogati autem ab Imperatore, utrum catholicæ Fidei consentirent, illi protinus adsensere, & formulam Fidei tradere jussi, compositum a se libellum obtulerunt, *quo profitebantur se credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Dominum Jesum Christum Filium ejus, qui ex eo factus est ante omnia sæcula, Deum Verbum, per quem omnia facta sunt &c.* qua confessione edita, simulataque pœnitentia, cum Constantino persuasisset Arius, se rectam Fidem tenere, Ecclesiæ reconciliatus est, ea tamen lege, ne Alexandriam rediret. *Verum fraudulenta obreptio veritatem, quæ occultabatur, superare non valuit*, ait Socrates. Quot autem inde mala in Ecclesiam derivaverint, infra patebit. Baronius quidem Arium nunquam exulasse, sed simulata pœnitentia a Nicæna Synodo receptum fuisse scribit, ea conditione, ne Alexandriam ingrederetur, quod Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos testatum reliquit. At quæ anno 325. diximus, quæque hucusque de Arii reditu ex Socrate adnotavimus, Arii exilium in dubium vocari non sinunt, & plura rursum in eamdem rem dabit abunde Pagius. Hic tantum juverit adnotasse, ex Arii reconciliatione, & reditu Eusebium Nicomediensem, & Marium, & Theognim animos sumpsisse, ut & ipsi de reditu confidentius agerent; quemadmodum ex ipsorum epistola ad Episcopos intelligimus, qua rogant, ut suum apud Imperatorem reditum curent. *Quando & eum ipsum*, (idest Arium) *qui ob ista accusabatur, placuit reverentiæ vestræ humaniter tractare, & ab exilio revocare.*

Baron.an.327 3.
Hier. Dialog. in Lucif.
Pag. not. 2. 3. 4. ad an.327. Basnag. ibid.

JESU CHRISTI AN. 328. SILVESTRI PAPÆ 15.
CONSTANTINI IMP. 22.
COSS. JANUARIO, ET JUSTO.
OLYMP. 276. AN. 4. URBIS AN. 1081.

1. Ubi Arius ab exilio revocatus est, uti mox dicebamus: *Non multo post Eusebius Nicomediensis Episcopus, pulso Amphione, qui in ejus locum fuerat ordinatus, & Theognius Nicænus, ejecto similiter Cresto, suas Sedes recuperarunt. Revocati sunt autem post libellum pœnitentiæ Episcopis oblatum*; quo testati sunt, se quidem injuria, ac indicta causa condemnatos, judicium adversum se latum placide, & cum silentio tulisse; quia tamen absurdum esset argumentum calumniæ adversus semetipsum silentio suo præbere, idcirco eamdem se fidem profiteri adfirmant: ac se quidem fidei formulæ subscripsisse, anathematismo autem adversus Arium dato subscribere noluisse, quia eum recte sentire tum litteris, cum ex sermonibus in eorum conspectu habitis, arbitrati fuerant. Nunc vero Ario, facta Concilio satisfactione, revocato, æquiore jure se quoque revocandos esse deprecabantur. Absurdum quippe, inquiunt, *cum is, qui reus esse videbatur* (idest Arius) *revocatus, seque de illis, quæ illi objiciebantur, purgaverit, nos silere, & adversus nosmetipsos argumentum ultro suppeditare. Vos ergo, sicut reverentiam vestram Christi amantissimam decet, Imperatorem Deo carissimum admonere dignemini, eique preces nostras offerte, & in nostra causa ea, quæ vobis congruunt, mature decernite*. Hoc accepto libello, quo Nicænæ fidei se subscribere paratos esse profitebantur, ab exilio non solum liberati sunt Eusebius, & Theognis, sed suis sedibus restituti, triennio postquam ejecti fuerant, uti habet Philostorgius. Qua tamen mente Catholicæ fidei suscripserint, ex dicendis constabit; nam Nicœnam fidem, ejusque Propugnatores persequi usque ad exitum non destiterunt.

Eusebius, & Theognis, oblato pœnitentiæ libello, ab exilio liberantur.

Socrat. l. 1. 14.

Philostor. lib. 2. 7.

2. Athanasius interea, Alexandriam reversus, Ægypti Ecclesias Meletianorum, Arianorumque factione turbatas componere, ac fideles, lapsosve reconciliare, vel debiles, dubiosque firmare curavit. Hujus peregrinationis ipse Athanasius meminit, dum de Ischyra pseudo presbytero narrat, eum cum Meletianis, & Arianis sociatum, gravissimas adversum se calumnias vulgasse, ut

Athanasius Diœcesim perlustrat.

Athan. Apol. contra Arian. Tomo 1. pag. 184.

JESU CHR. AN. 328.

Athanasius Thebaidem perlustrans Pachomium visitat.

ut anno 331. fusius dicturi sumus. Itaque cum Athanasius Mareotiden, & Thebaidem pertransisset, ac Thabennam usque pervenisset, id ubi Pachomius cognovit, egressus est cum fratribus obviam sancto viro. Sexennium porro in eremo jam transegerat Pachomius, eamque vitæ perfectionem attigerat, ut Monachorum Pater, & Cœnobitarum Institutor haberetur. In Palemonis solitarii disciplinam se primum dederat; & eremiticam vitam agens, mentem, moresque suos, eo temporis intervallo ita formavit, ut paulo post, Palladio teste: *Eo in spelunca sedente, fuerit ei Angelus Domini, qui ei dixit, Pachomi, ea, quæ ad te pertinent, recte & ex virtute gessisti; supervacue ergo sedes in loco hoc. Age ergo egredere, & congrega omnes juniores Monachos, & habita cum eis, & sequens formam, quam dabo tibi, eis leges constitue.*

Pallad. hist. Lauf. cap. 38.

Pachomius Cœnobiticæ vitæ Institutor.

3. His itaque Angeli monitis excitatus, plures, qui hactenus solitarii vixerant, in unum collegit, brevique temporis spatio eousque dilatata est illa vivendi disciplina, ut in tota Ecclesia innumerabiles utriusque sexus imitatores habuerit. Pachomii Cœnobium Cassiani ætate, idest sæculo vix elapso, quinque millia Monachorum continebat: *In eo Cœnobio*, ait, *plusquam quinque millia fratrum sub uno Abbate reguntur, tantaque obedientia hic tam prolixus Monachorum numerus omni ævo seniori suo subditus est, quanta non potest apud nos unus uni vel obedire pro modico tempore, vel præesse.* Quin si vera narrat Sozomenus, Pachomii congregatio ad septem millia excreverat: *Habitabat Pachomius*, ait is auctor, *in vico Thebaidis Thabenna, ex cujus nomine Thabennenses etiam hodie appellantur. Ex earum legum præscripto viventes celeberrimi extiterunt, & in tanta excreverunt multitudinem, ut ad septem usque hominum millia pervenerint; nam congregatio eorum, qui in Thabennæ insula degebant, quibuscum erat etiam Pachomius, mille, ac trecentos numero Monachos habebat; reliqui vero per Thebaidem, ac Ægyptum dispersi habitabant*: sub uno scilicet Thabennensi Abbate, quibus eadem vivendi ratio, & disciplina erat, ut Auctor adnotat. Pachomii regulam non solum Ægyptii, aut Græci amplexi sunt, sed & Latinorum non pauci: qua de causa Silvanus presbyter eam Hieronymo misit, ut in latinum converteret; quod & fecit, præfationeque auxit, uti nonnullis placet, de quo plura apud Tillemontium, & Dupinium videri possunt. Ajebat enim Silvanus ad Hieronymum, *quod in The-*

Cassian. inst. lib. 4. cap. 1.

Sozom. ut sup.

Tillem. hist. Eccl. tom. 7. pag. 68. not. 15. in Pachom. Dupin. sec. 4. 4. pag. 310.

Thebaide, & *in monasterio Metanoa* (ideft Canobo; Canobus enim Suburbanum Alexandriæ erat, ubi Thabennenses Hieronymi ætate morabantur) *habitarent plurimi Latinorum*; *qui ignorabant Ægyptiacum*, *Græcumque sermonem*, *quo Pachomii*, & *Theodori*, & *Oresiesis præcepta conscripta erant*. Theodorus, & Oresiesis post Pachomium in Thabennensi monasterio præpositi fuerunt. Cœnobiticæ autem vitæ auctorem fuisse Pachomium, in præfatione ad ejus regulam Hieronymus scribit: *Pachomii*, & *Theodori*, & *Oresiesis præcepta conscripta sunt*, *qui primi per Thebaidem*, & *Ægyptum Cœnobiorum fundamenta jecerunt juxta præceptum Dei*, & *Angeli*. Ob quam rem Scriptor vitæ S. Pachomii Magnum Antonium cum Saccheo sic loquentem inducit: *Quo ego tempore Monachum cœpi agere*, *nullum usquiam extabat Cœnobium*, *in quo de aliorum salute cura*, *aut metus cuiquam erat*, *sed quisque antiquorum Monachorum*, *persecutione jam finita*, *privatim in vita se monastica exercebat*. *Postea vero Pater vester tantum bono Deo adjuvante effecit*.

JESU CHR. AN. 328.

Holstenii Cod. reg. pag. 59. tom. 1.

4. Thabennensium Regulam ab Angelo habuisse Pachomium, veterum plurimi tradiderunt. Cyrillus Alexandrinus in epistola anno 419. scripta ad Concilium Carthaginense: *Indicabo vobis*, ait, *quod Pachomius Monachus insignis* ..... *ad Monasterium*, *quod lingua Ægyptiorum vocatur Bonum*, *litteras quas Angelo dictante perceperat*, *ut non errorem incurreret in solemnitatis Paschalis ratione*. Palladius vero de Pachomio: *Ei dedit Angelus tabulam æneam*, *in qua hæc scripta fuerant*; eamdemque tabulam ad sua tempora Monachos servasse Sozomenus narrat: non in tabulis tamen accepisse ab Angelo, sed eo dictante eam scripsisse, Gennadius refert.

De Pachomii Regula.

Holst. tom 1. Cod. reg. Boll. sur., alliique die 14 Maii. Basnag. 527. 6

Sozom. l. 3. 14.

5. Verum, his missis, illud monebo solum, Pachomii Regulæ cœlesti sapientia conditæ, atque ad pietatem fovendam aptissimæ hanc summam fuisse: uniuscujusque arbitrio permittebat quantum edere, bibere, operari, ac jejunare vellet; ita tamen, ut opera magis laboriosa iis imponerentur, qui abundantiori cibo uterentur; faciliora vero abstinentioribus. In singulis cellulis tres degebant Monachi, in uno autem conclavi simul omnes cibum cum silentio sedentes sumebant. Peregrinorum nullus una cum illis vescebatur, nisi forte illac pertransiens exciperetur hospitio. Triennii spatio in difficilioribus ii exercitabantur, qui eorum societati inscribi postula-

Pachomii regulæ summa capita.

JESU CHR. AN. 328.

ftulabant; pellibus veftiebantur, mitris lineis tegebant capita, & tunicis lineis, pellibufque induti, fedentes in cathedris ad fomnum fe fternebant; primo autem, ac poftremo hebdomadis die ad facrorum Myfteriorum communionem accedentes, Zonas folvere, ac pelles deponere jubebantur. Duodecies vero intra diei, noctifque curfum orationi vacabant, pfalmum ad quamlibet orationem addentes. Tota Monachorum Congregatio in viginti quatuor claffes erat divifa; fingulæque claffes fuo nomine diftinctæ erant pro vita, ac moribus fingularum: verbi gratia, fimpliciores Jota dicebantur; fic alii aliis litteris diftinguebantur. Hifce legibus difcipulos fuos inftituit Pachomius, vir Deo admodum carus, *itaut futura prænofceret, & cum Angelis fæpe numero loqueretur*.

Virginum Monafteria ædificantur.

6. Neque apud viros tantum Cœnobitica, feu monachalis vita, Pachomio auctore, propagari cœpit; fed inter fæminas etiam, quarum prima Pachomii foror fuit, quæ eo hortante ejufmodi vitæ genus arripuit, & Virginum Cœnobium extruxit, cui aut ipfe Pachomius, aut ejus nomine fanctioris vitæ Monachus præerat, quare ad Principiam fcribit Hieronymus ex Athanafio, & Petro Alexandrinis Epifcopis, difciplinam Virginum, & Viduarum, quæ in Cœnobiis Pachomii fervabatur, Marcellam didiciffe: *Nulla eo tempore nobilium fæminarum noverat Romæ propofitum Monachorum. Hæc* (Marcella fcilicet) *ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaque Athanafio, & poftea Petro, qui perfecutionem Arianæ hærefeos declinantes, Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, Monafteriorumque in Thebaide Pachomii, ac Virginum, & Viduarum didicit difciplinam, nec erubuit profiteri, quod Chrifto placere cognoverat*. Quantum autem hujufmodi vivendi ratio in Ægypto hac ætate primum fervata, brevi temporis fpatio in Oriente, & Occidente fuerit propagata, facile cognofcitur ex iis, quæ de Virginum Cœnobiis in Ægypto prodit Chryfoftomus: *Non ita*, inquit ipfe, *variis Aftrorum choris Cœlum refulget, ut Ægypti eremus innumeris Monachorum, ac Virginum diftinguitur, ac illuftratur habitaculis*.

Syncletica Virgo vitæ Monafticæ Magiftra.

Holften. not. in Martyrol. Rom. die S. Januarii Bolland. ibid.

7. Inter primas, quæ in Ægypto Virginum afceteria ædificaverint, Syncletica virgo Alexandrina numeratur, cujus vitam ab Holftennio, & Cotelerio editam, Athanafio Nicephorus, Holftennius, Bollandus infcribendam cenfeut. Athanafii pietate aut ftylo non indignam judicat Cotelerius; Maurini vero Atha-

Athanasii editores inter apocrypha recensent. Sed de Cœnobitica vita virorum, & mulierum per S. Pachomium instituta, & propagata, hactenus: opportuno tempore infra videbimus, quomodo eadem ex Oriente in Occidentem per Athanasium postea inducta fuerit.

Coteler. monum. Eccl. Græc. pag. 101 Niceph. l. 8. 4. Coteler. ibid. pag. 754. Athan. op. Tom. 2. pag. 680.

8. Interea ad Athanasium Ægypti Ecclesias, & Monasteria perlustrantem est revertendum, quem non solum Pachomium Cœnobitarum Patrem, sed & Antonium Monachorum omnium facile Principem, ea occasione adiisse, verosimile est. Siquidem ipsemet Athanasius in præfatione ad ejusdem Vitam: *Sæpe illum vidi*, ait, *qui non modico tempore virum secutus sum, atque lavanti manus aquam effudi*. Quæ autem esset ubique Antonii celebritas, idem Athanasius his verbis declarat: *Quod autem ubique fama ejus pervagata fuerit, quod omnibus admirationi, iisque etiam qui numquam hominem vidissent desiderio fuerit, id sane illius virtutis, animæque Deo caræ argumentum est. Nequaquam enim scriptis suis, non gentili sapientia, non aliaque arte, sed sola erga Deum pietate celebris fuit Antonius, quod sane donum esse Dei, nemo eat inficias. Unde enim in Hispanias, in Gallias, Romam, in Africam, in monte latentis viri fama delata fuerit, nisi Deus suos ubique terrarum claros, notosque redderet!*

Athanasius Antonium magnum visitat. *Tom. 1. par. 2. pag. 794. Antonii vita pag. 865.*

9. Quare ipse Imperator Constantinus, ejusque Filii, datis ad eum litteris, se, suaque ejus orationibus commendarunt. *Porro Antonii fama ad Imperatores usque pervenit. Hæc cum didicisset Constantinus Augustus, itemque filii ejus Constantius, & Constans Augusti, illi tamquam Patri scripsere litteras mutuo ab illo accipere peroptantes*. Antonius vero nec eas magni fecit, aut iis acceptis gravisus est, quin ad Monacos conversus ait: Ne miremini, si ad nos scribat Imperator, homo cum sit; sed miramini potius, quod legem hominibus scripserit Deus, & per proprium Filium nobiscum locutus sit. Illas ideo vix rogatus admisit, dicens, se nescire ejusmodi litteris rescribere; rescripsit tamen, laudans eos, quod Christum adorarent; admonensque ne præsentia magni facerent, sed potius diei Judicii recordarentur, scirentque Christum solum, & æternum esse Imperatorem. Rogabat denique, ut humanitati studerent, ac curam gererent justitiæ, & pauperum.

Constantinus, ejusque filii ad Antonium scribunt, ejusque orationes postulant. *Antonii vita n. 81. pag. 855*

10. Tanta rursum fama longe lateque inclaruerat Antonius, ut ipsi Ethnici ejus videndi desiderio tenerentur; & cum ali-

Gentiles Antonium videre cupiunt.

JESU CHR. AN. 328. *Antonii vita num.* 70. aliquando Alexandriæ esset, non solum Catholica plebs ejus aspectu lætaretur: *sed Gentiles ipsi*, ait Athanasius, *immo eorum Sacerdotes ad Dominicum accedentes, rogarent, ut hominem Dei videre ipsis liceret*. Philosophorum vero nonnulli usque ad ejus solitudinem sese contulerunt, ut cum eo alloquerentur; eos vero *Num.* 72. Antonius, cælesti sapientia instructus, ad silentium adegit. Cum enim eos interrogasset, cur tantum suscepissent laborem, ut virum stultum viderent; ac illi nequaquam eum stultum, sed prudentem esse dixissent: *Si prudentem arbitramini*, reposuit Antonius, *mihi similes estote*; atque Christiani, sicuti ego, efficiamini. Quibus auditis, Viri prudentiam admirantes discessere.

Antonius Philosophos Gentiles confutat. *Num.* 73. 11. Alios, qui ad eum illudendi causa venerant, utpote illiteratum: Quidnam prius esset mens, an litteræ, & quid horum alterius causa esset, mens ne litterarum, an litteræ mentis? eos interrogavit. Qui cum mentem dixissent priorem, & litterarum inventricem; ergo cui sana mens est, addidit Antonius, non necessariæ sunt litteræ. Quo sermone audito, abscesserunt, mirati tantam in eo homine sapientiam. Et iterum cum alii, qui inter Græcos sapientissimi putabantur, rationem ab eo de Christi fide petiissent, longa oratione, argumentisque plurimis *Num.* 74. Christianæ Religionis præstantiam, mysteriorum dignitatem, ac Crucis potentiam demonstravit. Gentilium vero de Deorum numero, formis, officiis, vel gestis opiniones solidissime refutando, delirantium, furentiumque portenta esse demonstravit, uti in ejus Vita videre est.

Crucis signo dæmones fugantur. *Num.* 80. 12. Post multa, Eliæ zelum imitatus, qui sacerdotes Baal ad miracula provocavit; ita Antonius Philosophos affatus est: *Ecce hic quidam a dæmonibus sunt vexati, vestris argumentis, aut qua volueritis arte; immo si lubet magica idola, hos mundate; sin non valetis, nobiscum pugnandi finem facite, videbitisque virtutem Crucis Christi*. His dictis, Christo invocato, bis, terque sigillo Crucis dæmoniacos signavit, qui mox incolumes, mentisque compotes fuerunt, gratias ob beneficium acceptum agentes Domino. Cumque Philosophi viri prudentiam, ac editum signum stupefacti mirarentur: *Cur miramini? non nos hæc agimus*, reposuit Antonius, *sed Christus per eos, qui in se credunt, hæc operatur*. Eos deinde ad fidem hortatus est, ut vel experientia ipsa, Christianæ Religionis, Crucisque potentiam experirentur; at illi senem amplexati discessere, utilitatem, volupta-

luptatemque plurimam se ex ejus præsentia, & colloquio cepisse, testantes.

12. Eremiticam quidem vitam aliquandiu duxerat Antonius, tractu tamen temporis Cœnobiticam professus, ejusdem etiam propagator dici potest; quamplurimi enim virtutum, ac miraculorum ejus fama excitati, ad sæculi contemptum, & perfectioris vitæ desiderium ejus exemplo, & exhortationibus incensi, eamdem cum ipso vivendi disciplinam, ac propositum servare cœperunt, uti testatur Athanasius. Iis non modo salutis monita, sed perfectioris in dies vitæ exempla Antonius præbebat, *secedens intra monasterium suum, majore vitam asceticam studio adiens; ingemebat quotidie cœlestium memor mansionum, earumque captus desiderio*.

Antonius cœnobiticæ vitæ Institutor.

13. Tandem animadvertere necesse est Pachomii, & Antonii exemplo, atque instituto, tamquam ex fonte per totum Orbem propagatam fuisse hoc sæculo eamdem vivendi rationem, ipsorum discipulis in varias provincias diffusis, eamdemque vitæ disciplinam viris, ac virginibus tradentibus. Atque ut Occidentem prætereamus, quo paulo post hæc vivendi disciplina permeavit, in Oriente per Palæstinam, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, & Boreales regiones usque ad Latrones Bessos, & Dacos monachalis vita propagata est. Unde Paulinus tantam rerum mutationem admirans, cecinit:

Monachatus ubique diffusus.

Bolland. Acta SS. die 17. Januarii. Simon Assemani Bibl. Orient. Clemen. Vatic. Tom. 3. pag. 2. 48. Paulin. de Reditu Nicetæ.

O vices rerum! bene versa forma
Invii montes prius, & cruenti
Nunc tegunt versos Monachi latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam modo terra vitæ est,
Vertitur Cœlo pia vis latronum,
Et favet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum,
Et latet justus, quibus ipse latro
Vixit in antris.

De Bessis meminit S. Hieronymus ad Heliodorum scribens: *Indus, Persa, Gotus, Ægyptius philosophantur; Bessorum feritus, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam*

infe-

JESU CHR. AN. 328. *inferiis homines immolabant, stridorem suum in dulces Crucis fregerunt melos.* Et rursus ad Letam: *De India, Perside, Æthiopia Monachorum quotidie turmas suscipimus*; eorum scilicet, qui pietatis causa ad loca sacra visenda pergebant. Sed de Monachorum institutione, & propagatione in Oriente satis.

Quando, & a quibus monastica disciplina in Occidente propagata sit. *Baron. 340. Mabill. præfat. ad Acta SS.Ord. S.Bened. Tom.1.p.9. August. Confess. l.4.cap.6. Murat antiq. Ital. Tom. 5. pag.364.*

14. A quo monastica vita inter Occidentales inducta primum fuerit, in tanta rerum antiquitate, & obscuritate difficile est invenire. Baronius, aliique plurimi, eam ex Ægypto Romam detulisse Athanasium circa annum 360. scripserunt. Mediolani tamen primum monasterium ædificatum fuisse, cujus & Augustinus in confessionibus meminit, contendit Muratorius. Aquilejæ contra hanc palmam deberi, adfirmat Justus Fontanini in historia Aquilejensi pag. 155. Virginum vero primum cœnobium Veronæ labente hoc sæculo erexisse Zenonem Veronensem Episcopum, probare nititur Ballerinius *differt. 2. in Oper.* Zenonis *pag. 115.* Cum tamen probabiles tantum quisque in suæ opinionis confirmationem rationes afferat, adhuc in incerto est, quo loco Monastica disciplina primum sedem invenerit, aut radices fixerit. Illud certum & exploratum est, hoc eodemque sæculo quamplurima virorum, atque mulierum monasteria multis in locis ædificata fuisse; quorum exemplo tot deinde propagata sunt, ut sequenti sæculo Occidentem ferme compleverint, uti suo loco dicemus.

JESU CHRISTI AN. 329. SYLVESTRI PAPÆ 16.
CONSTANTINI IMPERATORIS 23.
COSS. CONSTANTINO AUG. VIII., ET CONSTANTIO CÆS. IV.
OLYMP. 277. AN. 1. URBIS AN. 1082.

Eusebianorum insidiæ adversus Eusthatium Antioch. Episc. *Socrat. l. 1. 23*

1. Eusebius Nicomediensis, & Theognis ab exilio revocati, suisque Ecclesiis restituti, *maximam adepti sunt auctoritatem apud Imperatorem*, ait Socrates, *& concessa sibi libertate abusi, multo graviorem, quam qui antea fuerat, tumultum in Orbe Terrarum excitarunt.* Quo autem Nicænam fidem subverterent, Eusthatium Antiochenum Episcopum, & Athanasium Alexandrinum calumniis opprimere aggressi sunt.

Antiochena Synodus Eusthatium deponit. *Theod. l. 1. 21.*

2. Eusebius itaque Nicomediensis simulans se summo Hierosolymam adeundi studio teneri, viaticum ab Imperatore obtinuit, & una cum Theogne Nicææ Episcopo consiliorum socio, Antiochiam ingressus, & amicitiam præferens, summo honore ab Eusthatio exceptus est: Hierosolymam inde ambo pro-

profecti cum Eusebio altero, Cæsariensi scilicet, ceterisque Arianæ factionis viris, Patrophilo Scytopolitano, Ætio Lyddæ, Theodoto Laodiceæ, & aliis perversa contra Eusthatium consilia ineunt, atque omnes simul Antiochiam reversi, conducta muliercula, quæ corporis quæstum faciebat, ei persuadent, ut linguæ suæ ministerium ipsis locaret. Quare in unum, tamquam ad celebrandum concilium coeuntes, ceteris omnibus exire jussis, mulierem introducunt, quæ infantem ulnis deferens, ex Eusthatii concubitu se concepisse, ac peperisse affirmavit. Eusthatius vero, ut calumniam repelleret, rogavit, ut si quem haberet hujus facinoris conscium, aut testem in medium proferret. Cum illa tamen nullum sibi objecti criminis testem adesse diceret, Ariani Episcopi jusjurandum mulieri detulere. Quamobrem calumnia jurejurando a muliere falso confirmata, confestim Judices, tamquam adversus adulterum depositionis sententiam pronunciarunt, teste Theodoreto; qui tamen in eo fallitur, quod hæc ab Eusebio tunc gesta fuisse scribit, quo tempore jam Constantinopolitanam sedem invaserat: *Eusebius vero Episcopatum quoque Constantinopoleos tyrannica quadam violentia occupavit, atque ita majorem potentiam nactus &c.* Nam Eusebius Nicomediensem Ecclesiam adhuc regebat, eidemque usque ad Constantii tempora insedit, donec ejecto Paulo Catholico Episcopo anno 340. CP. Sedem invasit, uti infra videbimus. In eumdem errorem Theodoriti auctoritate deceptus, & corrupta Athanasii versione in epistola ad Solitarios, incidit Baronius; qui Eusthatii depositionem, & exilium ad Constantii tempora, anno 340. recitat. Athanasius quoque Constantini tempore Eusthatium ab Arianis vexatum fuisse scribit: *Eusthatius quidam fuit Antiochenus Episcopus, Confessor, ac fidei pius. Is cum veritatem summo studio tueretur, essetque Arianæ hæresi infensissimus, hæreticosque illos non admitteret, apud Constantinum Imperatorem insimulatur, conficta criminatione, quod scilicet matri ejus contumeliam fecisset, statimque ipse cum multa Presbyterorum, Diaconorumque turma extorris factus est.*

Theod. l.1.21.

Vales. Pnot. in Theod.
Pag. ad an. 340. num. 19.
Baron. 340. num. 21.
Athan. epist. ad Solitarios Tom. 1. p. 346

3. Præter adulterium, alia quoque crimina adversus Eusthatium ab Arianis conficta sunt, quod scilicet Helenam Constantini matrem contumelia affecisset, & Sabellianismi errore aspersus esset, qua nota ab Arianis Catholici sæpe inurebantur. *Congregata igitur Antiochiæ Synodo*, ait Socrates, *Eusthatium*

Alia crimina Eusthatio objecta.

Socrat. l.1.24

JESU CHR. AN.329. *deponunt*, ut qui Sabellii dogmati potius, quam Nicænæ Synodi decretis insisteret. *Sunt, qui ob alias causas minus honestas* (idest ob adulterium, ut ex Theodoreto audivimus) *depositum esse dicant, quas tamen in medium non proferunt*. His addit, a Cyro Bœreæ Episcopo Sabellianæ Hæresis accusatum fuisse, ut *Georgius Laodiciæ in Syria Episcopus narrat in laudatione Eusebii Emisseni*; quæ tamen vix credibilia Socrati videntur, cum Cyrus ob Sabellii hæresim depositus fuerit, ut eodem loco narrabat Georgius Laodicenus; unde Eusthatium ea de causa in judicium vocare non poterat: *Quocirca alias ob causas Eu-* Socrat. l.1.23. *sthatius videtur fuisse depositus*, subdit Socrates; quibus indicat, se crimen, cujus causa Eusthatius sede sua ejectus fuerit, ignorasse. In eo quoque iterum ignorantiam suam Socrates prodit, dum nocturnis prœliis de voce Consubstantialis disputationes comparat, & Eusthatium, æque ac Eusebium Cæsariensem condemnat; cum dispar omnino utriusque esset causa. Nam Eusthatius pro Nicæna, & catholica Fide certabat, ac Dei Filium Patri consubstantialem esse docebat: Eusebius vero Nicænæ fidei, cui ipse subscripserat, apertis verbis repugnabat.

Eusthatius in exilium ejicitur. 4. Itaque ob Nicænæ fidei defensionem ab Arianis depositus est Eusthatius, & in exilium ejectus; iniquæ tamen sententiæ Sozom. l.2.19. subscribere recusarunt *Episcopi non pauci*, ait Theodoretus, *qui Apostolicam doctrinam tuebantur, & totius fraudis prorsus ignari erant*. At Ariani, quorum signifer erat Eusebius Nicomediensis Imperatorem adeuntes, eidem persuaserunt, justam depositionis sententiam fuisse. Quare pietatis, & castitatis Athleta tamquam adulter, & tyrannus in exilium missus est. Constantinum adiit Eusthatius, ut de vi sibi ab Arianis illata quereretur, ejus tamen animum Arianorum calumniis præoccupatum flectere non valuit. Trajanopolim eum relegatum Hieronym. de Script. Eccl. in Eusthatio. fuisse, Hieronymus scribit: *Eusthatius genere Pamphylius Sidites, primum Bœreæ Syriæ, deinde Antiochiæ rexit Ecclesiam, & adversus Arianorum dogma componens multa, sub Constantino Principe pulsus est in exilium Trajanopolim Traciarum, ubi usque hodie conditus est*. De ejus autem scriptis subdit: *Extant* Theod. hist. lib. 1. 8., & Dialog. de immut. cap. 1.2.3. *ejus volumina de anima, de Engastrimyto, idest de ventriloquo, qui ex dæmone responsa dabat, adversus Origenem, & infinitæ epistolæ, quas enumerare longum est*. Theodoretus etiam, & Sozom. l.2.19. Sozomenus non sine laude scripta, gestaque ejus meminerunt, Martyrol. Rom. 16. Julii cujus memoria die decima sexta Julii in Martyrologio Romano recensetur.

5. De

5. De muliercula, quæ virum sanctum Arianorum instigatione adulterii crimine accusaverat, hæc addit Theodoretus, *Cum misera illa muliercula in gravissimum, ac diuturnum morbum incidisset, insidias detexit, & scenam omnem aperuit, non duobus tribusve, sed plurimis Sacerdotibus indicans ea, quæ per fraudem fuerant concinnata*; scilicet se mercede conductam fuisse, ut Eusthatio calumniam imponeret, nec tamen prorsus falsum jurasse, nam Eusthatius quidam faber ærarius infantis pater fuerat.

Calumnia in Eusthatium vulgata detegitur. *Theod. l. 1. 21.*

6. Cum de Episcopo in Eusthatii *locum eligendo ageretur, tanta flamma dissensionis exarsit*, ait Socrates, *ut parum abfuerit, quin tota civitas funditus everteretur, populo duas in partes diviso*. Eusebium enim Pamphili e Cæsariensi sede Antiochiam transferre nonnulli cupiebant; alii vero Eusthatium suæ sedi restitui. Hinc parum absuit, quin civitas in partes divisa armis digladiaretur, uti revera accidisset, nisi plebis impetum Imperatoris litteræ repressissent. Eusebius vero oblatum honorem recusando seditionem sedavit, ut Socrates, Sozomenus, & Eusebius narrant. Constantinus comprimendæ seditionis causa Comitem fidelissimum illuc misit, qui *plebem quasi legatione blanda compellens*, inquit Eusebius, tranquilliorem reddidit. Hic autem Acacius fuit, aut Strategius, quorum litteris Antiochiæ gesta se novisse, Imperator significat in epistola ad Episcopos congregatos. *Aliis super alias scriptis litteris hortatus est eos, ut paci studerent*, rogavitque ne Eusebium Cæsariensem invitum Antiocheno throno imponerent: Eusebium vero ob recusatum Antiochensem Episcopatum quammaxime commendat, eique hæc inter cetera scribit: *In ea sententia perstare, quæ & Deo accepta, & Apostolicæ traditioni congrua esse videatur, summæ pietatis est: Tu quidem beatum te in hoc ipso existimare debes, qui totius propemodum Orbis testimonio dignus Universæ Ecclesiæ Episcopatu judicatus sis. Nam cum omnes te apud se Episcopum esse ambiant, hanc tuam felicitatem sine controversia adjungent. Verum rectissime fecit prudentia tua, quæ & mandata Dei, & Apostolicam, atque Ecclesiasticam regulam custodire statuit, Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ repudians, & in eo potius permanere desiderans, quem Dei mandato ab initio susceperit &c.* Episcopis vero Antiochiæ congregatis, se epistolis illorum acceptis, & Acacii, & Strategii Comitum illic gesta se didicisse, testatur; hortaturque eos, ut

Antiochenses turbæ ob Eusthatii exilium. *Socrat. lib. 1. 24. Sozom. lib. 2. 19.*

Eusebh. Const. vita lib. 3. 59. 60.

Cap. 62. Cap. 59. 60. 61. 62.

Constantini epist. ad Eusebium Cæsar.

JESU CHR. AN. 329. ut, Eusebio Cæsariensi relicto, Antiochenæ Ecclesiæ dignum Sacerdotem præficerent; præ ceteris vero Euphronium Cæsareæ Cappadociæ Presbyterum, aut Georgium Arethusiorum civem, quem Alexander in urbe Alexandria presbyterum ordinaverat, *viros*, ut ait, *in doctrina fidei probatissimos*, & Antiochena Sede dignos. *Placuit ergo, ut hos viros, & alios, quos ad Episcopatum idoneos judicaveritis, in medium proferentes, ea decernatis, quæ Apostolorum traditioni consentiunt*. Hæc Constantinus ad Episcopos Antiochiæ congregatos, quem Arianorum fraudibus circumventum, ex eo patet, quod Eusthatium pietate, & Catholica fide præclarum, tamquam seditionis auctorem in epistola ad Antiochenses condemnat. Euphronium vero Cæsariensem presbyterum, & Georgium Arethusiæ, viros Arianæ perfidiæ addictos, *probatissimos in fide declarat*.

De Eusthatii Successore in Sede Antiochena. *Theod. l. 1. 22.* 7. Quis porro Eusthatio successerit, non constat: *Eusthatii loco Eulalium illi ordinarunt*, (idest Ariani) ait Theodoretus; *qui cum exiguo tempore supervixisset, ipsi quidem* (Ariani) *Eusebium Palæstinum* (idest Cæsariensem) *eo transferre conati sunt, sed cum & is translationem hanc recusasset, & Imperator eam fieri probibuisset, Euphronium elegerunt, quo non multo post mortuo, anno enim, & mensibus paucis post ordinationem superstes vixit, Ecclesiæ illius Episcopatum Flacillo tradiderunt. Porro hi omnes Ariani dogmatis labem in animis suis occultam habuerunt, atque idcirco multi tum ex Clericis, tum ex plebe, quibus Religio cordi erat, conventus Ecclesiasticos declinantes seorsum collectas agebant, qui vulgo ab omnibus Eusthatiani dicebantur, eo quod post discessum Eusthatii coire in unum* *Socrat. l. 1. 24.* *cœpissent*. Socrates autem, Antiochenam Sedem per annos octo vacasse, narrat: *Sero tandem, opera & studio eorum, qui Nicænam* *Sozom. l. 2. 19.* *fidem convellere nitebantur, Episcopus ordinatus est*. Sozomenus vero: *Acceptis Imperatoris litteris Euphronium Episcopum ordinarunt*. Euphronium Cappadocem, & Georgium Arethusium Presbyteros Episcopis Antiochiæ congregatis Constantinus comendaverat. Verosimile itaque est, Euphronium Antiochenam Sedem occupasse, ut testes sunt Theodoretus, Socrates, & Sozomenus. Arianum certe Episcopum Antiochensibus post Eusthatium datum *Athan. epist. ad Monachos Tom. 1. p. 347.* fuisse, tradit Athanasius: *Demum, quos ille*, idest Eusthatius, *impietatis causa in Clerum non admittebat, hos postquam Episcopus in exilium est actus, non solum in Ecclesiam introduxere, sed plerosque ex illis Episcopos ordinarunt, ut suæ eos pro impie-*

pietate conjurationis socios haberent; ex quorum numero est Leontius castratus, qui nunc Antiochiæ Episcopus est (circa annum 355., quo hæc scripsit Athanasius), *& qui ante ipsum ibidem Episcopus fuit Stephanus.*

8. Cum Eusthatio alii quoque doctrina, & sanctitate celeberrimi ejusdem persecutionis participes fuere, eademque ab Arianis passi sunt. *An hic saltem substiterint*, inquit Athanasius, ut Eusthatium solum exilio pellerent? *Nequaquam*, subdit, *Eutropius olim Adrianopolitanus Episcopus, vir bonus, ac omni ex parte perfectus, quod pluries Eusebium coarguisset, & illac transeuntibus auctor fuisset, ne impiis Eusebii verbis obtemperarent, easdem quas Eusthatius calamitates patitur, & civitate, Ecclesiaque sua pellitur: Basilina enim contra illum summopere urgebat. Euphration item Balaneorum, Cymatius Palti, alter Cymatius Taradi, Asclepas Gazæ, Cyrus Beroeæ in Syria, Diodorus in Asia, Domnion Syrmii, & Hellanicus Tripolis, statim atque hæresim odisse comperti sunt, alii ob conficta crimina, alii nulla allata causa, Imperatoriarum litterarum auctoritate translati, & ab illis civitate pulsi sunt; aliosque illi eorum vice, quos impios noverant, in ipsorum Ecclesiis constituere.* Hactenus Athanasius de persecutione in Catholicos excitata, qua plurimi circa hæc tempora in exilium ejecti sunt. Basilina vero, cujus ibidem mentio, quæ Arianis favens Eutropium persequebatur, Julii Constantii, fratris Constantini uxor fuit; eademque Juliani mater, quæ hoc tempore, dum sanctos viros persequitur, talem filium, & Sanctorum persecutorem peperit anno 331.

Alii Episcopi cum Eusthatio persecutionis participes.

Athan. ut sup.

9. Prosperis hujusmodi successibus exultans Eusebius Nicomediensis, majora molitur, & Athanasium Nicænæ fidei propugnatorem accerrimum, tum occultis artibus, cum apertis calumniis aggreditur. *Principio quidem*, ait Athanasius, *missis ad me litteris cohortabatur, ut reciperem Arianos, ita tamen ut verbis non scriptis minaretur, scripto rogaret. Me autem repugnante, ac respondente minime recipiendos esse hæreseos inventores, ac veritati infensos homines Anathemateque damnatos ab Oecumunica Synodo; Imperatori beatæ memoriæ auctor fuit, ut mihi rescriberet, interminatus ni Arianos admitterem ad communionem, me iis affectum iri malis, quibus & jam olim, & haud ita pridem sum affectus.* Hanc epistolam *detulere Syncletus, & Gaudentius Palatini*, qua inter cætera hæc ad Athanasium

Eusebiani Athanasium calumniis invadunt.

Athan. Apol. contra Arian. Tom. I. p. 178.

JESU CHR. AN. 329. nasium Imperator scribebat. *Cum igitur voluntatem meam compertam habeas, omnibus, qui in Ecclesiam admitti expetunt, sine impedimento ingressum præbeto. Si quos autem Ecclesiæ sociari cupientes te prohibuisse, aut illis aditum interclusisse didicero, mittam quamprimum, qui te jussu meo abdicet, & e sedibus trasferat tuis*. Hactenus Athanasius; cui consentiunt Socrates, & Sozomenus; qui & addunt, alia plurima Eusebium Athanasio apud Imperatorem objecisse, eumque veluti illegittime ordinatum, ac Sacerdotio indignum traduxisse. Interea ut Ario liberum esset Alexandriam redire, & ut in ejusdem Ecclesiæ communionem reciperetur, totis viribus conati sunt Eusebiani; quod vero eorum insidiis, aut minis non flectabatur Athanasius, Imperatori tandem persuasit Eusebius Nicomediensis, ut Ario Alexandriam redeundi facultatem daret; *scriberet præterea Athanasio, ut Arium una cum suis in Ecclesiam reciperet*; quos injuria ab ipso ejectos fuisse calumniabatur. *Has calumnias in Athanasium veras esse, affirmabant multi Episcopi, & Clerici, qui cum Joanne erant*, subdit Sozomenus, *qui quidem assidue Imperatorem adeuntes, seque Ortodoxos esse asseverantes, Athanasium, & eos qui sub illo erant Episcopos, cædis, vinculorum, injustorum verberum, ac plagarum, & incendii Ecclesiarum accusabant: Cum tamen litteris meis Imperatori suasissem*, (subdit Athanasius) *nullam deberi hæresi Christo adversanti cum Catholica Ecclesia esse communionem, tum demum tempus, quo cum Meletianis convenerat, se nactum ostendens Eusebius, missis ad eos litteris, auctor fuit, ut novo commento usi, paria iis, quæ olim fuerant contra Petrum, Achillam, & Alexandrum moliti, jam adversum nos excogitarent, & undique pervulgarent. Multis igitur conquisitis, cum nihil invenissent, Eusebii tandem consilio hanc priorem, Isionis, Eudæmonis, & Callinici opera, confingunt criminationem; de lineis nempe sticharriis, quasi ego legem Ægyptiis dedissem, ac ea primus exegissem ab illis. At cum ex Presbyteris nostris illic tum repertis rei veritatem didicisset Imperator, eorum deprehensa calumnia est, erantque Presbyteri illi Apis, & Macarius. Porro Imperator litteras misit, quibus Isionis factum damnans, nos præcepit sese adire*. Has litteras Athanasius Apologiæ suæ inseruerat; sed Amanuensium negligentia exciderunt.

Socrat. l. 1. 23. Sozom. lib. 2. 18. 22.

Socrat. l. 1. 27. Sozom. l. 2. 22.

Apol. contra Arian. ut sup.

Aliæ in Athanasium calumniæ.

10. Post hæc, qui obmutescere, atque erubescere debuissent Meletiani, & Eusebiani, novas, atrocioresque fraudes excogi-

cogitarunt; de quibus hæc idem Athanasius: *Eusebius re comperta suadet illis, ne histhinc secedant*, (idest Meletianis, Isioni, Eudæmoni, & Callonico, qui jam de exactis per Ægyptum *Sticbariis*, seu, ut habet Sozomenus, lineis vestibus, accusaverant) *cumque advenissem* (ad Imperatorem scilicet) *Macarium denuo de confracto calice insimulant, mihique haud levem, immo omnium atrocissimam imposuere calumniam, quod scilicet Imperatori adversus, scrinium auri plenum miserim cuidam Philumeno. Verum ubi nos Imperator hanc quoque calumniam confutantes Psammathiæ audiisset, illi de more falsi convicti, expulsi sunt, nobis autem redeuntibus has Imperator ad populos dedit epistolas.* Psammathia, ubi Imperator Athanasium audivit, suburbium erat Nicomediæ, quare lapsus est Theodoretus, ubi hæc Constantinopoli gesta prodidit.

Jasu Chr. an. 329.

Sozom. lib. 2. 22.

Theod. lib. 1. 26.

11. Epistola autem Constantini ad Alexandrinum populum Catholicæ Ecclesiæ hæc habet: *Dilecti fratres, saluto vos Deum invocans, maximum voluntatis meæ testem, nostræque legis Unigenitum Creatorem, qui in omnium vitam dominatum obtinet, & discordias odit. Verum quid dicam? an scilicet nos bene valere? sed multo feliciori sanitate frui liceret, si vos mutuo, depositis odiis, amaretis &c.* Et post multa de pace servanda, & fugienda invidia, quæ Meletianos invaserat: *Quoniam ingenii pravitas* (subdit Imperator) *illos miseros effecit, dum petulanter indigni licet, se ipsos efferunt; ajuntque, proh facinus! ille senior est, & ille puer, ad me honor adtinet, mihi debetur, ab illo ablatus est*; idest ab Athanasio, quem utpote ætate florentem episcopatu indignum Meletiani dicebant; *At illi sola invidiæ vi utuntur suis veneficiis subnixa; sed nihil scelerati illi adversus Episcopum vestrum potuerunt perficere. Mihi credite, fratres, nihil aliud satagunt, quam ut cum nostra tempora malis oppresserint, nullum sibi in hac vita relinquant pœnitentiæ locum.* Multa deinde in Athanasii laudem addit, iisque perhumaniter salutem dicit. Hinc factum, ut Meletianis ejectis, Eusebiani quoque aliquandiu obmutescerent, donec initis iterum consiliis, de confracto Ischyræ calice, & de Arsenii occisione, Athanasium denuo calumniati sunt; de quibus infra.

Constantini epistola ad Populum Alexandrinum.

Athanas. ut supra pag. 179.

Jesu Chr. an. 330.

JESU CHRISTI an. 330. Silvestri Papæ 17.
Constantini Imperatoris 24.
Coss. Gallicano, et Symmacho.
Olymp. 277. an. 2. Urbis An. 1083.

Dedicatio Urbis Constantinopolitanæ. Baron. pag. ibidem. Mur. Bisnag.

1. Labentem Christi annum trigesimum supra tercentesimum illustrem reddidit Constantinopolitanæ Urbis dedicatio, quam Constantinus, Byzantio ædificiis aucto, novam pene condiderat, atque ex suo nomine Constantinopolim vocari jusserat: *Gallicano, & Symmacho Coss. dedicata est Constantinopolis die 5. Idus Majas*, uti habent Hieronymus in Chronico, & Idacius in Fastis, auctor vero Chronici Alexandrini anno Constantini vigesimo quinto, Coss. Gallicano, & Symmacho, ait: *Urbem maximam illustrem, & beatam condidit, Senatu illustravit, & Constantinopolim appellavit V. Idus Majas feria II. indict. III*, Quæ optime cum die undecima Maii currentis anni concurrunt. Quocirca falli eos necesse est, qui ad alium annum, mensem, aut diem præclaræ Urbis œncenia retulerunt. Dies natalis Urbis publicis monumentis consignata fuit, quare in Græcorum Menologio ad diem Maii undecimam legitur: *Natale Urbis Constantini, & Sacrosanti Martyris Mocii*; eaque dies inter ferias adscripta legitur in Codice Theodosiano.

Cod. Theod. de feriis lib. 2. Socrat. lib. 1. 16.

Ædificia a Constantino Constantinopoli extructa.

2. *Byzantium magnopere amplificavit*, ait Socrates, *& ingentibus cinctum muris, variisque ædificiis exornatum Reginæ Urbium Romæ exæquans, Constantinopolim nominavit; utque nova Roma vocaretur, lege sanxit, quæ lex in Columna lapidea incisa, ac publice in Strategio juxta Equestrem ipsius Imperatoris statuam collocata est*. Addit Sozomenus: *Magnam præterea Curiam, quam Senatum vocant, æmulam Senatui Urbis Romæ constituit, eosdem honores, ac dies festos illis attribuens, quibus veteres Romani uti consueverant; denique cum Urbem sui nominis, omnibus in rebus Italicæ Romæ æquare studuisset, voto suo haudquaquam frustratus est. Etenim Deo juvante tantopere increvit, ut & incolarum multitudine, & opibus seniorem Romam superare omnium consensu judicetur*. Hæc Sozomenus, quæ tamen exageraſſe constat; nam tantum Romam veterem nova præstitisse scimus, quantum recens Roma Byzantio, seu ut habet Suidas: *Constantinopolis tanto est aliis Urbibus major, quanto Roma minor esse videtur*. *Palatium quoque condidit*, Ro-

Sozom. lib. 2. 3.

Suid. hist. in verbo Constantinop.

Romano non multum cedens; *ibidem Circum ad omnem elegantiam perpolivit*; aliaque publica, privataque ædificia fecit, quæ longum esset memorare; describuntque inter veteres Zosimus, & ex recentioribus Ducangius in Constantinopoli Christiana. JESU CHR. AN. 330.

3. Constantinopolitanæ urbi decorem auxit ejusdem in Deum pietas, cui ab incunabulis dicata fuit, teste Eusebio, nam Judæorum *plerique*, ait Sozomenus, *Gentiles vero propemodum omnes Christianam Religionem amplexi sunt*; & iterum de eadem Urbe: *nec aris unquam, nec templis, ac sacrificiis Gentilium inquinata est*; *nisi quod a Juliano, qui postea imperavit, ad exiguum tempus hæc tentata, statimque extincta sunt*. Unde Augustinus inter Constantini felicitates hæc quoque notavit: *Cui etiam concedere civitatem Romano Imperio sociam, veluti ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo, simulacroque Deus concessit*.

Constantinopolitanæ Urbis in Deum pietas. *Euseb. Const. vita lib. 3. 48. Sozom. lib. 2. 3.*

4. Ex Gentilium autem spoliis, & maxime templorum statuis, novam Urbem exornatam fuisse, cum Hieronymo adnotat Eusebius: *Nonnullorum veneranda ex ære simulacra, quæ error Majorum multis jam annis magnifice jactabat, per fora Urbis ab Imperatore cognominatæ omnium oculis subjecta sunt*; adeo ut ad ludibrium, contumeliam spectaculum paterent exposita, hic Pythius Apollo, illic Sminthius, & in ipso quidem circo tripodes Delphici; Musæ autem Hæliconides in Palatio. Denique tota civitas passim repleta est signis æneis, quæ eleganti opere elaborata, per singulas Provincias olim dedicata fuerant, ait Eusebius, qui de signo Crucis in Palatio, aliisque sacris monumentis ad Urbis ornatum erectis, addit: *Vidisses igitur in fontibus, qui sunt in medio foro boni pastoris imagines, divinorum oraculorum peritis notissimas*; *Danielis item effigiem una cum leonibus ære expressum, & auri bracteis refulgentem*. Tantus porro divini Numinis amor Imperatoris animum occupaverat, ut in totius Palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula, quæ in medio lacunaris inaurati expansa erat, signum Dominicæ Passionis ex auro, pretiosisque lapidibus elaboratum infixerit in præsidium, ac tutelam Imperii sui.

Gentilium Simulacra ad Urbis ornatum adhibita. *Euseb. vita Constant. lib. 3 54.* *Const. vita lib. 3. 49.*

5. Præterea ut Urbem nomini suo dicatam ad summam gloriam extolleret, plurimis eam oratoriis ornavit, amplissimisque martyriis, & splendidissimis ædibus, partim in suburbiis, partim in ipsa civitate constructis. Atque hoc modo simul Martyrum honoravit memoriam, ac civitatem suam ipsi Martyrum

De Ecclesiis Constantinopoli ædificatis

 Deo

Jesu Chr. An. 330. Socrat. l. 1. 16.

Sozom. l. 2. 3. Miracula S. Michaelis intercessione patrata.

Deo consecravit. Inter Ecclesias autem a Constantino ibidem extructas, duæ præ ceteris illustriores fuerunt, quarum una Irenes dicta est, altera Apostolorum. In suburbiis vero celeberrima erat S. Michaeli Archangelo dicata, in qua curationes plurimas divinitus factas narrat Sozomenus, in loco nempe, qui Hestiis olim dicebatur, postea vero Michaelium, ad dextram navigantibus ex Ponto, stadiis circiter xxxv. ab Urbe. Nomen inde loco factum, quod ibi Michael Archangelus apparuerit, uti proprio experimento edoctus Sozomenus testatur. Nam plurimi in gravissimas calamitates, aut inevitabilia pericula prolapsi, alii morbis, ac doloribus quibusdam inusitatis oppressi, precibus illic ad Deum fusis, statim malis liberati sunt, quæ singillatim commemorare, longum esset. Quæ vero acciderint, inquit Sozomenus, *Aquilino viro, qui hodieque mecumuna versatur, & in eodem foro causidicinam exercet, partim ut ipse conspexi, dicam necessario*. Nam cum vehemens febris ex flavabile orta eum invasisset, potionem ei dederunt medici ad purgandum alvum; eam ille evomuit: ac simul cum vomitu diffusabilis, cutem omnem colore suo tinxit. Ex quo factum est, ut quidquid edidisset, ac bibisset, evomeret. Cumque id multo jam tempore passus esset, nec cibum ullatenus retinere posset, medici de curatione morbi desperabant. Ille ergo jam semimortuus, domesticis suis præcepit, ut se in Ecclesiam deferrent, affirmans fore omnino, ut aut illic moreretur, aut morbo liberaretur. Illic jacenti divinum Numen noctu apparens, jubet, ut potione ex melle, vino, ac pipere simul commixtis confecta cibum intingat. Atque ea res hominem morbo liberavit: quamvis medici potionem calidissimam morbis flavæ bilis contrariam esse, ex artis suæ ratione judicarent. Audivi præterea, Probianum quemdam ex medicis sacri palatii, cum pedum gravissimo dolore vexaretur, ibidem dolore liberatum, ac divinam quamdam visionem prorsus mirabilem promeritum esse. Nam cum initio Gentilis fuisset, Christianus postea factus, reliqua quidem Religionis nostræ satis probabilia existimabat; istud vero neutiquam probabat, quod Crux salutis omnium causa extitisset. Huic ita sentienti divina visio oblata, Crucis signum ostendit, quod in altari supradictæ Ecclesiæ erat dedicatum; palamque affirmavit, ex quo crucifixus fuisset Christus, eorum, quæ ad communem humani Generis utilitatem, aut ad privatum quorumdam commodum facta essent, nihil absque

absque venerandæ Crucis potentia, seu divinos Angelos, seu pios, ac Sanctos homines perpetrasse. Et ita quidem, ex iis, quæ in Ecclesia accidisse cognovi, hic referenda esse duxi, subdit Sozomenus. Alias quoque in honorem Martyrum ædificatas fuisse Ecclesias, ex Nicephoro scimus: idest Mocii, Acacii, Agatonici, Mennæ, de quibus, aliisque Templis illic a Constantino constructis plura videri possunt apud Ducangium.

JESU CHR. AN. 330.

Ducang. Constantinop. Chr. hist. Byzant.

6. Eademque templa prætiosissimis locupletavit donis, omnique suppellectili ornavit, inter cætera vero Eusebium Cæsariensem rogavit, ut quinquaginta sacræ Scripturæ codices a peritissimis scriptoribus exscribendos curaret: *Ecclesiis Dei provida semper mente consulens de conficiendis sacris Codicibus, & de Festo Paschali ad nos epistolas scripsit*, ait Eusebius; quarum altera Eusebii ipsius opusculum de Paschate sibi inscriptum commendabat; in altera vero de conficiendis sacræ Scripturæ codicibus ita scribebat: *In ea urbe, quæ a nobis nomen sortita est, divina Servatoris nostri adjuvante providentia, maxima hominum multitudo ad Sanctissimam Ecclesiam sese adjunxit. Itaque cum cuncta illic maximum incrementum capiant, consentaneum in primis videtur, ut plures quoque in ea constituantur Ecclesiæ. Accipe igitur lubenti animo id, quod facere decrevi. Visum est enim id significare prudentiæ tuæ, ut quinquaginta codices divinarum Scripturarum, quarum apparatum, & usum maxime necessarium Ecclesiæ esse intelligis in membranis probe apparatis, ab artificibus antiquariis venuste scribendi peritissimis describi facias, qui & legi facile, & ad omnem usum circumferri possint. Litteræ porro a nostra clementia missæ sunt ad rationalem diœcesis, ut cuncta ad eorum codicum confectionem necessaria præberi curet. Tuæ erit diligentiæ, ut scripti codices quantocius apparentur. Cæterum duorum publicorum vehiculorum usum auctoritate hujus epistolæ accipies. Sic enim, quæ eleganter descripta sunt, ad conspectum nostrum commodissime perferentur, uno scilicet ex Ecclesiæ tuæ diaconis id ministerium obeunte, qui quidem ubi ad nos pervenerit, humanitatis nostræ experimentum capiet. Divinitas te servet frater carissime.* Hæc Constantinus ad Eusebium, qui mox subdit: *Ceterum ejus dicta continuo opus ipsum excepit, cum nos in voluminibus magnifice exornatis, terniones, & quaterniones ad eum misissemus.*

Constant. epi. ad Euseb. Cæsar. Scripturæ libros petens.

Euseb. vita Constant. lib. 4 cap. 34. 35. 36. 37.

7. Quo porro novam urbem ædificiis auctam, civibus etiam augeret, amplissimas domus ibidem extructas illustrioribus

Annona Civibus data a Constantino.

Jesu Chr. An. 330. ribus viris, qui sese illuc cum familis suis contulerant, ad habitandum dedit; civibus vero annonam distribuendam jussit, octuagies scilicet centena millia modiorum frumenti per singulos annos; quæ annona in pane cocto erogabatur, ut ex Theo-

Cod. Theod. de annon. civicis lib. 2. dosii junioris lege colligitur: *Nulli ne divinæ quidem domui nostræ frumentum de horreis publicis pro annona penitus præbeatur, sed integer canon mancipibus consignetur, annona in pane cocto domibus exhibenda, ita enim debet canon ab inclitæ memoriæ Constantino præstitutus, nec non a divo pietatis meæ*

Zosim. lib. 2. *avo auctus expendi*. Ejusdem munificentiæ meminit Zozimus, de Constantino hæc adnotans: *Populo Byzantino publicam annonam distribuit, quam & hactenus ille semper habuit*. Cumque augendæ urbis causa ea distribueretur, a Theodosio, &

Leg. 11. & 13. Cod. Theod. de annon. Arcadio cautum est, ut ii tantum participes essent, qui in Urbe domos haberent. Tanta vero frumenti copia ob civium multitudinem illuc inferrebatur, ut teste Eunapio in Edesio: *Cum Constantinopolis vetusto nomine Byzantium antiquitus suppeditabat Atheniensibus annonam, fidemque omnem excedebat frumenti copia inde advecti: at nostro sæculo neque onerariæ naves, quas Ægyptus mittit, totaque Asia cum Syria, & Phœnice, neque frumentariæ copiæ ex aliis provinciis vectigalibus comportatæ explere valent, aut satiare circumfluentem, & copiosam populi multitudinem, quam Constantinus Bizantium transtulit*. Hinc apud Claudianum antiquioris Romæ querelæ

Par Roma mihi, divisaque sumpsit
Æquale aurora togas, Ægyptia rura.
In partem cessere novæ

Claud. de bel. Gildoniaco.

Tot Templis, palatiis, domibus, balneis, theatro, foro, porticibus extruendis, immensos thesauros profudisse Constantinum adnotavit Valesii Anonymus, cum ait; *Quæsitis ei (Constantinopoli) undique civibus, divitias multas largitus est, ut prope in eam omnes thesauros, regias facultates exhauriret*. Quin duris

Zosim. querelæ de exactionibus a Constant. impositis. Zosim. l. 2. 38. exactionibus subditos ea de causa vexasse tradit Zosimus, pro quorum exactione cum flagra, tormentaque sævissima adhiberentur, Patres aut liberos distraxisse, aut filias prostituisse scribit. Gravissimum omnium tributum erat, quod Chrysagyri (quasi dicas Aurargenti) dicebatur, eodem Zosimo teste, a quo rursum litteris proditum, ingentes a divitibus exegisse pecunias

nias venditis dignitatibus. *Habuisse etiam descripta virorum clarissimorum patrimonia, quibus & tributum imposuit, quod ipse follem nuncupavit.* Hactenus de Constantini exactionibus Zosimus, quem utpote Idololatram, atque Christiano Imperatori vehementer infensum, minus hoc vere scripsisse, ex eo plane cognoscitur, quod certo Constantini ipsius legibus constat, cautum ab eo fuisse, ne Patres filios venderent; eisdemque alimenta ex publico ærario præstitisse, uti supra adnotavimus.

De Crysagyri tributo. Suet. in Calig. cap. 40.

8. In eo quoque mentitum constat Zosimum, quod Crysagyri tributum a Constantino primum impositum tradit, quippe cum ejus tributi auctor fuit Calligula, teste Svetonio. *Vectigalia nova, atque inaudita primum per publicanos, deinde quia lucrum exuberabat per centuriones, tribunosque prætorianæ exercuit; nullo rerum, aut hominum generi omisso, cui non tributi aliquid imponeret;* & post aliqua; *Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostitutarum, quantum quæque uno concubitu mereret*, quod vectigal utpote sordidum in Ærarium mitti Alexander Severus prohibuerat. *Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri stadii deputavit*, ait Lampadius: falsum itaque, Constantinum Chrysagyri tributum imposuisse. Rem sane nomine suo dignam fecisset, si illud abrogasset, cui quidem speciosum nomen ex mercatoribus inditum est, ait Libanius: *At intollerabile prorsus, nec ab eo immunis sutor, quos quidem ego sæpius vidi, scalpro ad Cælum sublato, jurantes in eo sua omnia reposita esse*. De eo tributo audiendus est Evagrius; *Romanorum Reipublicæ tam longe lateque diffusæ impositum erat vectigal miserabile prorsus, Deoque invisum, & Barbaris ipsis indignum, nedum christianissimo Romanorum Imperio conveniens; impositum autem erat, tum aliis compluribus, qui stipe collatitia victitabant, tum mulierculis, quæ corpore quæstum faciebant, adeo ut collatio ista vice legis proclamaret, licere cuivis incestam illam libidinem perpetrare*. Hæc Evagrius, memorans abominabilem quæstum, & intollerabile tributum ab Anastasio Imperatore sublatum fuisse, quod *exactores*, qui illud *colligebant*; *quarto quoque anno deferebant ad summum Magistratum Imperii Romani*, idest ad Præfectos prætorii.

Lampridius in Severo cap 24

Liban. orat. contra Florent

Evang l. 3. 39

De altero tributo follis nuncupato.

9. De altero quoque tributi genere, quod clarissimis viris impositum, *follem a Constantino nuncupatum*, Zosimus,

Jesu Chr. an. 330. — mus affirmat, operæ pretium est paucula adnotare. Duo, uti ex Epiphanio intelligimus, follium genera fuere: *Follis*, inquit, *sive talentum parvum ex duobus argenteis constat* (hoc est) *denariis 208. Item follis si ad denarios, non ad argenteos redigatur, duo minuta continet.* Adeundus Petavius ad hunc Epiphanii locum. Follium vero sæpe veteres meminerunt, & ne longius exempla petamus, ad Cæcilianum scribebat Constantinus de eleemosinis in Africa erogandis, se Urso Africæ rationali significasse, *ut ter mille folles suæ gravitati numerari curaret*. Et in actis Zenophili consularis de Majorini ordinatione: *Nundinarius dixit, Victor quot folles dedit, ut fieret Presbyter? cui Crescentius, respondet, vidi allatos cophinos cum pecunia, sed & quadringentos folles* Lucilla dedit, ut Majorinus Episcopus ordinaretur. De Florentio quoque Hipponensi cive narrat Augustinus: *Ejectum grandem piscem palpitantem in littore apprehendit, quem Carcoso trecentis follibus vendidit*; sed de follibus satis, quorum in Codice passim mentio occurrit, & in Ecclesiasticis, profanisque Scriptoribus.

Epiph. de mensuris, & pond. cap. ult.
Bar. Basnag. an. 330. Salengr ad Grævium dissert. de follibus.
Eusеb. lib. 10. 6
Aug. tom. 9. append.
Aug. de civit. Dei lib. 22. 9.
Cod. Theod. lib. 11. tit. 1. l. 14. tit. 14.

Clericorum vexatio a Constantino prohibita.
Cod. Theod. de Episc. & Clericis lib. 7.

10. Cum Donatistæ catholicæ Ecclesiæ infesti, clericos litibus suis vexarent, atque ad seculares Magistratus pertraherent; ne ultra id fieret, Constantinus ad Valentium Numidiæ Præfectum hæc scripsit: *Lectores divinorum apicum, & Hypodiaconi, ceterique clerici, qui per injuriam hæreticorum ad Curiam devocati sunt, absolvantur; & de cetero ad similitudinem Orientis minime ad Curias devocentur, sed immunitate plenissima potiantur. Datum nonas Februarii Sardicæ, Gallicano & Symmacho consulibus.* Eamdem immunitatem alia lege concessit Patriarchis, & Sacerdotibus Judæorum, ut scilicet ab officiis publicis, sive curialibus, immunes essent.

Cod. Theod. lib. 16. 6.

JESU CHRISTI AN. 331. SILVESTRI PAPÆ 18.
CONSTANTINI IMP. 25.
COSS. BASSO, ET ABLAVIO.
OLYMP. 277. AN. 3. URBIS AN. 1084.

Vicus in Palæstina, & Urbs in Phœnicia Christianam Fidem amplectuntur
Euseb. vita Constant. l. 4. cap. 37. 38. 39.

1. Cum Christianæ Fidei dilatandæ zelo arderet Constantinus, gratissimum sibi fuisse testatus est, vicum quemdam in Palæstina simulacrorum cultui hactenus addictum, *impetu quodam sacrosanctæ Religionis impulsum, pristinum superstitionis errorem abjecisse*; qua de causa, ut ait Eusebius, *tum a Deo, tum ab Im-*

ab Imperatore summi honoris prærogativa decorabatur. Nam & civitatis nomen accepit, cum antea vicus esset; & pristinum nomen cum præstantiore vocabulo, religiosissimæ videlicet sororis Principis, commutavit, & Constantia dicta est, cum antea Gazæ navales, aut Majuma nuncuparetur. Quod & in aliis locis factitatum fuisse, idem Eusebius narrat, ac inter cætera: *In urbe quadam Phœnices*, inquit, *quæ Imperatoris nomine appellatur, cujus incolæ, conjectis in ignem innumerabilibus simulacris, salutarem Religionem amplexi sunt. Sed & in reliquis provinciis innumeri confestim ad salutarem Dei cognitionem sese transferentes, per urbes, & agros varia simulacra ex omnis generis materia fabrefacta, quæ prius pro sacris habuerant, aboluerunt; templa eorum, ac delubra nullo jubente destruxerunt; Ecclesias vero a fundamentis ædificantes pristinam suam sententiam, seu potius errorem mutaverunt*. Hactenus de Evangelii propagatione Eusebius.

JESU CHR. AN. 331.

Sozom. l. 2. 5. Euseb. Sozom. ut supra.

2. Dum autem Christi Fides apud Gentiles dilataretur, Eusebiani, seu Ariani, ob detectas in Athanasium calumnias, repulsam passi, ut anno 329. diximus, Meletianorum opera, cum quibus societatem inierant, Athanasium iterum calumniis aggrediuntur, ac de confracto Jschyræ Calice, & sacra Mensa subversa, deque Arsenii Episcopi occisione accusarunt. Totam tragædiam his verbis Athanasius ipse prosequitur: *Mareotes regio quædam Alexandrina est, quam Meletius in schisma deducere nequidquam tentavit. Cum igitur Ecclesiæ definitis in locis essent, Presbyteris omnibus conventus in eisdem Ecclesiis agentibus, populisque in pace degentibus, quidam Ischyras nomine, non clericus, sed & moribus improbus, sui pagi incolas in errorem impellere conabatur, dum sese jactitaret esse Clericum. Id cum comperisset locorum Presbyter, mihi Ecclesias perlustranti rem denunciat; quæ causa fuit, ut una cum illo Macarium Presbyterum mitterem ad Ischyram accersendum; quem cum ægrum, inque cubiculo decumbentem reperissent, patri ejus injunxere, ut filium a tali facinore prohiberet, quale adversus eum fuerat delatum. At ille morbo levatus cum esset, a suis, & a patre ipso, quominus id ageret prohibitus, confugit ad Meletianos; qui, inita cum Eusebianis societate, hanc una omnes confixere criminationem: quod scilicet Macarius calicem confregisset, Arseniusque Episcopus a nobis esset interemptus.* Utque verisimiliorem tragædiam redderent, Arsenium occulta-

Arianorum calumniæ in Athanasium de calice fracto, & Arsenio occiso.

Athan. Apol. contra Arian. Tom. 1. pag. 181

Jesu Chr. An. 331.

cultarunt, truncam mortui cujusdam manum circumferentes, quasi is fuisset membratim concisus.

Ischyræ pœnitentiæ libellus Athanasio oblatus.

3. Interea Ischyras conscientiæ stimulis exagitatus, a suisque objurgatus, aliquanto post tempore Athanasium adiit, & quam in Macarium Presbyterum de Calice fracto vulgaverat calumniam, retractavit, atque a Meletianis se incitatum fuisse confessus, oblato libello veniam petiit, sibi vim illatam fuisse prætexens, plagasque ab Isaaco Heraclide inflictas ostentavit, retractationisque libellum Athanasio coram Presbyteris Alexandrinæ Ecclesiæ & Diaconis, quorum ibidem nomina leguntur, obtulit. Post Ischyræ palinodiam, nihilo tamen minus

Meletiani apud Imperatorem Athanasium accusant.

eam ubique denuo pervulgant criminationem, subdit Athanasius, *ad ipsumque detulerunt Imperatorem Constantinum, qui jampridem accusationem de Calice confracto Psammathicæ*, idest Nicomediæ suburbio, ut anno 329. diximus, *nobis præsentibus audierat, & inimicorum deprehenderat calumniam*. Itaque de Arsenii cæde Athanasium apud ipsum Imperatorem insimulant,

Athanas. pag. 182.

qui litteras Antiochiam ad Dalmatium censorem misit; cui homicidii causam audiendam committebat. Quapropter a Dalmatio monitus Athanasius, ut ad diluendum crimen sese compararet, rem, utpote sua innocentia fretus, spernendam censuit; quo silentio commotus Imperator, ad Arsenium conquirendum Diaconum misit, atque ad Ægypti Episcopos ea de re scripsit, ut si quæ de Arsenio scirent, nota sibi facerent, qui in Ægypto frustra quæsitus, tandem Tyri latitans inventus est; quodque permirum fuit, ne deprehensus quidem, se Arsenium esse fassus est, donec in jus vocatus a Paulo tunc Tyri Episcopo convinceretur. Quomodo autem fortuito, Tyri delitescens,

Socrat. lib. 1. 29.

inventus fuerit, Socrates his verbis narrat: *Forte accidit, ut famuli Archelaj consularis in taberna quosdam audirent dicentes Arsenium, qui occisus esse diceretur, in ædibus cujusdam civis delitescere. His auditis, cum eos, qui ista dicerent, notassent, rem omnem ad Dominum referunt: ille e vestigio nihil cunctatus hominem perquirit, atque invenit, inventumque sub diligenti custodia servari jubet; posthæc Athanasio significat, ut bono animo sit, Arsenium enim incolumem præsto esse*. Hæc autem paulo ante synodum Tyriam contigisse testatur Athanasius, qui res suas eo ordine, quo gesta sunt, diligentissime exponit.

De Synodo Cæsareæ Palæstinæ celebranda in causa Athanasii.

4. Inter hæc, Arianorum instinctu Cæsareæ in Palæstina synodum congregari jusserat Constantinus, in qua Athanasii

nasii causa coram Dalmatio tractaretur: *Interpellatus Imperator ab Athanasii adversariis, apud Cæsaream Palæstinæ synodum fieri jussit. Ad hanc synodum vocatus Athanasius non paruit*, ait Sozomenus; atque Eusebianorum fraudes metuens, per triginta menses circiter profectionem suam distulit; *Postea vero majore vi adhibita coactus Tyrum venit*. Cum itaque circa annum 335. synodus Tyria congregata fuerit, & 30. menses circiter profectionem suam distulerit Athanasius, hoc anno Cæsariensem indictam fuisse constat, de qua hæc memorant Ariani Episcopi Philippopoli congregati in synodali epistola: *Propter hæc necessario concilium apud Cæsaream Palæstinæ primo videtur esse conditum, & cum minime ab ipso, vel a satellitibus ad supradictum concilium occurreretur, post alterum annum* (aut post 30. menses circiter, ut habet Sozomenus) *in Tyro propter ejus facinora necessario iterum celebratur*. Quæ autem Athanasio objicerentur crimina, his verbis exagerant iidem Ariani Episcopi in supracitata epistola, quam Sardicensis concilii nomine falso vulgarunt: *Accusatus est graviter juxta Deum sacrilegus, & juxta mysteria Ecclesiæ sanctæ profanus, quippe propriis manibus comminuit poculum Deo, & Christo dicatum, ipsumque Altare venerandum confregit, sedemque sacerdotalem subvertit ipse, atque ipsam basilicam, Dei domum, Ecclesiam Christi demolitus usque ad solum est*; Presbyterum Narchen custodiæ militari tradidit, injurias præterea, vim, & mortem denique Arsenio Episcopo intulit.

JESU CHR. AN. 331.

Athanasii vita Tom. 1. p. 19

Sozom. lib. 2. 25.

Apud Hilar. fragm. p. 1312 Hárduin. Concil. Tom. 1 pag. 674.

5. Itaque Athanasius Cæsariensem Synodum, utpote Arianorum suspectam habens, totam calumniarum seriem Imperatori denunciavit, & misso Macario diacono de gestis hactenus certiorem reddidit; quibus cognitis, Cæsar Dalmatio censori imperavit, ut ab Athanasii causa abstineret, Eusebio, socioque jussit, ut quam citius ad sua redirent, Athanasium datis ad ipsum litteris hortatus est, ut populum sibi concreditum pacifice gubernaret; Meletianos vero tanquam pestes aversatus est, uti pluribus narrat Athanasius.

Athanasius ad Constantinum provocat

Apol. contra Arian. Tom. 1 pag. 182.

6. Quod adversariorum insidias feliciter adeo elusisset Athanasius, vehementer ipsi gratulatus est Alexander Thessalonicensis Episcopus; qui totius calumniæ architectum Archaph, sive Joannem presbyterum fuisse adfirmans, hæc inter cetera Athanasio mandavit: *Macarius me summopere oblectavit, cum litteris suis Constantinopolim transmissis significavit, quam turpi-*

Epist. Alexandr. Episc. Thessalonicæ ad Athanasium.

Apud Athan. Tom. 1. p. 183.

 ter

JESU CHR. AN.331.

ter Archeph Sychophanta sit deprehensus, quod virum, qui in vivis esset, quasi interfectum ubique pervulgasset; illum autem condigna suis sceleribus pœna a justo Judice cum sociis mulctatum iri, Scripturæ prædicant mentiri nesciæ. Universorum Dominus te quam diutissime conservet, Domine erga omnes mansuetissime. Hactenus Alexander.

Quibus artibus celatus fuerit, & inventus Arsenius.

7. Athanasii equidem innocentiæ hoc debebatur, ut & ipsius adversarii, totiusque tragædiæ architecti, putidam calumniam vulgarent. Quare Arsenio invento, Pinnes presbyter, cui occultandi Arsenii a Joanne presbytero cura commissa fuerat; *ad Joannem hujuscemodi sycophantiæ histrionem rescripsit his verbis: Dilecto fratri Joanni, Pinnes presbyter Monasterii Ptemencyrceos in Anteopolite Nomo salutem. Scire te volo Athanasium in Thebaidem diaconum misisse suum, qui omnia Arsenii conquirendi causa perscrutaretur. Ii vero, quos primum offendit, Pecysius nempe presbyter, Sylvanus Heliæ frater, Tapenacerameus, & Paulus Hypseles Monachus, apud nos Arsenium esse confessi sunt. Nos autem re comperta, illum in naviculam conjici curavimus, ut ad inferiores partes una cum Helia Monacho veheretur; post hæc diaconus cum quibusdam reversus, de repente in Monasterium nostrum quærendi Arsenii causa sese immisit: quem quod, uti supra diximus, in inferiores partes transmisissemus, nequaquam invenere. Me autem cum Helia Monacho, qui illum secum assumpserat, Alexandriam deportatum Duci obtulere: ibi cum nulla negandi esset facultas, confessus sum illum vivere, ac minime fuisse peremptum: quod item fassus est Monachus, qui Arsenium evehendum susceperat. Hæc te monitum volui, Pater, ne Athanasium accusare aggrediaris. Dixit enim illum vivere, & apud nos delituisse; resque tota in Ægypto percrebuit, ut ne ultra celari queat. Paphnutius ejusdem Monasterii Monachus, qui hanc epistolam scripsi, plurimum te salutans, valere exopto.* Hactenus ad Joannem Pinnes presbyter, ne ultra de Arsenio occiso calumniam disseminaret.

Pinnæ presbyteri epist. ad Joannem de Arsenio invento. Athan. Tom.1 pag. 83.

Arsenii epistol. ad Athanasium, ejusque pœnitentia.

8. Quid plura! Arsenius ipse redivivus, ut Sancti Præsulis amicitiam, communionemque promereretur, crimen suum confessus est: *Quo enim pacto*, ait Athanasius, *suam Ischyras calumniam confessus est, sic Arsenius sua epistola eorum perversitatem magis coarguit*. Hæc Epistolæ Athanasio ab ipso datæ inscriptio: *Athanasio Beato Papæ, Arsenius Episcopus civitatis Hypselitarum, qui quondam sub Meletio fuere una cum Presbyteris, & Dia-*

Apol. contra Arian. Tom.1 pag. 185.

Diaconis in Domino salutem. Principio pacem, societatemque cum Catholica Ecclesia se exoptare ait; nullam vero unquam cum iis, qui ab Ecclesia Catholica dissidebant, sive Episcopis, sive Presbyteris, vel Diaconis habiturum; neque pacis litteras vel missurum, vel accepturum profitetur. Deinde Athanasium rogat, ut ad se, sociosque Episcopos epistolas mittat, & de pace cum iis inita certiores reddat; sperans fore, ut ipse quoque coram eum adeat, cui interea annos plurimos in Domino adprecatur. Jesu Chr. an. 331.

9. Constantinus etiam ut Joannem, calumnia retractata, in Athanasii gratiam rediisse novit, gratulatorias ad eum dedit epistolas, quibus rem sibi gratissimam fuisse, testatur; ac publico dato vehiculo, ut ad se quamcitissime properaret, hortatus est. *Hic tandem fuit conspirationis exitus, quo peracto, Meletiani a proposito sunt aversi*, & usque ad Tyriensem Synodum anno 335. habitam, aliquatenus ab Arianorum insidiis respiravit Athanasius.

Constantini epistol. ad Joannem. *Athan. Tom. I pag. 186. Athan. ut sup.*

10. *Donatus agnoscitur, a quo per Africam Donatiani*, ait Hieronymi Chronicon; quibus verbis indicat Donatistarum schisma, quod multo ante exortum fuerat, Donati industria dilatatum confirmatumque fuisse. Hujus vero Donati in Carthaginensi Sede Majorino successoris apud Donatistas tanta celebritas fuit, ut alterius Donati, a Casis nigris dicti, memoriam fere deleverit; eumdemque tanquam Sectæ Auctorem, magis quam Propagatorem agnoscerent. Inter cætera Carthaginensem Synodum una cum ducentis septuaginta Episcopis suæ factionis celebravit, cujus epocham ignoramus. Non enim cum Baronio, & Binnio an. 308. alligari eam posse censemus; cum tot numero Episcopos, exorto vix tunc Schismate, fuisse incredibile omnino videatur. Dignissimus qui de ista Synodo audiatur Augustinus, cujus hæc sunt in epistola ad Vincentium donatistam: *Scribit Tychonius homo communionis vestræ, a ducentis, & septuaginta Episcopis vestris concilium Cartagine celebratum, in quo concilio per septuaginta, & quinque dies postpositis omnibus præteritis limatam esse sententiam, atque decretum, ut traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium etiam Macrianensem Episcopum communionis vestræ dicit, traditorum plebem congregatam Ecclesiæ miscuisse, & secundum statuta illius concilii a ducentis septuaginta Episcopis vestris facti, fecisse cum* tra-

Donatus Carth. Episc. Donatistarum schisma firmat. *Hier. op. Tom. 8.*

Noris. de schis. donat. Tom. 5. op. Vales. de schis. donat. cap. 3. Euseb. op. in append. August. epist. 93. n. 43.

JESU CHR. AN. 331. *traditoribus unitatem, eique Deuterio post hoc factum jugiter communicasse Donatum, nec solum huic Deuterio, sed etiam universis Maurorum Episcopis per quadraginta annos, quos dicit usque ad persecutionem per Macarium factam traditoribus sine baptismo communicasse*. Hæc Augustinus de Synodo Carthaginensi a Donato congregata, qua Donatistæ sine iteratione batismatis in suam communionem traditores admiserunt, idest fideles quotquot ad suas partes transibant; contra id, quod postea, & Augustini ætate a Donatistis, sive usu, sive canone statutum fuerat, uti scilicet iterato baptismate admitterentur, quod paullo infra videbimus.

De ortu, & nomine Circumcellionum. *Aug. in psal. 132.* Philast. haer. 37.

11. Ex Donatistarum porro schismate Circumcelliones hac ætate prodierunt, homines prædonum magis, quam Christianorum nomine digni, qui & vulgo Circelliones dicebantur: *Quid sibi vult nomen circellionum*, ajebat Augustinus, *sed non inquiunt vocantur circelliones, forte corrupto sono nominis eos appellamus. Dicturi sumus vobis integrum nomen ipsorum, forte circumcelliones vocantur, non circelliones, plane si hoc vocantur exponant quid sint, nam circumcelliones dicti sunt, quia circum cellas vagantur*. Alio eos nomine appellat Philastrius: *In Africa sunt, qui circuitores vocantur; hi circumeunt terras, & quos inveniunt in via, cogunt eos ut interficiantur ab illis*. Vix major Africæ immitti poterat calamitas, quam hæc perditorum hominum turba, quorum nefanda scelera memorat Optatus.

Circumcellionum scelera. *Optat. lib. 3.*

12. Nefariæ turbæ duo sceleratiores præficiebantur, *Maxidus, & Thasir, qui ab ipsis insanientibus Sanctorum duces dicebantur*. Ab eorum furore nullus securus erat in possessionibus suis; debitorum chirographa amiserant vires, nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes litteris eorum, qui se Sanctorum duces esse jactabant. Itinera etiam periculis plena erant. Quot Domini de vehiculis suis excussi ante mancipia sua, dominorum locis sedentia, serviliter cucurrerunt? Unde cum Donatistarum Episcopis tunc invidia fieret, Taurino tunc Comiti scripsisse dicuntur, hujusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse, mandaveruntque, ut a supradicto Comite acciperent disciplinam; Taurinus vero, ut medelam ferret, militem misit armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat. In loco Octaviensi plurimi occisi, detruncatique multi sunt, ait Optatus,

tus, a quo non dissentit Augustinus: *Ad Donatistarum hæresim*, inquit, *in Africa pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste, & famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi insana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maxime præcipitiorum, & aquarum, & ignium se ipsos necare consueverant, & in istum furorem, alios quos potuerint utriusque sexus seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem, nisi fecerint, comminantes. Verumtamen plerisque donatistarum displicent tales.* Hactenus de sceleribus Circumcellionum, quorum uti origo incerta prorsus, ita intolerabilis furor sub Constante Imperatore anno 348. Pauli, & Macarii opera repressus est.

JESU CHR. AN. 331. *August. de hæres. cap. 69.*

13. Quo judicum, eorumque officialium avaritia coerceretur, severissimam legem edidit hoc anno Constantinus; *Cessent jam*, inquit Augustus, *nunc rapaces Officialium manus; cessent inquam: nam si moniti non cessaverint; gladiis præcidentur. Non sit venale Judicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa Præsidis cum pretio*; omne autem vexationum, concussionum, exactionumque genus sub pœna capitis vetat.

Constantinus Magistratuum, eorumque officialium avaritiam cohibet. *Cod. Theod. de Offic. Rectoris Provinci*

JESU CHRISTI AN. 332. SILVESTRI PAPÆ 19.
CONSTANTINI IMP. 26.
COSS. PACATIANO, ET HILARIANO.
OLIMP. 377. AN. 4. URBIS AN. 1085.

1. *His coss., victi Gothi ab exercitu Romano in terris Sarmatarum die duodecima Kal. Maji*, ait Idacus in fastis, eamque victoriam Constantino Cæsari adscribendam esse nos monet Anonymus Valesianus; qui narrata dedicatione Constantinopolitanæ urbis subdit: *Deinde adversum Gothos bellum suscepit Constantinus, & implorantibus Sarmatis auxilium tulit. Ita per Constantinum Cæsarem centum prope millia fame, & frigore extincta sunt*. De eadem victoria hæc prodit Eusebius: *Quid necesse est commemorare, quomodo barbaræ gentes sub Imperii Romani ditionem redegit, qualiter indomitas ante hac, nec ulli unquam parere suetas Schytarum, Sarmatarumque nationes primus sub jugum misit, ac per vim eo adegit, ut vel inviti Dominos agnoscerent Romanos*. Cum antea Romani Imperatores tributa pendentes annuamque pecuniam, Barbaris quodammodo inser-

Constantini de Gothis, seu Schytis Victoria.

Euseb. vita Constant. l. 4. 5.

JESU CHR. AN.332. inservirent, eam Romani nominis labem Constantinus abstulit; ac triumphali signo, trophæoque, in eos armatus irruens, brevi cunctos subegit, & resistentes, ac contumaces armis domuit, reliquos prudentibus legationibus mitigatos, a ferina, legumque experte vita, ad humanam civilemque traduxit; uti Socrates, & Sozomenus post Eusebium testantur.

Socr. lib. 1. 18. Sozom. l. 1. 8.

Gallicani acta Apocrypha. Bar. an. 330. n. 50. ad 56.

2. Gallicano Duce illustrem adeo de Gothis victoriam tulisse Romanos, acta S. Gallicani referunt; ex quibus in Annales suos plura Baronius intulit: eadem tamen apocrypha dubiæque prorsus fidei multa suadent; & Gothici belli Ducem non Gallicanum, sed Constantinum fuisse Valesianus Anonymus aperte scribit. Ad hæc etiam tempora illa pertinent, quæ Jornandes his verbis meminit: *Dum Constantinus famosissimam, & Romæ æmulam in suo nomine conderet civitatem, Gothorum interfuit operatio*, idest bellum; *qui fœdere inito cum Imperatore; quadraginta millia illi in solatia contra varias gentes obtulere; quorum, & numerus, & officia usque ad præsens in Republica nominantur, idest fœderati*; eoque tempore sub Ariarici, & Aorici Regum suorum florebant imperio. Hæc Constantini de Gothis victoria mendacii Zosimum arguit, scribentem a Constantino nullum gestum esse bellum, atque omnia relicta Barbaris diripienda. Eo flagrabat in Constantinum odio ob susceptam ab eo Christianam Religionem ethnicus scriptor, ut nullum ejus calumniandi finem fecerit. Qua Zosimus fide scripserit, ex hoc ipso loco plane cognoscitur, ubi secum ipse turpiter pugnat; nam & copiam nuspiam adversus hostes eduxisse Constantinum, & exercitus partem maximam eumdem amisisse uno contextu scribit, quorum certe alterutrum falsum esse oportet. Si enim nullas in hostes copias eduxit; quam ergo exercitus partem ammisit? Si contra exercitus jacturam fecit; copias igitur in hostes eduxit: eodem plane maledicendi studio abreptus Constantinum criminatur, quod cum antea duo tantum Præfecti Prœtorio essent, quatuor ipse creaverit; Orientis scilicet, Illyrici, Galliarum, & Italiæ. Quibus singuli provinciis præessent, quam prioris voluminis pag. 143. exhibuimus, Romani Imperii Descriptio plane declarat.

Jornand. de rebus Geth. c. 21.

Zosim. l. 2. 31.

Præfecti Prœtorio quatuor a Constantino creati. Zosim. lib. 2. 33.

JESU CHRISTI AN. 333. SILVESTRI PAPÆ 20.
CONSTANTINI IMP. 27.
COSS. FL. JULIO DALMATIO, ET M. AURELIO ZENOPHILO.
OLYMP. 278. AN. 1. URBIS AN. 1086.

1. Hoc anno *levatus est Constans die octavo Kal Januarii*, teste Idacio in Fastis, scilicet creatus est Cæsar; factumque inde, ut, quod novum inauditumque hactenus fuerat, tres sub uno Imperatore Cæsares essent, Constantinus nempe, Constantius, & Constans. *Eo tempore*, ait Eutropius, res Romanæ sub uno Augusto, & *tribus Cæsaribus* erant, *quod numquam alias fuit*. Eo pertinent etiam Victoris verba: *Filius cunctorum minor Constans nomine Cæsar fit, cujus gratia Reipublicæ permixtionem fore, ostentorum mira prodidere; quippe ea nocte, qua commissi Imperii diem sequebatur, igne continuo Cœli facies conflagravit*. De Constantis inauguratione agens Eusebius, quum de duobus aliis verba fecit: *Tertius Constans*, ait, *qui præsentiam, & stabilitatem suo nomine designat, trigesimo circiter paterni Principatus anno ad hoc fastigium est evectus*. Hæc autem Eusebii verba benigna interpretatione explicanda sunt, cum exactam chronologiam in eo opere non servaverit; neque cum Baronio ad annum Constantini trigesimum Cæsarea Constantis dignitas differenda est, quæ biennio saltem præcessit, ideoque non anno 30., ait Eusebius, sed trigesimo circiter paterni Principatus anno, cum scilicet jam vigesimum octavum annum attingeret.

Constans Cæsar creatur.

Eutrop. lib. 10

Eusèb. vita Const. lib. 4. 40 Vales. ibid. Pag. ad hunc annum.

2. Cum Ariani in Ægypto falso jactarent Antonium eorum opinionibus favere, ipse Episcoporum, atque Athanasii præsertim hortatu Alexandriam perrexit, ut præsens Catholicos confirmaret, Arianosque comprimeret, quorum hæresim ita execratus est, ut palam testatus sit, *postremam omnium esse eam hæresim, & Antichristi prodromum*; palamque docuit, Filium Dei non esse creaturam, sed æternum Patris Verbum, & sapientiam; & ne fidelium quisquam cum impiissimis hæreticis communionem iniret, enixe rogavit.

Antonius Alexandriam pergit.

3. Quo vero tempore Catholicos in Fide confirmavit, infidelium quoque plurimos miraculis suis ad Christi fidem perduxit, ut est ab Athanasio litteris proditum: *Itaque lætabatur populus omnis, audiens a tanto viro anathemate damna-*

Antonius multis miraculis catholicam Fidem confirmat.

Jesu Chr. an. 333. *tam Christo inimicam hæresim, civesque omnes visendi Antonii desiderio accurrebant*. Ipsi Gentiles etiam eorumque sacerdotes ipsum videre cupiebant, ac Virum sanctum, Deique amicum appellabant, quem miraculis clarescere suismet oculis videbant; hinc factum, ut intra paucos dies, quibus Alexandriæ substitit, tot ex iis Christo lucrifecerit, quot vix per annum alias Christiani fieri solerent. Cum vero proficisceretur, atque Athanasio comite ad portam pervenisset, retro mulier clamavit: *Maneto, homo Dei, filia mea graviter a Dæmone vexatur, maneto quæso, ne mihi quoque currenti sit periculum*. His auditis Antonius substitit, ac ut appropinquavit mulier, puella humi jactata est: at Antonius cum Jesu Christi nomen super eam invocasset, continuo reliquit eam malignus spiritus, ac sana stetit, unaque cum matre, & circumstante populo Domino gratias egit.

Antonii vita apud Marinos adornata p. 20.

Quid ad Didymum Antonius dixerit. *Hier. epist. 68*

4. Dum Alexandriæ versabatur Antonius, Didymum cœcum videns, his eum verbis compellavit, ac consolatus est, teste Hieronymo in epistola ad Castrutium: *Num tristis es, quod oculis carnis careas? Cum ille pudore reticeret, secundo, tertioque interrogans, tandem elicuit, ut mœrorem animi simpliciter fateretur. Cui Antonius: miror ait, prudentem virum ejus rei dolere damno, quam formicæ, & muscæ, & culices habent; & non lætari illius possessione, quam Sancti soli, & Apostoli meruerunt*. Didymi Alexandrini multis in locis, nec sine laude meminit S. Hieronymus, cujus testimonia in Appendice ad ejus de Trinitate libros diligenter collegit nuperus eorumdem editor Mingarellius, qui & cetera, quæ supersunt de Didymo a veteribus cum laude dicta, præterea adjecit: quod vero ad scripta adtinet, quæ Didymus ipse vulgavit, hæc dum adhuc viveret in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis libro adnotavit Hieronymus: *Didymus Alex. Captus a parva ætate oculis, & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, ut dialecticam quoque, & geometriam, quæ vel maxime visu indiget, usque ad perfectum didicerit. Is plura opera, & nobilia conscripsit commentaria in Psalmos omnes, in Evangelium Matthæi & Johannis, & de dogmatibus; & contra Arianos libros duos; & de Spiritu Sancto librum unum, quem ego in Latinum verti. In Isaiam tomos decem & octo: in Oseæ ad me scribens commentariorum libros tres, & in Zachariam meo rogatu libros quinque, & com-*

Hieronym. de script. Eccles. cap. 109.

commentarios in Job, & infinita alia, quae digerere proprii indicis est. Vivit usque hodie, & octogesimum tertium aetatis excessit annum. Hæc anno 392. de Didymo Hjeronymus, qui paulo post, cum Origenismi causa a Ruffino diffidere cœpisset, Didymum suspectæ fidei habuit. Didymo tres alios de Trinitate libros tribuit, quem ante nominavimus, Mingarellius clarissimus Bononiæ anno 1759. Græce & Latine editos, ac doctissimis adnotationibus illustravit. Quæcumque præterea ad Didymi vitam, doctrinam, & scripta pertinent operose ipse est persequutus; quare plura de insigni adeo Scriptore cupientem ad ipsum amandamus. JESU CHR. AN. 334.

JESU CHRISTI AN. 334. SYLVESTRI PAPÆ 28.
CONSTANTINI IMPERATORIS 28.
COSS. ACONTIO OPTATO, ET ENICIO PAULINO.
OLYMP. 278. AN. 2. URBIS AN. 1087.

Bello a Gothis inlato sustinendo impares Sarmatæ servos armis instruxerunt, eorumque opera hostes repulere. Isti tamen victoria elati arma in dominos convertentes, patria ejecerunt. Quocirca cum suis expulsi sedibus ad Constantinum Sarmatæ confugissent, ipsos intra Romani Imperii fines recepit, plurimosque militaribus copiis adscripsit. Rem ita prodit auctor excerptorum in vita Constantini: *Trecenta millia hominum, & amplius mixtæ ætatis, & sexus per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, Italiamque divisit.* Hanc porro servorum in Sarmatas rebellionem labenti anno Idacius in fastis alligat, his verbis: *Optato, & Paulino Coss. Sarmatæ servi, universa gens dominos suos in Romaniam expulerunt.* Plura videat, qui velit, apud Eusebium, & Socratem.

Constantinus Sarmatas in solum Romæ recipit. *Euseb. Const. vita lib. 4. 6.*

Socrat. lib. 1. 18.

JESU CHRISTI AN. 335. SILVESTRI PAPÆ 22.
CONSTANTINI IMPERATORIS 29.
COSS. JULIO CONSTANTIO, ET CEJONIO RUFO ALBINO.
OLYMP. 278. AN. 3. URBIS AN. 1088.

De Constantino Consule, Dalmatio Cæsare, & Anniballiano Rege a Constantino creatis.

1. Constantinum hujusce anni Consulem Constantini Imperatoris fratrem fuisse, non filium, aut nepotem, admonet libellus a Præsbyteris, & Diaconis Mareoticæ regionis, Philagrio, & Palladio oblatus, in quo hæc habentur: *Coss. Julio Con-*

Athan. Apol. contra Arian. Tom. 1. p. 193.

JESU CHR. AN.335. *Constantino clarissimo Patricio, fratre piissimi Imperatoris Constantini Augusti, & Rufino Albino, decima mensis Thot*; idest die septimo Septembris hujus anni. Quin ex ipso libello intelligimus eodem tempore Dalmatium ex fratre nepotem Cæsarem factum esse: *Dalmatium filium fratris Dalmatii Censoris, Cæsarem renunciavit octavo Kal. Octob.* Porro Dalmatius filius Dalmatii, fratris Constantini Imp., Præfectus Militiæ Romanæ fuit, & Consul, antequam Cæsar crearetur, teste Chronico Alexandrino, cui consentit Idacius in Fastis, etsi de die dissentiat. *Lectatus est Dalmatius Cæsar decimo quarto Kal. Octobris*. Quare Eusebius in oratione panegyrica hoc anno Tricennalibus Constantini dicta, ita de quatuor Cæsaribus loquitur: *Fortissimos quatuor Cæsares quasi quosdam equos uno Imperialis quadrigæ copulans jugo, & cælestis consensus, atque concordiæ habenis eos devinciens, ipse sublimis velut auriga incitat, atque impellit, universum Terrarum Orbem percurrens Solis instar ubique præsens, & omnia inspectans*. Constantini quoque munificentiam expertus est Annibalianus Dalmatii Cæsaris frater, namque generum sibi fecit, & Regem nominavit: *Annibalianum quoque*, ait auctor Chronici Alexandrini, *Regem nominatum purpura induit, & Cæsaream Cappadociæ amandavit*. Auctor vero Excerptorum de gestis Constantini: *Dalmatium filium fratris sui Dalmatii* Cæsarem fecit, *ejus fratrem Annibalianum, data ei Constantina filia sua, Regem Regum & Ponticarum gentium constituit*. Constantinum tanta in parentes suos munificentia filiorum suorum in eos invidiam concitasse, eorumque interitum maturasse, ex dicendis infra constabit.

Euseb. orat. cap.3.

Eusebii oratio de laudibus Constantini Imp.

Bar., Basnag. Murat. ad an. 335.

Euseb. vita Const. l.4. 46.

2. Tricennalium festorum occasione Constantini laudes elegantissima oratione, inter ejus opera adhuc extante, prosequutus est Eusebius Cæsariensis, qua dum Constantini virtutes enarrat, optimi Principis officia sub oculos ponit: sub hujus autem anni exitum, cum jam trigesimum Imperii annum Constantinus attigisset, dictam ab Eusebio orationem fuisse, multa suadent, uti est plerisque animadversum. Summa illam animi voluptate Imperator audivit; *atque id ipse confessus est, cum ea finita, Episcopos, qui aderant, convivio exciperet, omnique eos genere honoris afficeret*.

Constantinus Hierosolymitanam Synodum celebrari jubet.

3. Absoluto Templo, quod magnificentissimum Hierosolymis ædificandum jusserat Constantinus, eaque de causa congregatis ibidem

dem hoc anno Episcopis plurimis, solemniter dedicari curavit; qua capta occasione Episcoporum plurimi, qui Arii opinionibus favebant, Constantino jubente aut annuente, Synodum celebrarunt, quam Eusebius Nicænæ fere æquavit his verbis: *Hanc secundam Synodum omnium, quas quidem novimus maximam, Imperator Hierosolymis congregavit, post primam illam, quam in urbe Bithyniæ nobilissima collegerat*, idest Nicææ; *sed illa quidem triumphalis erat in Imperii vicennalibus. Hæc vero tricennalium festivitatem ornavit.* Toto tamen cœlo a Nicæna Synodo hæc distabat; nam ex Nicænis Patribus quamplurimi pietate, doctrina, Fideique confessione fulgebant; qui autem Tyri primum, deinde Hierosolymis hoc anno convenerunt, si paucos excipias, vel Arianæ hæresis labe infecti erant, vel suspicione laborabant; uti ex gestis in Tyrensi Synodo mox constabit.

JESU CHR. AN. 335.

Euseb. vita Const. lib. 4. 47

4. Etsi virtutibus plurimis, egregiisque animi dotibus Constantinus Imperator præstaret, ea tamen animi levitate & inconstantia erat, ut hanc præcipue in eo maculam dissimulare nequiverit Eusebius ejusdem vitæ scriptor, & Encomiastes: *Animus ejus*, inquit, *cum præclaris dotibus ornatus erat, præsertim humanitate; quam tamen multi reprehendebant, ob exuberantem malitiam improborum, qui nequitiam suam Imperatoris adscribebant patientiæ. Certe hæc duo vitia illis temporibus maxime invaluisse, nos quoque ipsi conspeximus; violentiam scilicet pessimorum hominum, & insatiabili cupiditate flagrantium, qui universos fere mortales infestabant, & fraudolentem simulationem eorum, qui callide in Ecclesiam irrepebant, & Christianorum nomen falso, ac specie tenus præferebant. Verum insita Imperatori humanitas, ac bonitas, & Fidei, morumque sinceritas eo ipsum adduxit, ut crederet ficta in speciem pietatis hominum illorum, qui pro Christianis habebantur, & qui sinceram erga ipsum benevolentiam callida mente simulabant. Quibus ille cum semetipsum credidisset, interdum fortasse in ea, quæ parum decora essent impegit, maligni Dæmonis invidia hanc velut maculam reliquis ejus laudibus aspergente.*

Constantini levitas animi & inconstantia.

Euseb. Const. vita l. 4. 54.

5. Cum itaque ita levi animo esset Constantinus, ut de sententia sua facile dimoveretur, etsi Athanasii innocentiam luce clarius cognovisset, ac sæpe Meletianorum, Arianorumque in Athanasium calumnias aversatus fuisset; eorum nihilominus fraude, perfidiaque deceptus, Athanasii causam Episcopis

Constantinus Im. Athanasii causam Tyriensi Synodo cognoscendam delegat.

JESU CHR. AN. 335. pis in Tyriensi Synodo congregatis cognoscendam iterum delegavit. *Eusebiani*, ait Athanasius, *ne ita quidem cessavere. Quare Meletianis iterum concitatis, auctores sunt Imperatori, ut Synodum denuo Tyri jubeat congregari*, ad quos hanc ea de causa epistolam dedit: *Congruum plane & prosperitate temporum nostrorum consentaneum erat, ut Ecclesia Catholica expers seditionis esset, & Christi famuli ab omni nunc probro vacui essent, ac liberi. Sed quoniam nonnulli improbæ contentionis stimulis agitati, ne dicam vitam professione sua indignam agentes, cuncta turbare conantur; quod malum quavis calamitate gravius mihi videtur: idcirco vos sponte, ut ajunt, currentes adhortor, ut absque ulla dilatione in unum coeuntes, Synodum constituatis; & ope vestra indigentibus subveniatis, fratribus periclitantibus medicinam adhibeatis, dissidentia inter se membra ad concordiam revocetis, delicta denique, dum tempus adhuc patitur, corrigatis; quo scilicet tot, ac tantis Provinciis per vos restituatur concordia, quam, proh scelus! paucorum hominum arrogantia evertit*; & post aliqua: *Ceterum quantum ad Religionem nostram pertinet, nihil quod mearum partium sit, vobis deerit. Cuncta siquidem, quæ litteris vestris significastis, a me impleta sunt. Scripsi ad quos voluistis Episcopos, ut venientes, communi vobiscum cura, ac sollicitudine fungerentur. Misi etiam Dionysium ex Consulari, qui & Episcopos illos, qui vobiscum adesse debent, commoneat, & omnium, quæ gerentur, maxime vero, quod minime arbitramur, præceptum nostrum etiamnum violare præsumens, adesse renuerit, mittetur quamprimum a nobis aliquis, qui imperiali auctoritate hominem in exilium pellens, docebit Imperatoris sanctionibus pro veritate editis minime esse repugnandum*. Athanasio hæc minatur Imperator, qui antea ad Cæsariensem Synodum vocatus, adesse recusaverat, uti supra diximus. Demum hæc subdit: *Quod superest, vestræ Sanctitatis erit providere, ut nec odio, nec gratia, sed juxta Ecclesiasticas, & Apostolicas regulas delictis, & iis, quæ per errorem contigerunt, conveniens remedium exquiratis, &c.* Hactenus Constantini epistola, quam, præter Eusebium, Theodoretus etiam posterorum memoriæ conservavit.

Athan. Apol. contra Arian. Tom. 1. p. 186. Constantini epist. ad Episc. Euseb. Const. vita lib. 4. 42.

Theod. l. 1. 29.

Quæ occasio celebrandæ Synodi fuerit. *Const. vita lib. 4. 40. 41.*

6. Celebrandæ Synodi prætextum, uti antea innuimus, ex dedicatione Templi Hierosolymitani sumpserunt Episcopi; hinc Eusebius: *Tempus*, inquit, *tricennalia suorum opportunissimum*

ſimum eſse exiſtimavit, quo Summo omnium Regi gratias ageret, & ipſe quidem optimum facta eſse judicavit, ſi ejus Martyrii, quod ſingulari ſtudio, ac magnificentia Hieroſolymis conſtruxerat, dedicationem celebraret. Tum capite ſequenti: *Verum invidus dæmon bonorum omnium inimicus, inſtar denſiſſimæ cujuſdam nubis ſplendidiſſimis radiis ſolis ſeſe opponentis, hujus celebritatis nitorem turbare conatus eſt, Eccleſiarum Ægypti ſtatum contentionibus ſuis iterum concutiens. Sed enim Deo carus Imperator, collectam rurſus plurimorum Antiſtitum Synodum, velut divinum quemdam exercitum in prælium educens, malevolo dæmoni objecit, Epiſcopis ex univerſa Ægypto, & Lybia, Aſia item, & Europa convenire juſſis; primum quidem ad dirimendam controverſiam, exinde vero ad ſupradicti Martyrii dedicationem. Proinde mandavit iis, ut obiter in civitate, quæ totius Phœnices caput eſt* (ideſt Tyri) *controverſias diſſolverent, neque enim fas eſse, ut cum mutua animorum diſſenſione ad divinum cultum accederent; cum divina lex vetet, diſſentientes, antequam compoſitis inter ſe controverſiis, pacem atque amicitiam pepigerint, dona ſua Deo offerre &c.*

JESU CHR. AN. 335.

7. Sexaginta Epiſcopos Tyrienſi Synodo adfuiſſe, tradit Socrates, quibus addendi ſunt Ægyptii Epiſcopi numero quadraginta novem, quorum nomina leguntur in epiſtola per eoſdem Epiſcopis congregatis oblata, atque inter eos primus erat Adamantius. Ceteros ex multis Provinciis convocaverat Imperator, Macedones ſcilicet, Pannonios, & Mœſios, Bithynios quoque & Thraces; nec deerant ex Cilicia Epiſcopi, aut ex Cappadocia, Syria, Meſopotamia, Phœnice, Arabia, & Palæſtina. Ex his quidem aliqui pietate, & doctrina præſtabant, parte tamen maxima, quod Euſebius diſſimulavit, Ariana hæreſi, aliiſque criminibus aſperſa erat; quodque magis dolendum eſt, Euſebiani, ſeu Ariani primas in ea partes occupaverunt, quorum arbitrio omnia patrata ſunt. Inter eos Euſebius Nicomedienſis, & Euſebius alter Cæſarienſis eminebant; deinde Narciſſus Nerodiadis, Placillus Antiochenus, Theognius Nicænus, Maris Chalcedonenſis, Theodorus Heracleotes, Patrophilus Scithopolitanus, Theophilus, Urſacius Singidonenſis, Valens Murſinus, Macedonius Mopſueſtenus, Georgius Laodiciæ, aliique plurimi non alio titulo, quam ob hæreſim Arianam celebres. Omnibus vero præerat Dionyſius Comes, qui Satellitium militare Euſebianis dedit. *Macarius vinctus ſub Militum*

De Epiſcoporum numero *Socrat. lib. 1. 28. Athan. Apol. pag. 196. Hard. Tom. 1. Concil. p. 543. Euſeb. l. 4. 43.*

Athan. lib. 4. pag. 187.

Jesu Chr. an. 335.

tum custodia Tyrum adducitur. Is Athanasii Presbyter erat, quem Athanasii jussu Ischyræ mensam subvertisse, ac calicem confregisse Meletiani mentiebantur. Adfuit vel invitus Athanasius, ne Imperatoris animum exasperaret: *Me Imperator litteris compulit suis, ut vel invitus istbuc me conferrem*; ait vir sanctus, cum quo & quadraginta novem ex Ægypto Episcopi adfuere.

Quale fuerit conciliabulum Tyrium. *Athan. Apol. contra Arian. Tom. 1. p. 130.*

8. Antequam ibidem gesta exponamus, adnotandum est cum Alex Synodo, hunc Episcoporum conventum malignantium potius congregationem dicendam esse, quam ecclesiasticam Synodum: *Quænam enim*, ait, *tunc Episcoporum Synodus, quisnam consessus veri studiosus, quis ex plerisque saltem eorum inimicus noster non erat? Nonne Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus a Confessoribus, qui nobiscum erant, accusatus est, quod Idolis sacrificasset? Nonne Gregorius, a beato Alexandro depositum fuisse, convictus est? Nonne alii de aliis, & diversis criminibus deferebantur? Quo ergo jure adversum nos convenire voluerunt? Quomodo Synodum vocare audent, in qua Comes præsidebat, & cui spiculator aderat, ac in quam Commentarius vice diaconorum Ecclesiæ nos introduxit? Ille loquebatur, & qui aderant silebant, immo potius Comiti obtemperabant. Tum ne amoverentur, qui amovendi videbantur episcopi, ab ejus consilio impediebatur. Ille jubebat, nos a militibus trahebamur; immo potius jubentibus Eusebio cum sociis, ille eorum sententiis obsequebatur. In summa, dilecti, cujusmodi illa Synodus, cujus exitus erat exilium, & cædes, si Imperatori placeret*. Hæc aliaque in eamdem rem Ægyptii Episcopi in Synodali epistola ad omnes Episcopos, ut ostenderent, Synodi nomen falso Tyriensi conventui ab Eusebianis imponi.

Pag. 132.

Eusebius Cæsariensis a Potamone redargutus. *Ephiph. hæer. 69.*

9. Cum in unum convenissent Episcopi, adfuit inter eos etiam Athanasius, qui etsi ob Sedis dignitatem primum tenere locum debuisset, stare tamen tamquam reus, una cum Episcopis Ægyptiis coactus est; quare ut Eusebium inter Athanasii judices sedere conspexit Potamon Heracleæ in Ægypto Episcopus, cui ob Christi fidem sub Maximino oculus evulsus fuerat, rei dignitate commotus collacrymans, ad Eusebium dixit; *Tene Eusebi sedere, & Athanasium te judicem ferre? Quis istbæc tolleret? Dic sodes, nonne mecum Tyrannorum tempore in custodia fuisti? Atque ego quidem oculo sum pro veritate mulctatus: tu nulla corporis parte mutilatus es, neque in fidei testi-*

testimonium aliquid passus, sed incolumis integerque ades. Quanam ratione ex custodia elapsus es, nisi quia pollicitus es te nefarium quidpiam admissurum, vel fortasse admisisti? His Eusebius auditis excanduit; ac mox consurgens cœtum solvit hæc locutus: Si tanta hic procul finibus vestris arrogantia estis; haud abs re in crimen petulantiæ, & superbiæ vocamini a contribulibus vestris. Athanasius etiam de Eusebii accusatione: *Nonne*, inquiebat, *Eusebius Cæsariensis a Confessoribus, qui nobiscum erant, accusatus est, quod idolis sacrificasset?* An idolis sacrificaverit Eusebius, prout eidem a Potamone objectum est, etsi dubitari possit, illud tamen certum est, tanti criminis infamia eum laborasse, ac apertas cum Athanasio inimicitias gessisse, ut adversus eum judex sedere non posset. Ut sup. p. 130.

10. Quare *Paphnutius confessor*, ait Ruffinus, *qui concilio Nicæno interfuerat, cum vidisset Maximum Hierosolymorum Episcopum, qui una secum effosso oculo, & poplite succiso confessor extiterat, verum pro nimia simplicitate nihil de Sacerdotum scelere suspicantem, consedisse cum ceteris, quos factionis maculæ sociaverant, medium consessum adire non veritus: Te, inquit, Maxime, cum quo mihi unum, atque idem confessionis insigne est, cum quo mihi pariter mortale lumen effossum, clariorem divini luminis conciliavit aspectum; Te, inquam, non patiar sedere in concilio malignantium. Injectaque manu, elevans eum de medio eorum, ac de singulis instruens, perpetua dehinc Athanasio communione sociavit.* Hæc Ruffinus, de quibus tamen Athanasius ne verbum habet; unde penes auctorem fides sit. Paphnutius Max. Hier. Episcopum e Sinodo Tyria retrahit. Ruffin. lib. 10. 17.

11. Interea adversus Athanasium accusationes plurimæ, veteresque calumniæ de fracto Calice, de sacra Mensa Ischyræ subversa, de Arsenio occiso in scenam iterum eductæ sunt; de illegitima ordinatione, de vi pluribus illata, de stuprata virgine &c., ut apud Athanasium, alibique videri potest: *Verum nos Eusebium, sociosque recusavimus, quod essent nobis hæreseon causa inimici*, ait Athanasius; idest Meletianos, & Eusebianos, *qui inter se insidias* adversus Athanasium moliti erant, *itaut illi accusandi, hi judicandi sibi partes vindicarent*. Cumque tam justa petitio non audiretur, & omnia per vim agerentur; nam teste Alexandrina Synodo Comes præsidebat, Spiculator aderat, Commentariensis vices Diaconorum agebat, ac per apertam vim omnia, juxta Eusebianorum voluntatem peragebantur; causam

Quæ crimina Athanasio objecta fuerint

Athan. p. 118. Ruffin. lib. 10. 17. Socrat. l. 1. 28 Sozom. l. 2. 25. Theodor. lib. 1 30.

Athan. p. 131

Jesu Chr. an. 335. sam nihilominus coram hujuscemodi Judicibus dicere compulsus, objecta sibi crimina tam facile diluit Athanasius, ut ejusdem adversarii obmutescere coacti fuerint.

Arsenius Tyriensi Synodo sistitur.

12. Ut alia prætereamus, etiam de Ischyræ Calice fracto, & mensa subversa calumniam renovarunt, quam tam evidenter Athanasius disjecit, ut neque Ischyras, neque Joannes Archap accusator quidquam ulterius hiscere tentaverint. Arsenium vero, quem occisum jactabant, non solum vivere demonstravit, sed & Synodo exhibuit. Rem tragediæ magis, quam historiæ similem his verbis narrat Theodoretus, & cum eo Socrates, & Sozomenus. Cum de Arsenii occisione accusaretur, Athanasius judices interrogavit, num quis ex ipsis Arsenium nosset; cumque multi respondissent, hominem sibi prope notum esse, eum in medio adduxit, interrogans, num idem esset Arsenius; illis vero confitentibus hunc Arsenium esse, Athanasius reducto ejus pallio, utramque illius manum ostendit, addens: Aliam vero nemo requirat; duas enim dumtaxat manus a Deo singuli homines acceperunt. Accusatores vero, & judices fraudis conscii, cum erubescere debuissent, tumultu, ac seditione Concilium compleverunt; præstigiatorem vocantes Athanasium, qui artibus quibusdam, ac machinamentis oculos hominum deciperet; quem facile discerpissent, aut jugulassent, nisi is, qui Synodo præerat Imperatoris nomine, id prohibuisset. Unde idem Athanasius in Apologia de victoria ibidem de hostibus habita: *Dei gratia*, ajebat, *Macarium confracti Calicis convincere non potuerunt, quin ipse Arsenius, quem a nobis interemptum pervulgarunt, incolumis coramque consistens eorum palam faciebat calumniam*.

Theod. l. 1 30 Socrat. Sozom. ut supra.

pag 188. Quomodo Athanasius a crimine stupri se purgat. *Ruffin. l. 1. 30 Socrat. Sozom. Theod. ut sup.*

13. Calumniam vero alteram de stupro virgini illato, sagaci stratagemate, non sine hostium suorum ignominia, mirifice diluit Athanasius, uti narrat Ruffinus: *Ad accusandum Athanasium introducta est muliercula libidinosa, & petulans; clamat impudenter, se professam esse virginitatem, sed ab Athanasio, quem hospitio exceperat, per vim compressam, & invitam stupratam fuisse*. Ubi autem a judicibus imperatum est Athanasio, ut crimini responderet, obticuit ipse perinde ac si Athanasius non esset; Timotheus vero presbyter, qui eum comitatus fuerat, sic mulierculam alloquitur: ego ne tecum aliquando rem habui? ego ne in tuas ædes ingressus sum? Tum illa imprudentius petulantiusque clamare cœpit, ac Timotheo dicere

dicere: *Tu mihi abstulisti virginitatem, tu castitate me spoliasti, & alia, quæ impudentes meretrices propter exuberantiam loqui solent*; atque his verbis suam, eorumque, qui hanc fabulam texuerant, temeritatem calumniasque prodidit. Quapropter cum a Concilio educeretur, consurgens Athanasius: *Non est*, inquit, *dimittenda mulier, sed inquirendum in eam, cognoscendumque quis hæc crimina confixerit*. Ariani vero vociferati graviora adversus Athanasium extare crimina, mulierculam dimiserunt. Ceterum hanc de meretricula historiam, cujus non meminit Athanasius, suspectam habent Maurini editores; quare tota ejus fides sit apud Ruffinum, ex quo Socrates, aliique exscripserunt. Jesu Chr. An. 335.

14. Itaque cum Athanasius omnes eorumdem machinas apertissimis argumentis subvertisset, ac Joannem, ejusque asseclas ex Meletianorum familia nequaquam audiendos esse, probasset; ostendissetque nec Ischyram presbyterum unquam fuisse, ex breviario seu notula Presbyterorum ab ipso Meletio exhibita Petro Alexandrino Episcopo, cum ad communionem admissus fuerat; Ariani argumentorum evidentia turbati, neque aperte obsistere valentes, legatos in Mareotem miserunt, qui diligentius rem explorarent: *Quos nos multis de caussis recusavimus*, ait Athanasius, *supervacuum esse affirmantes in Mareotem proficisci, cum jam omnia, quæ dicenda suppeterent in medium protulissent. Quod si omnino legatione in Mareotem opus esset, ne saltem suspecti eo mitterentur, & sane Comes, quantum ad suspectos attinet, nobis annuebat*. Ariani tamen omni ratione postposita, quos præcipue suspectos dixerat Athanasius, eos furtim in Mareotem miserunt, idest Theognium, Marim, Theodorum, Macedonium, Ursacium, Valentem; quodque iniquissimum fuit, Macario sub militum custodia Tyri retento, accusatorem, idest Joannem una secum abduxerunt.

Legatos in Mareotidem iterum Ariani mittunt. *Athan. p.133. 134. 187.*

Pag. 135.138.

15. Inter hæc Ægyptii Episcopi, qui una cum Athanasio Tyrum advenerant, tam aperta conspiratione insidiisque animadversis, cum reliquis Episcopis, qui Tyri remanserant, de vi Athanasio illata ab Eusebio, Theognio, Mari, Narcisso, Theodoro, & Patrophilo, deque eorum conspiratione conquesti sunt; professi illos ideo in ea causa judices recusasse, quod omnibus compertum erat: *quanto non ipsos dumtaxat, sed & omnes Orthodoxos odio haberent*; *Arii namque furoris, impiæque ejus doctrinæ causa in omnes insurgebant, in omnes conspirabant*.

Episcoporum Ægypti contestatio ad Episcopos, & ad Dionysium Comitem. *Athan. p.193*

JESU CHR. AN. 335. Quæ etsi, inquiebant, *fortasse vestra pietas, Domini honoratissimi, ignorabat*, nunc sole clarius aperta sunt; ac inter cetera suam ipsi prodidere conjurationem: *Ex sociis namque suis viros nobis suspectos legare decreverunt in Mareotem, ut nobis absentibus, & hic remanentibus, populos turbare, & arbitratu suo agere valeant*. Et post aliqua addunt, Meletianos ex suis quosdam in Mareotem per Veredarios jam misisse, ut collectis in unum Meletianis, Colluthianis, & Arianis, de calumniis in Athanasium, & socios struendis docerent: *Quapropter contestamur*, addunt, *rogamusque, ut Dei timore in mente suscepto, improbantes quod clam nobis, quos libuerit, miserint, non subscribatis, ut ne quæ illi machinantur, hæc quasi a vobis gesta prædicent*. Hæc aliaque in eamdem rem Ægyptii Episcopi pro Athanasii defensione ad Episcopos, qui Tyri aderant. Easdem querelas de legatione in Mareotem missa obtulerunt Ægyptii Episcopi Flavio Dionysio Comiti libello altero, quo eadem retractant, quæ Episcopis jam exposuerant. Huic Episcopi Ægyptii numero quadraginta novem suscripti leguntur, quorum primus Adamantius erat.

Pag. 195.

Epistola Alexandri Episcopi Thessalonicensis ad Dionysium.

16. Horum certior factus Alexander Thessalonicensis Episcopus, cujus maxima apud omnes auctoritas erat, hæc ad Dionysium Comitem pro Athanasii defensione datis litteris scripsit: *Aperte video contra Athanasium conflatam conspirationem; quos enim ille recusavit, hos omnes, nescio quo consilio, illi re nobis non indicta legarunt, tametsi decretum erat, ut in unum coacti deliberaremus, quinam essent eo mittendi. Consule igitur, & cave, ne quid temere fiat &c.* Deinde postquam memoravit Meletianos, Colluthianos, & Arianos, qui adversus Athanasium conspiraverant, Ecclesiæ hostes esse, atque ad turbas in Ægypto excitandas aptissimos, hæc inter cetera subdit: *Perpendas velim, ne quid detrimenti emergat, neve nobis crimini detur, ut qui secundum justitiam non judicaverimus*. Tanti viri auctoritate, ac monitis excitatus Dionysius Comes, etsi Arianis impense faveret, eos, ut cautius imposterum agerent, admonuit; non levem quippe *nos culpandi occasionem*, ajebat, *si dominus meus Alexander rebus gestis non consentire videatur*. Nihilominus cum Ariani in inceptis persisterent, communicato cum Catholicis Episcopis, qui Tyri aderant, consilio, ac epistola altera Dionysio data, totam caussam ad Imperatoris cognitionem reservandam Ægyptii Præsides postularunt.

Dionysii Comitis Epistola ad Arianos *Athan. Apol. pag. 187.*

17. Cum

17. *Cum plurimas videamus in nos conflatas conjurationes, insidiasque structas ex conspiratione Eusebii, Narcissi, Flacilli, Theognii, Maris, Theodori, & Patrophili; quos cum a principio recusare vellemus, id minime nobis concessum est, ad hanc contestationem venire cogimur. Etenim hinc magnam de Meletianis geri sollicitudinem, hinc structas in Catholicam Ægypti Ecclesiam nostri causa insidias cernimus. Quapropter hanc tibi tradimus epistolam, rogantes, ut in mente habens Deum omnipotentem, qui imperium tutatur piissimi, & religiosissimi Constantini, eidem Imperatori piissimo rerum nostrarum cognitionem reserves.* Et post aliqua in eamdem rem: *Itaque te iterum adjuramus per omnipotentem Deum, perque piissimum Imperatorem, qui multis annorum circulis victor semper, incolumisque cum filiis pietatis suæ perseveret, ut nihil ultra aggrediare, neque quidpiam in Synodo circa negotia nostra moveas. Sed rei cognitionem ejus pietati reserves. Hæc ipsa significavimus dominis nostris Episcopis Orthodoxis.* Hæc ad Dionysium Catholici Episcopi, quos ab Arianis interea, tamquam a concilio prævaricatorum, secessisse admonet Athanasius.

JESU CHR. AN. 335. Episcoporum contestatio ad Imperatorem. Pag. 196.

18. Interea Arianorum legati, qui Ægyptum properaverant, Alexandriam ingressi, assumpto una Philagrio Ægypti Præfecto, in Mareotem se contulere. Erat autem Philagrius a Fide apostata, ut alibi narrat Athanasius; *atque illic soli pro sua libidine cum prædicto viro inquisitionem fecere*; iis exclusis, qui Ischyram calumniæ convincere parati erant, coram Ethnicis de Ecclesia, de Calice, de mensa, de sacris rebus inquisitionem fecerunt, & quod gravius est, Ethnicos in testes cum de mystico disquirerent, advocarunt. Graviora multo gesta sunt in Mareote, atque Alexandriæ; nam Ægypti Præfectus ecclesiasticos terrens, nullum pro veritate testimonium ferre permisit, atque accusatores, testes, & judices una eademque domo mensaque utentes, omnia ad Eusebianorum voluntatem gesserunt. Facinora vero, quæ Alexandriæ perpetrata sunt, omnem dicendi copiam excedunt; nam gladii adversus sacras virgines, & fratres districti sunt: flagella honorabilibus apud Deum corporibus incussa sunt, itaut vi plagarum pedibus nonnulli claudicarent; Ethnici etiam virgines nudare ausi sunt, & verberare, eoque deventum est, ut petulans quidam vir, quasi potestatem a Præfecto accepisset, virginem manu arreptam, ad altare pertraxerit, ut Idolo sacrificaret: atque hæc quidem vir-

Quid Eusebianorum Legati in Ægypto egerint. Pag. 189.

JESU CHR. AN. 335. virgines jejunii tempore ab iis, qui cum Episcopis intus epulabantur, perpessæ sunt; uti Episcopi Ægyptii ad Episcopos, & ad Julium Romanum Episcopum, in encyclica epistola narrant.

Alexandrinus Clerus Legatorum acta rejiciunt.

19. Dum hæc Alexandriæ, & in Mareotide agerentur, officio suo non defuerunt Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyteri numero sexdecim, & Diaconi quinque, ac libellum legatis Arianorum tradiderunt, quo gestà adversus Athanasium reprobantes, ad legitimam Synodum provocabant. Presbyteri etiam, & Diaconi Mareoticæ regionis Philagrio Ægypti præfecto, & Flavio Palladio Ducenario libellum alterum obtulerunt, quo iterum Ischyram nec Presbyterum fuisse, nec Calicem confractum fuisse testantur: *Quapropter*, inquiunt, *hoc testimonium proferimus, te adjurantes per omnipotentem Deum, perque dominos nostros Constantinum Augustum, ac illustrissimos Cæsares ejus filios, eorum ut Pietati hujusce rei notitiam præbeas, datum Coss. Julio Constantino clarissimo Patricio fratre piissimi Imperatoris Constantini Augusti, & Ruffino Albino clarissimis viris, decima mensis Thoth*; idest die septima Septembris hujusce anni. Tyriensi præterea Synodo iidem Presbyteri, & Diaconi Mareoticæ regionis libellum obtulerunt, quo Ischyræ sycophantiam detegunt, Athanasii innocentiam vindicant, ac gesta ab Arianis in Mareotem missis omnino rejiciunt, utpote per apertam vim, & injuriam conflata, uti ibidem videri potest.

Libellus Mareotici Cleri ad Tyriensem Synodum. *Athan. Apol. pag. 92.*

Ariani Athanasium absentem Sacerdotio privant. *Socrat. l. 1. 32.*

20. E Tyriensi conventiculo se subduxerat Athanasius, *qui recta ad Imperatorem se contulit*, ait Socrates, *cum Synodus absentem condemnavit, eo quod judicium deseruisset. Postquam vero etiam acta, quæ in Mareote confecta fuerant accessere, depositionis sententiam adversus eum tulerunt, multis eum probris onerantes in depositionis libello; cui depositioni, & Arsenius qui interfectus ab Athanasio dicebatur redivivus subscripsit*, & Maximus Hierosolymorum Episcopus, qui postea fraude detecta, ac facti pœnitens, Antiochenæ Synodo non multis abhinc annis habitæ interesse recusavit. At Maximum Hierosolymitanum Episcopum, & Arsenium depositioni Athanasii subscripsisse vix credimus; nam Maximum e Tyriensi Synodo abstractum, ne impiorum judicio adstipularetur, a Paphnutio Ægyptio Episcopo jam supra ex Ruffino diximus; sed & Arsenium post pœnitentiam suam Athanasio favisse, testantur Ægyptii Episcopi Alexandriæ anno 340. congregati. De Athanasii depositione a Synodo Tyria facta,

Socrat. l. 2. 8.
Ruffin. l. 1. 17.
Sozom. l. 2. 25.

facta multa addit Sozomenus a Socrate prætermissa. Inter cetera post Athanasii depositionem, eos Imperatori gesta significasse, ac, ne Athanasium Alexandriam ingredi permitteret, rogasse; tum ad Episcopos universos epistolas dedisse, ne eum in suam reciperent communionem. Causas vero depositionis has Athanasio objecisse, quod Cæsariensi Synodo adesse recusaverit, quod ad Tyriensem cum ingenti multitudine, ut turbas, ac seditiones in Concilio excitaret, advenisset; nec objectis criminibus respondisset; & singulos Episcopos probris, & conviciis incessens, interdum cum ab ipsis vocaretur, minime obtemperasset, interdum vero judicium subire dedignatus esset. De confractione autem mystici poculi convictum esse denunciarunt; cujus rei testes adhibuere Theognium Episcopum Nicææ, Marim Chalcedonis, Theodorum Heracleæ, & Valentem, Ursacium, ac Macedonium, quos in Ægyptum miserant. Episcoporum tamen plurimi, atque ex his Paphnutius, ne sceleratæ in Athanasium factionis, & Arianorum perfidiæ, participes essent, ante Athanasii exauctorationem e Synodo excesserant.

Ischyra ab Eusebianis Episcopus ordinatur.

21. Ariani interea ob Athanasii depositionem votorum suorum compotes facti, antequam inde excederent Hierosolymam transituri, ut calumniarum præmium Ischyræ darent, in vilissimi Mareoticæ regionis vico Episcopum ordinarunt, ubi, ut ait Athanasius: *Nunquam Episcopus fuit, aut Chorepiscopus, sed universæ illius regionis Ecclesiæ Alexandrino parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos, qui decem circiter sunt; imo plures numero, vicus autem, ubi habitat Ischyras, omnium est minimus, & paucorum hominum, adeout non istbic, sed in proximo pago extet Ecclesia.* Quamobrem cum nec Ecclesia eo in vico esset, iidem Ariani auctores apud Imperatorem fuere, ut templum ibidem ædificaretur, uti ex epistola exactori Mareoticæ regionis a Flavio Himerio data constat; qua hæc habentur: *Flavius Himerius Exactori Mareotæ salutem. Ischyra Presbytero, pietatem dominorum nostrorum Augustorum, ac Cæsarum, rogante sibi in loco Pacis secontauturi construi Ecclesiam, jussit eorum divinitas, ut id quamprimum efficiatur. Curato igitur, ut exemplar nactus divini diplomatis, quod cum debita veneratione priore loco positum est, nec non monumenta mea sanctitate edita, ea cito in compendium relata in commentarium reponas; ut quæ divinitus jussa sunt, ad exitum deduci queant.*

Athan. Apol. contra Arian. Tom. 1. p. 200. 201.

san-

Jesu Chr. An. 335.

Tyrienses Patres Hierosolymam ad Templi dedicationem vocantur.

Euseb. vita Constant. lib. 4 43.

22. Sed ut ad Tyriensem Synodum, seu ad Arianorum conventum redeamus, audaciores iidem facti, Arium ipsum, ejusque impietatis socios ad Ecclesiæ communionem restituere cogitabant; & sane perfecissent, nisi eos Imperator Hierosolymam ad dedicationem Templi vocasset: *Cum hæc executioni mandarentur*, ait Eusebius, *alius ab Imperatore nuncius supervenit, qui, oblatis imperialibus litteris, Synodum hortatus est, ut nulla interposita mora, omnes quamprimum Hierosolymam properarent. Cuncti igitur ex Phœnicum provincia digredientes, publico cursu contendere eo, quo jussum erat, cœpere, totusque ille locus maximo Dei cœtu tandem refertus fuit, cum ex universis provinciis insignes Episcopi Hierosolymis in unum convenissent*. Ea in urbe cum essent, regio non solum apparatu, sed & regia mensa excepti sunt; ab Imperatore enim viri spectatæ probitatis missi fuerant, qui sumptibus subministratis festivitatem illustrarent; ac Episcopos singulari comitate, & exquisitissimis epulis, atque conviviis recrearent, egentibus insuper, ac nudis, utriusque sexus magnam pecuniæ vim, plurimasque vestes distribuerent.

Quomodo excepti fuerint Hierosolymis Episcopi.

De gestis Episcoporum

23. In Basilica vero regalibus donariis magnificentissime exornata congregati Episcopi sacras conciones, & sacræ Scripturæ expositiones habuerunt, uti prodit Eusebius, qui de seipso subdit: *Ibi nos quoque, quibus majora, quam pro meritis nostris bona contigerant, variis sermonibus publice habitis solemnitatem decoravimus, magnificentiam scriptis enarrantes, nunc propheticorum oraculorum sensus apte, & accommodate ad præsentes figuras, atque imagines interpretantes. Qualis autem forma Basilicæ Servatoris, qualis sacræ Speluncæ species sit, quanta operis venustas, & elegantia, quot denique donaria, partim ex auro, & argento, partim ex gemmis fabrefacta peculiari opere executi, librum illum Imperatori nuncupavimus, quem quidem librum opportune ad calcem hujus Operis edituri sumus, adjuncta etiam oratione illa de tricennalibus, quam paulopost profecti Constantinopolim coram ipso Imperatore recitavimus*. Hæc oratio de laudibus Constantini inter Eusebii opera extat. At liber alius de Templo Hierosolymitano, ejusque ornatu & suppellectile, temporis lapsu periit, aut adhuc latet.

Vestium sacrarum usus in Sacramentorum administratione.

24. Inter regia *Donaria, & ornamenta, quæ quidem*, ut ait Sozomenus, *in eadem Basilica hactenus manent, & a cun-*

a cunctis non sine ingenti stupore spectantur. Vestis numeratur aureis filis contexta, quam, Theodoreto teste, Constantinus Macario Episcopo donaverat, ut ea in solemni Baptismatis administratione uteretur. Ex eo porro tempore maxima cum solemnitate dies dedicationis Ecclesiæ Hierosolymitanæ celebratus fuit, ac per continuos septem dies collectæ fiebant, quo conveniebant quotquot ex toto Orbe ad sacra loca perlustranda concurrebant. Si diem, qua ea solemnitas recurrebat, adnotasset Sozomenus, gratum valde fecisset, neque de hac re disputarent Eruditi, quorum alii decima tertia Septembris celebratam fuisse asserunt, alii alia die, ut apud Basnagium, aliosque videre est.

JESU CHR. AN. 335.

Sozom. l. 2. 26 Theod. l. 2. 27. Sozom. ut sup. Baron. Valef. Pag. Not. 5. an. 335. Basnag. an. 335. num. 13. Athan. vita a Mauriuis edita pag. 26.

24. Nunc reliqua Hierosolymis gesta videamus, quæ quidem, cum sine Eusebianorum infamia recenseri non possint, Eusebius præteriit; etenim Arium, Euzojum, aliosque factionis Arianæ homines, a Nicæna Synodo anathemate percussos, communioni Ecclesiæ reddiderunt, ad id etiam Imperatoriis epistolis excitati, ut iidem testantur in epistola Alexandrinæ Ecclesiæ, aliisque per Ægyptum, Thebaidem, Lybiam, & Pentapolim, & ubique terrarum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis data. Epistolæ partem maximam s. Athanasius Apologiæ suæ inseruit, integram vero libro de Synodis; illi autem ita præfatur: *Hujusmodi res machinati, inde profecti Arianos secum Hierosolymam adduxere, iisque illic ad communionem admissis, epistolam scripsere*, qua narrant, se ab Imperatore Hierosolymis ad dedicationem Martyrii Salvatoris vocatos, eam cum maxima animorum voluptate ac solemnitate celebrasse; deinde se ab ipso Imperatore, ad id datis epistolis, excitatos fuisse, ut omni contentione, & invidia deposita, simplici, & pacifico animo Arium cum suis ad communionem reciperent, quos invidia extra Ecclesiam hactenus detinuerat, & quorum fidem ipse Imperator per epistolam suam rectam esse testatus est: *Quam ipse ab illis sciscitatus, viva voce loquentes cum audisset a se approbatam nobis indicavit, litterisque suis sanam virorum fidei formulam subjunxit; quam nos omnes rectam, & Ecclesiasticam esse agnovimus &c.* Hactenus Eusebianorum epistola Hierosolymitanæ Synodo inscripta.

EusebianiArium, ejusque Socios ad Ecclesiæ comunionem admittunt.

Athan. Tom. 1 pag. 199.

25. De sceleratis autem Eusebianorum consiliis subdit merito Athanasius: *Quis hujusmodi auditis verbis, conspirationem non animadvertit? gesta namque sua non dissimularunt; aut*

Arianorum perfidia detegitur.

Athan. Tom. 1 pag. 200.

JESU CHR. AN. 335. *aut fortasse, vel inviti veritatem sunt confessi. Nam si ego is eram, qui Arianos Ecclesiæ ingressu arcerem, & illi post conflatam in me conspirationem ad communionem sunt admissi, quid aliud dicendum, quam & hæc, & universa eorum in nos facinora Arianorum gratia perpetrata esse; & eo solum Calicis fractionem, Arseniique cædem esse confictam, ut impietatem in Ecclesiam introducerent, & ipsi minime deprehenderentur hæretici? Ideo enim mihi antea Imperator litteris suis interminatus est. Nec puduit eos talia dicere, affirmareque recte sentire viros a tota œcumenica Synodo anathemate damnatos: neque sunt veriti tantam Synodum, quantum licuit, clam evertere, homines sane dictis gestisque suis temerarii.* De eadem Tyriensi, & Hierosolymitana synodo in libro de Synodis: *Ea de causa Athanasio, & aliis omnibus Episcopis sibi repugnantibus insidias struxisse, ut Arium cum sociis reciperent, hæresimque introducerent in Ecclesiam.* His autem gestis, ad deturbandum Marcellum Ancyranum Episcopum se converterunt Eusebiani, quem suæ factioni infensum esse probaverant; scripserat quippe adversus Sophistam Asterium, quem Arianorum patronum, ac oratorem Athanasius appellat, eodemque libro Eusebium Nicomediensem, Paulinum, & Narcissum exagitaverat. Sed dum Marcellus Asterium Arianosque stylo suo insectatur, in Pauli Samosateni sententiam declinare visus est, unde Arianorum, qui Hierosolymis congregati erant, una fuit sententia, eumdem loco suo movendum esse, & Episcopatu abdicandum. Eo itaque in Synodum vocato, exegerunt Eusebiani, ait Socrates, ut libri conscripti rationem redderet, cumque deprehendissent illum in Pauli Samosateni errore versari, jusserunt, ut mutaret sententiam; Ille vero, librum suum se combusturum quidem promisit; at Concilio cum festinatione soluto, Marcelli causa indecisa remansit, de qua iterum sermo redibit. Cur autem dimissum fuerit Concilium, dicendum nunc est, & ad Athanasii causam redeundum.

Athan. de Synod. p. 731. 732.

Socrat. lib. 1. 36.

Constantinus Episcopos ad se vocat.

26. Athanasius itaque Eusebianorum furorem declinans, Tyro aufugiens, Imperatorem adierat, ut de illatis sibi injuriis conquereretur; quare his acceptis Constantinus, ad Episcopos non sine irati animi significatione scripsit, ut ad Comitatum properarent, de gestis adversus Athanasium rationem reddituri, ut eadem epistola videre est. Ea occasione narrat Epiphanius, Athanasium eo quod ab Imperatore repulsam passus esset, divinum ei

Athan. Apol. pag. 201.

Epiph. hær. 69

ei judicium interminasse his verbis: *Dominus mei, tuique Judex erit, quando eorum partibus te adjunxeris, qui me calumniis opprimunt*. Nec mirum difficilem se ad Athanasii querelas præbuisse Constantinum, qui undique ab Eusebianorum fautoribus vallatus, ex eorum arbitrio pendebat. JESU CHR. AN. 335.

27. Eusebiani vero ad Imperatorem profecti, Eusebius scilicet, Theognius, Patrophilus, alter Eusebius, Ursacius, & Valens, novo atrociorique crimine Athanasium insimularunt, commenti scilicet Athanasium impediisse, quominus frumentum Alexandria Constantinopolim transveheretur; quare statim *nostra non expectata defensione, nos relegavit in Gallias*, ideft Trevirim, ait Athanasius. Congruunt Ægyptii Episcopi in Synodali epistola: Cum Athanasio *quatuor Alexandrini Presbyteri, quamquam Tyrum non venerant, ab ipsis in exilium acti sunt*, ut eadem Apologia legitur pag. 138.

Novæ Eusebianorm in Athanasium calumniæ, unde in exilium ejicitur.

Athan. p. 103.

Athan. Apol. pag. 138.

28. Ad Constantini culpam minuendam hæc Theodoretus adnotavit: *Nemini porro mirum videatur, quod fraude circumventus, tantos viros in exilium egerit; Episcopis enim decipientibus credidit, qui malitiam quidem suam tegebant, sed alloquin clari, atque illustres erant*. Quod Davidis exemplo confirmat, qui Sibæ Miphiboset servi calumniis deceptus, agrum Domini donavit eidem. Constantinus etiam Junior ad minuendam tanti facinoris invidiam, Athanasium Treviros a Patre suo relegatum tradit, ut ab Eusebianorum furore subduceret, cujus sanguini inhiabant, quem suæ Sedi restituere in animo habuisse scribit, ni a morte præventus fuisset: ipse etiam Athanasius Constantini culpam excusat hæc ad Solitarios scribens: *Ille siquidem*, ideft Constantinus, *Eusebii, & sociorum calumnia inductus Episcopum amandavit in Gallias, ad tempus scilicet, ac ut insidiatorum immanitatem devitaret; id enim post Patris obitum declaravit beatæ vir memoriæ Constantinus Junior, ut in ejus epistola cernere est*. Quare nimis aspere Constantinum exagitat Lucifer, dum eadem mente, qua Constantius Athanasium est persecutus, & Constantinum exilio mulctasse asserit; nam Constantius utpote hæreticus pro tuenda Ariana hæresi Catholicos Episcopos persequebatur, Constantinus vero ab Eusebianis deceptus, Athanasium solum vertere coegit; quam culpam, quæcumque tandem fuerit, Baptismate postmodum suscepto, diluit.

Quomodò Constantinus excusari possit.

Theod. lib. 1. cap. 18.

Reg. lib. 2. 16.

Lucifer pro Athan. lib. 1.

29. Treviris, tamquam Fidei Athleta honorificentissime

Athanasius Treverim per honorifice exceptus.

Jesu Chr. An. 335. me exceptus fuit Athanasius tum a Constantino juniore Constantini Imperatoris filio, tum a Maximino Trevirorum Episcopo, de quo hæc habet Hieronymus: *Maximinus Trevirorum Episcopus clarus habetur, a quo Athanasius Alexandriæ Episcopus, cum a Constantino quæreretur ad pœnam, honorifice susceptus est*. A Constantino vero juniore non solum benigne exceptus est Athanasius, atque in honore habitus, sed & rebus omnibus ditatus, ut in epistola ad Populum Alexandrinum idem testatur: *Sub me degere jussus in hac Urbe, ubi commoratus est, omnibus necessariis abundavit... Quantæ vero venerationi nobis fuerit, cum ad conspectum vestrum venerit, cognoscetis*.

Hieron. Chron. Apud Athan. Apol. p. 203.

Constantinus vetat alium Episcopum Alex. ordinari. Athan. epist. ad Monachos Tom. 1. p. 375. Marcellum Ancyranum Episcopum deponunt. Socrat. l. 1. 36. Sozom. l. 2. 29

30. Post Athanasii exilium Eusebiani cum sociis Constantinopoli congregati, alium in ejusdem locum Episcopum substituere tentarunt, quorum tamen conatus Constantinus coercuit, atque rem aggressos gravibus minis deterruit, ait Athanasius. Ne tamen otiosi consisterent, Marcelli causa iterum discussa est, ait Socrates: *Et cum ille improbum librum, sicut ante promiserat, comburere recusaret, Episcopi, qui aderant, ipsum quidem deposuerunt; Basilium vero ejus loco Ancyram miserunt. Hunc Marcelli librum Eusebius tribus voluminibus confutavit, pravam illius opinionem coarguens*. Quin tamen cum Eusebio, aut Socrate credamus, Marcellum tam impia dogmata tradidisse, nos prohibet auctoritas Romani Concilii, & Julii Pontificis, nec non & judicium Concilii Sardicensis, a quibus retractata iterum Marcelli causa, innocens est declaratus, & Sedi restitutus, ut suo loco videbitur. In hac etiam Constantinopolitana Synodo, cujus mentio est apud Ruffinum, Socratem, Sozomenum, præter Marcellum, alios etiam Catholicæ Fidei propugnatores Episcopatu abdicatos fuisse scimus. Inter eos Sanctum Cymatem, & Euphratem Antaradi, Eutropium Adrianopolis, & Lucium Confessorem, quos ea de causa una cum aliis inter Fidei Confessores Athanasius recenset, Eutropium scilicet, *virum bonum, & omni ex parte perfectum, quod pluries Eusebium coarguisset, ac illac transeuntibus auctor fuisset, ne impiis Eusebii verbis obtemperarent, qui una cum Eusthatio civitate, Ecclesiaque sua pellitur. Euphration etiam Balnearum, Cymatius Palti, alter Cymatius Tardi, Asclepas Gazæ, Cyrus Bereæ in Syria, Diodorus in Asia, Domnion Sirmii, & Hellanicus Tripolis statim atque hæresim odisse comperti sunt, alii ob conficta crimina, alii nulla causa allata*, Imperatoris auctoritate suis Sedibus pulsi sunt;

Athan. epist. ad Monachos Tom. 1. p. 347.

sunt; *aliosque illi eorum vice, quos impios noverant, in ipsorum Ecclesiis constituere*. His subdit, quæ in Marcellum Ancyræ gesta sunt, de quibus jam supra egimus. — Jesu Chr. An. 336.

31. Extremo hujus anni die, nempe 31. Decembris, Silvester Papa vivere desiit, cum Petri Cathedram per annos unum & viginti, menses undecim tenuisset: *Fuit temporibus Constantini*, ut in Bucheriano Catalogo legitur, *a Consulatu Volusiani, & Anniani ex die pridie Kal. Febr. usque in diem Kal. Januariarum, Constantio, & Albino Coss.*, idest a die 31. Januarii anni 314., qua die in Cathalogo depositionis Romanorum Pontificum hæc leguntur: *Pridie Kal. Januarias Silvestri in Priscillæ*, idest Cœmeterio depositus. Tanti Pontificis gesta, si pauca excipias suis locis notata, temporis injuria in obscuro remanserunt, nec nisi apocrypha de eodem circumferuntur, cujusmodi sunt Sylvestri Papæ constitutum in Romana Synodo, epistola ad universos Episcopos per Gallias, & septem Provincias constitutos. Item Nicænæ Synodi epistola ad Silvestrum, & Silvestri epistola ad eamdem Synodum, & Romanum Concilium post Nicænam Synodum habitum pro ejusdem confirmatione, aliaque hujusmodi ab Isidoro conficta, quæ etsi pro genuinis aliquando recepta fuerint, nunc inter apocryphas merces recensentur, ideoque in Appendice a Coutantio rejecta sunt. De Marco ejusdem successore anno sequenti agemus.

Silvestri Papæ obitus. Coutan. p. 341. Bar. Lab. Bin. Coutan. p. 37. ad 54.

JESU CHRISTI An. 336. Marci Papæ 1.
Constantini Imp. 30.
Coss. Nepotiano, et Facundo.
Olimp. 278. An. 4. Urbis An. 1089.

1. Die ultima anni proximi e vivis excesserat Silvester, cui Marcus die decima octava Januarii successit, qui eodem hoc anno occubuit; quare in Bucheriano Catalogo *Marcus menses octo dies viginti, & hic fuit temporibus Constantini Nepotiano, & Facundo Coss. ex die XV. Kal. Febr. usque in diem Nonarum Octobrium Consulibus suprascriptis*. Brevem Marci Pontificatum Sozomenus adnotavit: *Sub idem tempus mortuo Marco, qui post Silvestrum brevi admodum tempore Pontificatum obtinuit; Julius Romanam Sedem administravit*. Marci Pontificatum versibus suis S. Damasus celebravit, cum de eodem cecinit: *Hic Marcus, Marci vita, fide, nomine consors, & meritis*.

Marcus Pontifex eligitur, post menses octo obiit. Coutan. p. 350. Sozom. l. 2. 20.

JESU CHR. AN. 336.

Martyrol. Rom. die 7. Octobr.

August. Tom. 9. in brevic. collat. num. 19

Bar. 314. num. 60. ad 67 Coutan. ut sup Basn. 336. 9. Blondell. Isid. cap.

Arius Constantinopolim vocatur.

Socrat. l. 1. 37.

Theodor. in Jacobo Nisib. cap. 1.

ritis. De Marci obitu, & sepultura hæc ex Pontificum Catalogo Martyrologium Romanum: *Romæ via Ardeatina depositio Sancti Marci Papæ. Hic constituit, ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, tum pallio uteretur, & ab eodem Episcopus Urbis Romæ consecraretur.* Romanum Pontificem ab Ostiensi Episcopo ex veteri consuetudine ordinatum fuisse, testis est Augustinus. Num vero ejus consuetudinis Marcus auctor fuerit, atque ea de causa Ostiensi Episcopo Pallii usum concesserit, ut ab Auctore libri Pontificalis traditur, in dubio relinquimus, nec majoris auctoritatis habenda est epistola ad Athanasium data de Nicænorum Canonum exemplari, quam Marci nomine inscripsit Isidorus, & uti apocrypham ipse Baronius rejicit, apud quem, ut reliquos plures taceam, multa de illius falsitate videri possunt. De Julio, qui Marco successit, dicemus anno sequenti, quo ordinatus est.

2. Post Hierosolymitanam synodum, id unum restabat Arianis, ut quem in communionem Ecclesiæ ipsi receperant Arium, eumdem quoque Alexandrina, & Constantinopolitana Ecclesia reciperet; sua tamen spe frustrati sunt, nam uti narrat Socrates: *Arius quidem cum sectatoribus erroris sui Alexandriam reversus*, cum eam denuo turbasset Ecclesiam, a Constantino iterum Constantinopolim vocatus est, turbarum, quas denuo concitaverat, rationem redditurus; ubi coram Imperatore se sistens, ab eoque interrogatus, num decretis Nicænæ fidei consentiret, nihil cunctatus, se ea recipere testatus est, & etiam juramento confirmavit. Quibus cum Imperator fidem habuisset, Alexandro Constantinopolitano Episcopo mandavit, ut Arium in communionem reciperet, quod acriter Eusebiani urgebant; eoque processit Eusebius Nicomediensis, ut ipsi Alexandro multa minaretur, *asserens prope diem ipsi ademptorum se esse sacerdotium, nisi Arium, & socios in communionem reciperet.* Alexander tantis in angustiis positus ad Deum confugit, eumque continuis precibus exorabat, ne Ecclesiam suam Ariana perfidia fœdari permitteret. Ei opportune adfuit eximiæ sanctitatis vir Jacobus Nisibenus Episcopus, qui non sine divino consilio tanquam Angelus venerat in auxilium populo Dei: *Hic enim*, ut ait Theodoretus, *tunc hortatus est omnes, ut septem dies jejunio se macerarent, & in orationem pariter incumberent, Deumque rogarent, ut id fieri juberet, quod utile futurum esset Ecclesiis. Probato igitur ab omnibus viri sancti consilio; norant enim*

enim illum Apostolica gratia præditum (ideſt miraculorum dono illuſtrem) *confeſtim jejunio junctæ ſunt preces*.

JESU CHR. AN. 336.

3. Cumque dies inſtaret (quæ erat Sabbati), qua Arius, invito Alexandro Epiſcopo, ceteriſque Catholicis, ſperabat ſe in Eccleſia cum reliquis fidelibus convenire poſſe: *Perditis Arii conatibus divina ultio jam inſtabat. Egreſſus enim ex imperiali Palatio, Euſebianis ſatellitum inſtar eum ſtipantibus, per mediam civitatem magnifice incedebat, omnium oculos in ſe convertens. Cumque veniſſet juxta forum, quod dicitur Conſtantini, quo in loco ſtatua porphiretica poſita eſt, terror quidam ex conſcientia ſcelerum ei ſubortus eſt, & cum terrore ſimul alvus relaxatus. Percontatuſque, num in proximo eſſent latrinæ, cum poſt Conſtantini forum eſſe didiciſſet, illuc perrexit. Mox animo deficere cœpit, & una cum excrementis anus ipſi delabitur. Subſecuta eſt ſanguinis copia, ac poſtremo tenuia inteſtina ſimul cum ſplene, ac jecore effuſa ſunt. Et ille quidem continuo animam exhalavit*. Teterrimum Arii interitum in epiſtola ad Serapionem fuſiori ſtylo narrat Athanaſius. Quod cum longum eſſet exſcribere, adnotare ſufficiet, eadem die maxima cum lætitia Alexandrum Epiſcopum una cum Catholicis conventum egiſſe, Arianis ob improviſum caſum pudore ſuffuſis, quorum plurimi, ut eodem loco Athanaſius adnotat, ſententiam mutarunt.

Arii exitus infelix. *Socrat. lib. 1. 38.*

Epiſt. ad Serap Tom. 1. p. 340

4. Infamem Arii exitum Patrum plurimi in Arianæ hæreſis deteſtationem narrant, eumque Judæ proditori merito exæquant: *Arius petulantis, & effrenatæ linguæ pœnas dedit, in obſcœnis, & impuris locis extinctus, atque orationis, non morbi viribus oppreſſus, ac Judæ inſtar diſruptus in eadem Verbi proditione*: ita Gregorius Nazianzenus. Ambroſius vero ad Gratianum ſcribens: *Cui ergo credimus, Joanni in Chriſti pectore recumbenti, an Ario inter effuſa ſua viſcera volutanti? ut agnoſceremus ſimilem Judæ proditoris Arii quoque fuiſſe perfidiam, quem ſimilis pœna damnavit: effuſa ſunt enim & Arii viſcera, pudet enim dicere ubi; atque ita crepuit medius proſtratus in faciem, ea quibus Chriſtum negaverat, fœda ora pollutus; crepuit enim, ſicut etiam de Juda Petrus Apoſtolus dixit. Latrinæ autem illæ, ubi Arius periit, etiamnum monſtrantur, & cunctis prætereuntibus digitum ad eas intendentibus, genus mortis Arii perpetuo memorabile poſteris reddunt*, ait Socrates. Quam infamiam ut ab Arianis averteret, *aliquanto poſt Arianus quidam*

De Arii obitu Patrum ſententiæ. *Greg. Nazian orat. in laud. Athan.*

Locus, ubi Arius obiit, celebris perſeverat.

Jesu Chr. an. 335. *dam opulentus, ac potens data opera eum locum emit a Fisco, & commutata priore forma, domum illic ædificavit, ut res in oblivionem vulgi paulatim veniret, nec perpetua recordationis serie mors Arii traduceretur*, ait Sozomenus. Frustra tamen hæc facta sunt; nam usque dum permanebunt Patrum scripta, de Arii exitu historia narrabitur, quam neque Ariani, neque Sociniani impietatis hæredes, ex hominum memoria delebunt.

Moshem. secul. 4. part. 2. cap. 5. pag. 167 Inter eos Moshemius recenseri potest, qui de infausto Arii interitu agens, apud æquos lectores vix hæc fidem invenire posse addit, ac suam clarius sententiam proferens: *Mihi*, ait, *ut verum fatear, attente omnia consideranti, verisimillimum fit, infelicem hominem hostili arte periisse, atque veneno interemptum esse. Inconsultum & cæcum religionis studium multa hoc deteriora facinora omni tempore suasit*. At inconsultus quoque ac cæcus calumniandi, aut quidlibet audendi pruritus certiora etiam, ut Moshemio contigit, in dubium vocare docuit.

Duo Arii fuerunt ejusdem Sectæ. *Sulpic. Sever. hist. lib. Valesf. observ. Eccl. l. 2. nor. in cap. 30. l. 2. hist. Sozom.*

5. Adnotandum tamen hoc loco est, duos cognomine, & impietate socios fuisse Arios, ambos etiam Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyteros, quorum meminit Severus Sulpicius, qui de Constantio adnotat: *a duobus Ariis acerrimis perfidiæ hujus auctoribus depravatum fuisse*. Hinc Valesii opinio prodit, ante hæc tempora Arium hæresis Arianæ auctorem obiisse, atque Arium a Synodo Hierosolymitana in communionem receptum, quem etiam, Deo vindice, Constantinopoli percussum repente diximus, dum ad Ecclesiam triumphans properaret, juniorum alterum fuisse. At hæc vix probabilia esse Maurini adnotarunt, eaque pluribus Pagius, & Basnagius impugnarunt. Ut enim cetera prætereamus, Athanasius, & Gregorius Nazianzenus, dum Arii interitum narrant, eumdem hæresis auctorem fuisse, aperte testantur.

Maurin. ad epist. Athan. ad Serap. Pag. an. 340. n. 13. ad 18. Basnag. 336. 5

Alex. Populi, & M. Antonii preces ad Constant. pro reditu Athanasii. *Sozom. l. 2. 31*

6. Cum Athanasii exilium Alexandrinæ Ecclesiæ luctum attulisset, Clerus, & Populus, quin & Magnus Antonius epistolis Imperatorem rogarunt, ut Pastorem Ecclesiæ suæ restitueret; sed frustra: *Mortuo Ario*, ait Sozomenus, *contentio de dogmatibus ab illo primum invectis, neutiquam finem accepit... Denique cum & Populus Alexandrinus assidue vociferaretur, Deumque in supplicationibus publicis oraret pro reditu Athanasii; & Magnus Antonius monachus frequentes de eo litteras ad Imperatorem scripsisset, rogans, ne Meletianis fidem haberet, sed eorum*

eorum accusationes calumniarum loco duceret; *Imperator tamen flecti non potuit*. Ad Alexandrinos scribens, dementiam illius, & levitatem exprobravit; Clericis vero & sacris Virginibus, ut quiescerent, præcepit; nequaquam se Athanasium revocaturum esse obtestans, utpote seditiosum, & ecclesiastico judicio condemnatum. Antonio autem rescripsit, se adduci non posse, ut sententiam Synodi despiceret: incredibile quippe sibi esse ajebat, sententiam tanto Episcoporum consensu firmatam æquitati, aut Ecclesiæ legibus adversari, aut per invidiam in Athanasium latam.

JESU CHR. AN. 336.

7. Cumque Alexandrinam Ecclesiam in duas partes scissam esse audivisset, aliis quidem Athanasio faventibus, aliis Joanni Meletianorum Episcopo, quem Tyriensis Synodus dignitati suæ, & honori restituerat, invitis etiam Eusebianis, Joannem quoque solum vertere coegit: *Atque hoc quidem, non ex sententia inimicorum Athanasii successit, nulla etenim prece, aut excusatione flecti poterat Princeps erga eum, quem Christianorum plebem ad discordiam, & seditionem impellere suspicio erat*, ait Sozomenus.

Joannis Arcaph Meletianorum Episcopi exilium. *Sozom. ut supra*.

8. Post hæc Alexander Constantinopolitanus Episcopus, qui orationibus suis Arium ex Ecclesia non solum, sed & ex hominum consortio ejecerat, ut diximus, clarus meritis, vitam cum æterna gloria hoc anno commutavit, annos nonaginta octo natus, quorum viginti tres in Episcopatu transegerat: *Cum ex hac vita migraturus esset, interrogatus a Clericis, cuinam post ipsum committenda esset Ecclesia: Si virum, inquit, pietate præditum, simulque idoneum ad docendum quæritis, habetis Paulum; sin hominem ad res sæculares, & ad colloquendum cum judicibus aptum mavultis, potior est Macedonius*. Quo Alexandri testimonio Paulum Macedonio prælatum fuisse patet. Hinc ait Socrates: *In Ecclesia, quæ dicitur Irene, & contigua est ei, quæ nunc magna, & Sophiæ vocatur Ecclesia, Paulus Episcopus ordinatur, in quo sane videbatur mortui Alexandri valuisse suffragium. At Macedoniani utrumque (Paulum scilicet, & Macedonium) testimonio Alexandri ornatum fuisse confitentur*. Cumque ob Pauli ordinationem seditio exorta esset, Paulum, ut dissidii auctorem ab Eusebianis accusatum, in Pontum Constantinus relegavit: *Quod Paulum vero spectat Constantinopolis Episcopum*, ait Athanasius, *neminem ignorare arbitror; quo enim clarior urbs, eo minus obscuræ fuerunt res ibi gestæ*. Itaque

Alexandri Constantinopolitani Episcopi obitus, cui succedit Paulus. *Socrat. l.2.6. Sozom. l.3.3. Theodor. lib. 1.19.*

Athan. epist. ad Monachos tom. 1. p. 347.

Jesu Chr. an. 336. *que adversus hunc etiam causas commenti sunt* (Ariani)... *& primo quidem Paulus a Constantino in Pontum relegatus est; secundo &c.* Narrat deinde alia exilia, longumque martyrium ab eodem Paulo sub Constantio tolleratum, de quibus suo loco infra.

De Pauli Episcopi ordinatione. *Bar. 340. n. 15 Pag. ibi. not. 9 Bossuag. 340. n. 3. 4. Socrat. l. 2. 6. Sozom. 3. 3. Athan. vita pag. 29. Tillemont. hist. Eccl. tom. 7. pag. 657.*

9. De Alexandri obitu, & Pauli ordinatione variæ quidem sunt Eruditorum opiniones; cum alii aliquot ante annos utrumque accidisse scribant, alii e contra usque ad annum 340. differant, quorum opinioni Socrates, & Sozomenus suffragantur, dum Consulatu Acyndini, & Proculi, Alexandri Episcopi obitum narrant. At Athanasium audire præstat, quo teste scimus, Paulum, dum adhuc Constantinus viveret, Alexandro successisse, ab eoque etiam in exilium fuisse relegatum, de quibus plura in Athanasii vita, alibique videri possunt.

Constantii nuptiæ. *Euseb. lib. 4. 49.*

10. *Absoluto jam trigesimo Imperii anno*, ait Eusebius; *Constantinus secundi filii sui* (idest Constantii) *nuptias celebravit; cum majoris nati nuptias dudum antea celebravisset. Epula igitur, & convivia præbebantur, Imperatore ipso filium sponsum deducente, & magnifico apparatu seorsum virorum, seorsum mulierum cœtum excipiente, sed & munera splendidissima civitatibus, ac populis divisa.* Cum plures uxores habuerit Constantius, nec Eusebius sponsæ hoc anno ductæ nomen indicet, quænam hæc prima Constantii uxor fuerit, ignoramus. Hanc Eusebiam fuisse tradit Baronius; at nonnisi post annum 353. eam duxit Constantius, cum victo Maxentio Tyranno, Imperii monarchiam adeptus est, ut tradit Julianus Imperator in oratione ad eamdem Eusebiam; itaque quantum conjectura adsequi possumus, prima Constantii uxor filia fuit Constantii Patrui, secunda Eusebia, tertia vero Faustina, ut ex Ammiano scimus.

Baron. 336. Pag. not. 8. ibid. Murat. 353. Bossuag. 336. Ducang. de Famil Byzant. Ammian. lib. 26 cap. 6.

Indorum Legationes ad Constantinum. *Euseb. cap. 50.*

11. *Eodem tempore*, subdit Eusebius, *Indorum, qui ad Orientem solem incolunt, Legati advenere dona afferentes, varias videlicet gemmas exquisitii fulgoris, ac pretii; feras quoque forma, atque indole penitus a nostris discrepantes. Quæ omnia Imperatori offerentes, testabantur ad ipsum usque Oceanum imperium ejus extendi; gentisque Indorum Principes, ac Regulos pictis tabulis, & statuis in honorem ejus erectis, Imperatorem, ac Regem se illum agnoscere profiteri. Ac in ipso quidem Principatus ejus exordio, primi omnium Britanni ad occidentalem Oceanum positi sese illius ditioni subjecerunt:*

nunc

nunc vero Indi ad Orientem Solem incolentes, idem fecere. Jesu Chr. An. 336.

12. Cum corporis tamen vires in dies decrescere Constantinus cerneret, atque diem ultimum sibi instare prævideret, inter tres filios suos Cæsares Imperium divisit, ut narrat Eusebius, atque Constantino filiorum maximo Gallias, Hispanias, Brittaniasque adsignavit. Alteri vero, ideft Constantio, Orientale tradidit Imperium; Constanti mediam inter hos portionem, ideft Italiam, Affricam &c. Eodemque tempore pietatis monita, tum per se ipsum, cum clarissimorum virorum opera, iis dabat, ac ut sacris, sæcularibusque disciplinis instruerentur; præcipue vero, ut Ecclesiæ Dei curam gererent, seque palam Christianos profiterentur, enixe curavit, eaque de causa, quotquot Christo nomen non dederant, ab eorum comitatu, & societate vel amicitia removit; Rempublicam etiam iis administrandam tradidit, qui Dei cultores erant, ut pluribus idem narrat Eusebius.

Quomodo filios suos ad pietatem instruerit, eisque Imperium diviserit. *Eusеb. cap. 51.*

13. Interea cum Constantini potentia cunctis ubique gentibus admirationi, & terrori esset, Persarum Rex Sapor, qui hactenus in ejus amicitia perseveraverat, legatosque cum muneribus miserat, mutatus repente, adversus Romanum Imperium arma movit, uti proditum ab auctore Chronici Alexandrini: *Persæ Romanis bellum intulerunt*. Eutropius vero de Constantino: *Bellum adversus Parthos moliens, qui jam Mesopotamiam fatigabant, Nicomediæ obiit*. Eusebius, Persas bello causam dedisse, indicat his verbis: *Cum de motu Barbarorum ad Orientem Solem degentium nuncius allatus esset... Persis bellum inferre statuit*. Persis itaque bellum illaturus, militares copias undique collegit, & Episcopos, ut una secum proficiscerentur, rogavit, apud Deum continuis supplicationibus adfuturos. *Quamobrem Tabernaculum speciem Ecclesiæ ambitioso cultu ad hujus belli usum præparavit, in quo preces ad Deum victoriæ auctorem una cum Episcopis fundere decreverat. Interea Persæ cum Imperatorem bellum parare comperissent, & cum illo congredi vehementer reformidarent, missis Legatis pacem ab eo postulaverunt. Itaque Imperator pacis amantissimus, Persarum legatione benigne suscepta, pacem & amicitiam cum eis libenter pepigit*.

Constantini expeditio adversus Persas, quos ad pacem admittit.

Eutrop. lib. 10.

Euseb. Constant. vita lib. 4. 56.

Euseb. ut supra cap. 56.

14. Renovato cum Persis fœdere, ubi ab armis cessatum est, ad pia opera rediit Constantinus: *Post hæc in memoriam Apostolorum, martyrium ædificare cœpit in Urbe sibi cognomine*. Cumque templum in immensam altitudinem extulisset,

Constantinus in honorem Apostolorum Templum ædificat. *Cap. 58. 59. 60.*

JESU CHR. AN. 336. set, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens; cameram vero lacunaribus minutissimi operis obducens, auroque exornans: & supra quidem æs regularum loco impositum, universo ædificio munimentum adversus imbres præbebat. Quod etiam auro plurimo ornatum resplendebat adeo, ut procul spectantium oculos fulgore perstringeret, Solis radiis æris objectu repercussis. Totum vero solarium reticulatis quibusdam Anaglyphis ex ære, & auro fabrefactis circumdedit. Circa templum ingens erat area, libero, ac patente desuper cœlo; cujus ad quatuor latera porticus erant sibi invicem conjunctæ, quæ aream in medio sitam una cum ipso templo circumcingebant. Præterea basilicæ, lavacra, diversoria, & alia plurima habitacula ad usum eorum, qui locum custodiebant, porticibus adjuncta, earum longitudinem æquabant.

Templi structura describitur.

Defunctorum animæ precibus juvantur.

15. *Hæc omnia dedicavit Imperator eo consilio, ut Apostolorum Servatoris nostri memoriam posteris in perpetuum commendaret. Sed & aliud quidpiam in mente habens, ædem illam construxit, quod initio quidem obscurum, tandem vero omnibus sub finem innotuit; quippe ipse hunc sibi locum post mortem designaverat, incredibili fidei alacritate prospiciens, ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem post obitum sortiretur; quo scilicet precationum, quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cum igitur duodecim illic capsas, quasi sacras quasdam columnas in honorem, ac memoriam Apostolici Collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrinque Apostolorum capsas dispositas habebat. Atque id in eo loco, ubi corpus ipsius post mortem decenter deponendum esset, solertissime providit. His ille diu antea sagaci mente dispositis, ædem Apostolis consecravit; pro certo sibi persuadens, horum memoriam non parum utilitatis animæ suæ esse allaturam.* Hactenus de his Eusebius, quibus constat, quæ fuerit Constantini, licet adhuc cathecumeni fides, quæque proinde Ecclesiæ Catholicæ doctrina, tum de Sanctorum intercessione, cum de utilitate orationum pro fidelibus defunctis, ut e purgatorio, ejusque pœnis quam citius liberentur. Quando eo in Templo repositum fuerit Constantini cadaver, dicemus anno proximo, quo obiit.

JESU

JESU CHRISTI AN. 337. JULII PAPÆ I.
CONSTANTII)
CONSTANTINI) IMP. I.
CONSTANTIS)
COSS. FAB. TITIANO, ET FELICIANO.
OLYMP. 279. AN. I. URBIS AN. 1090.

1. Die feptima Octobris anni fuperioris Marcus Romanus Pontifex obierat; die vero Februarii fexta in ejus locum Julius hoc anno ordinatus eft, de quo Bucherii Catalogus: *Fuit a temporibus Conftantini, a Confulatu Feliciani, & Titiani ex die octava idus Februarii in diem pridie idus Aprilis Conftantio V., & Conftantino Cæfare Coff.* ideft a die 6. Februarii hujus anni, quæ Dominica erat, ad diem duodecimam Aprilis anni 352. Sedit itaque annos quindecim dies aliquot. De Julio Pontifice narrat Auctor Pontificalis, eum patre Ruftico fuiffe genitum, qui etiam *multas Bafilicas fecit. Bafilicam in via Portuenfi milliario 3. Bafilicam via flaminia milliario 2., quæ appellatur Valentini. Bafilicam Juliam, quæ eft a regione feptima juxta forum Trajani, Bafilicam tranftyberim regione 14., juxta Calliftum, Bafilicam in via Aurelia milliario tertio ad Calliftum.* Reftituta enim Ecclefiis a Conftantino pace, Chrifti Fides ubique fulgebat; atque turmatim Ethnici Chrifto nomen dabant; itaque mirum non eft, crefcente in dies Fidelium numero, & multiplicatas fuiffe hac ætate bafilicas. Sed de Julii Pontificis geftis fuo loco.

Julius Romanus Pontifex ordinatur.

2. Cum ultimos vitæ dies attingeret Conftantinus, pietatis operibus impenfius vacans, Pafcatis inftante fefto, *vota Deo perfolvens una cum ceteris Imperator pernoctavit*, ait Eufebius. Deinde *in ipfis falutiferæ feftivitatis diebus, difciplinæ, atque exercitationum vigorem intendens, cunctis animi, & corporis viribus collectis, Pontificis, atque hierophantæ munere fungebatur; et ipfe quidem cæteris omnibus præibat ad celebrationem. Sacram autem vigiliam in diurnum fplendorem converterat, accenfis tota Urbe cereorum quibufdam columnis per eos, quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accenfæ cuncta paffim loca illuftrabant; adeo ut hæc myftica vigilia, quovis vel fplendidiffimo die fplendidior redderetur. Simul vero ac dies illuxerat, Servatoris noftri beneficentiam imitari ftudens, uni-*

Conftantinus Feftum Pafchatis celebrat.
Eufeb. vita Conft. lib. 4. cap. 57. cap. 22.

Jesu Chr. an. 337. *universis gentibus, Provinciis, ac populis largam manum porrigebat, opulentissima donans omnibus munera*; ad quem ritum erogandi scilicet in Paschate pauperibus largas eleemosynas alludit Commodiani locus, quo clericos etiam ad id faciendum invitat his versibus:

Congruit in Pascha die felicissimo nostro
Lætentur & illi, qui postulant sumta diurna.
Erogetur eis, quod sufficit, vinum & esca.
Respicite fontem, quo memorentur ista pro vobis
Immodico sumptu deficitis. Christo donate:
Cum ipsi non facitis, quomodo suadere potestis?

Constantinus ægrotat. Euseb. vita Const. lib. 4. 53. cap. 61.

3. Cumque hactenus valetudinem, firmitatemqee corporis retinuisset Constantinus, tandem *principio quidem inæqualis corporis intemperies, post hæc morbus eum invasit. Itaque ad aquas calidas civitatis suæ progresus Helenopolim delatus est; ibique in templo Martyrum diu commoratus, supplicationes Deo obtulit*. Extremum itaque vitæ diem ubi sibi imminere cognovit, tempus tandem adesse existimavit, quo totius vitæ delicta salutari lavacro ablueret; *ac proinde humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso Martyrio; quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere*. Quibus verbis indicat, tunc primum, solemni manuum impositione Cathecumenorum numero fuisse adscriptum.

Constantinus in Nicomediæ Suburbio baptizatur.

4. Ingravescente deinde morbo, & ad vitæ finem properante ad suburbana Nicomediæ digressus, convocatis Episcopis hæc ad eos verba fecit: *Hoc erat tempus, quod jamdudum sperabam, cum incredibili cupiditate arderem, votisque omnibus desiderarem salutem in Deo consequi. Jam tempus est, ut signum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus, tempus est, ut salutaris Signaculi participes fiamus. Equidem olim statueram id agere in flumine Jordane, in quo Servator ipse, ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur. Sed Deus, qui optime novit ea, quæ nobis utilia sunt, hoc in loco nobis idipsum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. Nam si quidem Deus vitæ, mortisque arbiter, hic me diutius vitam agere voluerit, idque semel decretum est, ut inposterum una cum populo Dei permiscear, & in Ecclesiam adscitus*

scitus, cum reliquis omnibus orationum particeps fiam, eas vivendi leges mihi præscripturum me esse spondeo, quæ sint Deo dignæ. Hæc cum dixisset, ab Episcopis solemni cum pompa baptizatus est, & candidis, regiisque vestibus indutus, candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram amplius contingere voluit. Cumque Tribuni, ac Duces militarium copiarum ingressi, vicem suam dolerent, quod eos relinqueret, ac longiorem vitam eidem comprecarentur, respondit, se tunc veram vitam adeptum esse, seque unum optime nosse, quantorum bonorum particeps factus fuisset. *Singula deinde pro arbitrio suo disposuit. Ac Romanis quidem regiam Urbem incolentibus annua quædam munera legavit. Suis autem liberis Imperium, velut paternam hæreditatem reliquit, cuncta, prout ipsi videbatur, constituens.* Hactenus de Constantini Baptismo, ejusque gestis.

Eusebii fide vindicatur.

5. Hæc quidem ab Eusebio Arianorum gratia conficta, atque dolo malo composita fuisse recentiorum nonnulli, post Baronium tradiderunt. Ab omni tamen fallacia, mendaciique suspicione, in his, quæ de Constantini Baptismate narrat, Eusebium liberat Eruditorum hac nostra ætate consensus, cui non solum Athanasius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique Græcorum, sed & ex Latinis S. Ambrosius, Hieronymus, & Patres Arimini congregati suffragantur. De fide enim Nicæna, deque fidei definitione in ea vulgata agentes, Constantinum suscepto Baptismo in ea obiisse, tradunt: *Quod tenens baptizatus, ad quietem Dei commigravit*, inquiunt Patres in epistola ad Constantium. Tot vero Patrum tanta est auctoritas, ut nisi corrupta Athanasii lectio Baronium decepisset, ac pro Constantino Constantem legisset, victas vel ipse dedisset manus, & in Eusebii sententiam transiisset, ut ibidem testatur. Ambrosius vero de Constantini Baptismate hæc habet; *Cui licet Baptismi gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit; tamen, quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem Fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperiit.* Hieronymus etiam, ab Eusebio Nicomediensi in vitæ exitu eum baptizatum fuisse, addit: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi baptizatur.*

Socrat. lib. 1. 39. Sozom. lib. 2. 34. Theod. lib. 1. 32. Ambros. in Orat. Funeb. Theodosii Imperad. Hieron. in Chron. apud Athan. de Synod. tom 1. par. 2. p. 723. Bar. an. 324. n. 53. Hieron. Chr. p. tom. 8. oper.

De fide, in qua Constantinus obierit.

6. Non solum ab Eusebio Nicomediensi Constantinum baptizatum fuisse, tradit Hieronymus, sed in Arianum dogma declinasse addit: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianorum dogma decli-*

JESU CHR. AN. 337. — *clinat*. Quem etiam ab Arianis seductum fuisse scribit Severus. Itaque cum constet, Constantinum, dum viveret, non solum Arianis favisse, eorumque impulsu Athanasium Catholicæ Fidei præcipuum defensorem in exilium ejecisse, sed & Baptisma in vitæ exitu ab Ariano Episcopo (Eusebio scilicet Nicomediensi) suscepisse, hinc Arianum obiisse, nonnulli sunt suspicati; injuria tamen Arianismi labe tantum Imperatorem aspersum fuisse, adnotavit merito Annalium Parens, quem innumeris laudibus tota celebravit antiquitas. Athanasius præcipue, eum usque ad ultimum vitæ spiritum Nicænam tenuisse fidem, testatur: *& re cognita, Arium damnatum pro hæretico habuit*. His adde, quod dum viveret Constantinus, Eusebius Nicomediensis, aliique Arianæ perfidiæ patroni, Ecclesiasticæ communionis participes adhuc erant, unaque cum Catholicis Nicænam Fidem ore saltem profitebantur, seu, ut ait Sozomenus, licet Arii dogma *in multorum disputationibus defenderetur, nondum tamen in peculiarem sectam ex Auctoris nomine distinctum erat, sed cuncti simul collectas agebant, atque inter se communicabant*; & iterum: *Constantino superstite, Nicænam Fidem nemo aperte rejicere est ausus; sed eo mortuo, multi ab ea Fide recesserunt, ii scilicet, qui jam antea de ejus proditione suspecti erant*. Quidquid itaque contra Athanasium, aliosque Catholicæ Fidei defensores Constantius egit, Eusebianorum dolo magis, quam Constantino tribuendum est, ut idem Athanasius testatur; scimus præterea, ipsum Constantinum ante obitum sententiam suam retractasse, atque Athanasium aliosque, ut verosimile est, Catholicos Episcopos ab exilio revocasse. De Athanasio id testantur non solum Sozomenus, & Theodoretus; sed & Constantinus junior in sua ad Alexandrinos epistola, qua inter cætera ait: *Proinde, etsi dominus noster Constantinus Augustus pater meus, dilectissimæ pietati eumdem Episcopum restituere, ac in pristinum reducere locum decreverat &c.* Eam ob rem inter Sanctos Ecclesia Græca Constantinum Imperatorem recenset, quem etiam ob Fidei integritatem celebravit Chalcedonense Concilium; ejus autem fidem post Baronium singulari dissertatione natalis Alexander vindicavit.

Sever. Sulp. lib. 2. hist. — Baron. 336. 14. & n. 38. ad 44. — Athan. de Synodis epist. ad Monachos. — Sozom. lib. 2. 32. — Lib. 3. cap. 1. — Sozom. l. 3. 2. Theod. l. 1. 32. Apud Athan. Apol. p. 203. — Menolog. Basil. die 21. Mai. Nat. Alex. sæcul. 4. dissert. 24.

Constantini obitus. — Euseb. vita Const. lib. 4. 4. 64.

7 Fide Constantini vindicata, de ipsius funere dicendum superest. Igitur Festo Pentecostes die circa meridiem obiisse, tradunt Historici, anno ætatis suæ sexagesimo quinto: *Imperii quidem curriculum duobus ac triginta annis explevit, exceptis men-*

mensibus, & diebus paucis; vitæ vero spatium duplo fere longius fuit, ait Eusebius. Quæ tamen de Imperii annis tradit, alio modo sunt intelligenda, ut primus, & ultimus annus incompleti intelligantur; nam annos triginta, menses decem, eum imperasse constat, ab anno scilicet 306. ad labentem, usque ad diem vigesimam secundam Maii, ut Hieronymus in Chronico, Idacius in Fastis, aliique tradunt.

JESU CHR. AN. 337. *Socrat. Sozom. Theodor. Euseb. cap. 53. P. ad an. 337. Vales. not. ad Euseb. cap 53.*

8. Magnificentissimo funere elatum fuisse Constantinum, narrat Eusebius. Inter cetera milites sublatum corpus in arca aurea deposuerunt, eamque purpurea obtectam veste Constantinopolim deportarunt, atque in præcipuo Imperialis palatii cubiculo sublimem collocaverunt. *Dehinc aureis super candelabris luminibus undique accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebatur, & quale in nullo unquam mortalium ab ipso Orbis condita visum in terris fuerat. Quippe in medio conclavi regalis Palatii funus Imperatoris in arca aurea sublime jacens, regiis insignibus, purpura scilicet, ac diademate exornatum, multi circumdantes noctu, atque interdiu vigiles custodiebant*. Exercitus vero Duces, & Comites, & reliqui Judices, & Magistratus statis horis ingredientes Imperatorem post obitum, non aliter ac si adhuc in vivis esset, salutabant; quod & Senatores, & honorati omnes fecere. Innumerabilis etiam vulgi multitudo cum pueris, ac mulieribus ad hujus rei spectaculum accessit, usque dum Imperatoris filii advenientes, ipsi paternum funus prosequerentur.

Constantini funera.

9. Romæ etiam, *Senatus, Populusque Romanus, comperta Imperatoris morte, gravissimum hunc nuncium, & quavis calamitate acerbiorem rati, nullum luctui modum fecere. Quippe Balnea, & Fora rerum venalium clausa; publica item spectacula, & quæcumque alia vitæ oblectamenta homines in otio degentes consectari solent, remota, et qui prius deliciis diffluxerant, mœsti tunc per vias incedebant. Omnes Imperatorem beatum Deo, carum, & prorsus Imperio dignissimum prædicabant. Neque hæc voce tantum nuda declarabant, sed imaginibus dedicatis, mortuum perinde, ac superstitem honorabant. In quibus cum Cœli similitudinem expressissent in tabula, ipsum supra cœlestes fornices in æthereo domicilio requiescentem pinxere. Quin etiam ipsi liberos ejus Imperatores, atque Augustos solos sine cujuspiam alterius consortio nuncupabant; magnisque clamoribus postulabant, ut Imperatoris sui funus apud se haberent, & in regia*

Honores Constantino Romæ delati. *Euseb. cap. 65. 66.*

JESU CHR. AN. 337. *Urbe deponerent.* De Romanorum desiderio, ut in Urbe sepeliretur Constantinus, consentit Eusebio Aurelius Victor his verbis: *Funus relatum in Urbem sui nominis, quod sane Populus Romanus ægerrime tulit, quippe cujus armis, ac legibus clementi Imperio quasi novatam Urbem arbitraretur.* Constantini funus Constantius duxit, præeuntibus exequias tum militibus per agmina dispositis, cum innumerabili hominum multitudine. Hastati vero, & Scutarii Imperatoris corpus medii cingentes, ad Apostolorum ecclesiam comitati sunt.

Oblationes, & preces pro defuncti anima oblatæ. Cap. 71.

10. De precibus vero, & oblationibus pro ejusdem requie Deo oblatis, hæc idem subdit: *Ubi vero ille cum militaribus numeris abscessit, Ministri Dei cum turbis, & tota Fidelium plebe in medium prodiere, & divini cultus cæremonias precationibus peregerunt. Ac beatus quidem Princeps alto in suggestu jacens laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus una cum sacerdotibus Dei, non sine gemitu, ac lacrymis pro Imperatoris anima preces offerebant Deo, gratissimum pio Principi officium exhibentes. Porro in hoc etiam Deus prolixam erga famulum suum benevolentiam declaravit; quippe qui carissimis, ac germanis ejus filiis paterni Imperii successionem tribuerit; & quod maxime ambierat, locum juxta Apostolorum Memoriam ei concesserit, ut scilicet beatissimæ illius animæ tabernaculum Apostolici nominis atque honoris consortio frueretur, & Populo Dei in ecclesia sociaretur, divinisque cæremoniis, ac mystico Sacrificio, & sanctarum precum communione potiri mereretur.* Hæc de Constantini funere, & sepultura Eusebius, quibus libris suis de ejusdem Vita finem facit.

Philostorgii mendacia redarguuntur. Philost.l.2.16.

11. Veneno Constantinum periisse tradit Philostorgius. *Cum trigesimum, ac secundum Imperii annum ingressus esset, veneno a fratribus suis necatur Nicomediæ; cumque exitus vitæ instaret, compertis insidiis testamentum fecit, quo mandabat, ut in auctores cædis animadverteretur, jussitque ut ex liberis suis, is qui primus advenisset, pœnas de illis sumeret.* Hæc mendacissimus Scriptor, ut aliquatenus Constantii crudelitatem tegeret, qua post Constantini mortem in patruos, & consobrinos, aliosque cognatos sœviit, ut anno sequenti videbimus; & sane a Photio notatum est: *Philostorgii opus non tam historia esse videtur, quam hæreticorum laudatio*, Arianorum scilicet; *cum nuda, & mera vituperatione, atque accusatione Catholicorum.*

Phot Biblioth. Cod. 40.

12. Ju-

12. Justis funeribus Constantino persolutis, *nuncupati sunt tres Augusti, Constantinus, Constantius, & Constans quinto idus Septembris*, ait Idacius; quos quidem Imperii hæredes fecerat, diviso inter eos, dum adhuc viveret, Imperio, ut supra ex Eusebio adnotavimus. Eusebio Nicomediensi testamentum suum Constantinus moriens tradiderat, si Philostorgio fides, aut Ariano presbytero, ut Ruffinus, Socrates, & Sozomenus testantur. Hunc presbyterum Constantia soror Constantini moriens eidem commendaverat, cui Constantinus mandavit, *ne testamentum suum cuiquam alii quam Constantio, quem Orienti præfecerat, in manus traderet*; eaque de causa cum in Constantii familiaritatem pervenisset, eidem auctor fuit, ut, abdicata Nicæna fide, in Arianorum sententiam transiret, non sine maximo Ecclesiæ damno.

JESU CHR. AN. 337. Constantini filii patri succedunt. *Eseb. l. 4. 51. Ruffin. l. 1. 11. Socrat. l. 1. 39. Sozom. l. 2. 34*

13. De Constantini gestis non una est veterum Scriptorum opinio; quin eorum plurimi inter se mirifice diffident; nam nonnulli ejus virtutes eousque extulerunt, ut & Sanctorum catalogo adscripserint; Ethnici vero apotheosi etiam donaverint, ut apud Mediobarbum videre est. Ethnicorum alii econtra, ob repudiatum Idolorum cultum, & ob eversum Idololatriæ principatum, nil nisi vituperatione dignum egisse, & Reipublicæ tyrannum magis, quam Imperatorem fuisse scribunt: inter eos præcipue Julianus Imperator, & Zosimus numerantur. Hic non alio fine Constantini vitam scripsit, nisi ut ejusdem famæ detraheret, cujus mendacia Evagrius, aliique Scriptores confutarunt. Ex his autem, quæ in ejus vita refert Eusebius satis constat, eum inter egregios Principes esse adscribendum, ac Magni cognomen sibi merito vindicasse, cum non solum pietate in Deum, sed & bellica virtute, & continentia, & patientia, & in pauperes liberalitate, aliisque animi dotibus præfulserit. Si quid vero reprehensione dignum egit, humanæ fragilitati tribuendum est; cujusmodi sunt ea, quæ in filium Crispum gessit, dum innoxium morti addixit, aut cum, Eusebianis, & Arianis plus æquo favens, viros Sanctos exilio damnavit, & in Ecclesiam tot turbas excitavit. In quam rem Eusebius, nimia ejusdem credulitate, ad avaritiam explendam, multos abusos fuisse adnotavit. In Donatistas etiam indulgentior fortasse fuit, cum post Episcopale judicium eorum causam retractavit; aut cum, cognita ipsorum perfidia, mitius tamen cum iisdem egit: sed hujus culpæ, teste Augustino, Episcopis po-

Constantini elogium. *Evarg. lib. 3. cap. 40. 41. EusEb. Const. vita lib. 4. 54. August. epist. 43. num. 20.*

JESU CHR. AN. 337. ſtea veniam petiit; eo præcipue tempore, quo jam morti proximus ſalutari Lavacro regeneratus, novum hominem induit, novaque ſtola ornatus, ſeſe divino judicio ſiſtitit.

Qua ratione Conſtantius Arianum dogma ſuſceperit. Socrat. l. 2. 2.

14. Mortuo Imperatore Conſtantino, ait Socrates: *Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicænus, opportunum ſe tempus nactos eſſe arbitrati, omni ſtudio in id incubuerunt, ut Conſubſtantialis fidem exturbarent, ejuſque loco opinionem Arii introducerent*. Ad id porro exequendum uſi ſunt opera Preſbyteri ejuſdem, cujus hortatu paulo ante Conſtantinus Arium ab exilio revocaverat; qui cum a moriente Auguſto teſtamentum Conſtantio tradendum accepiſſet, eaque ratione Conſtantii gratiam ſibi promeruiſſet, ea abutens, Euſebio præpoſito Eunuchorum, ut Arii opinionem ampleäeretur, perſuaſit. Quo factum eſt, ut cæteri etiam Eunuchi in eamdem ſententiam adducerentur. Quin ipſa Imperatoris uxor una cum ſpadonum caterva Arii partibus ſeſe adjunxerit; nec multo poſt eadem quæſtio palatium urbemque regiam pervaſit. *Et in palatio quidem cubicularii una cum mulierculis de hoc dogmate diſputabant; in Urbe vero per ſingulas prope domos bellum quoddam dialecticum gerebatur. Porro hujus mali lubes alias quoque urbes, ac provincias brevi corripuit. Atque inſtar ſcintillæ, ex parvis orta principiis controverſia, audientium animos ad maximam contentionem excitabat*. Hactenus de his Socrates, de quibus infra plura videbimus.

De viris illuſtribus doctrina, qui ſub Conſtantino floruerunt.

15. Conſtantini Imperium viri tum pietate, cum doctrina illuſtres nobilitarunt; & ut Ethnicos prætereamus, Spartianum, Lampridium, Capitolinum, Eumenem, Nazarium; inter Chriſtianos, præter Arnobium, Lactantium, Euſebium Cæſarienſem, alioſque, de quibus jam egimus, hac ætate floruerunt, Commodianus, & Juvencus poetæ Chriſtiani, & Julius Maternus Firmicus, qui opuſculum Conſtantio, & Conſtanti de errore profanarum Religionum dicavit; eoque, anno circiter 350. edito, non ſolum Idololatriæ originem detexit, impietatem deteſtatus eſt, ac Chriſtianam Religionem ad ſalutem hominibus neceſſariam eſſe oſtendit; ſed & Conſtantium, & Conſtantem ad extirpandam funditus Idololatriam multis argumentis excitavit. *Amputanda ſunt hæc, ſacratiſſimi Imperatores, penitus atque delenda, & ſeveriſſimis edictorum veſtrorum legibus corrigenda, ne diutius Romanum Orbem præſumptionis iſtius error funeſtus commaculet, ne peſtiferæ conſuetudinis convaleſcat*

Caveus de Script. Eccl. Tom. 1. p. 204.

Firmicus Imperatores excitat ad Idololatriæ everſionem.

ſtat improbitas: quicquid hominem Dei conatur perdere, ne diutius in terra dominetur. Nolunt quidam, & repugnant, & exitium ſuum prona cupiditate deſiderant, ſed ſubvenite miſeris, liberate pereuntes. Ad hoc vobis Deus ſummus commiſit Imperium, ut per vos vulneris iſtius plaga curetur. Facinoris eorum periculum ſcimus, erroris notæ ſunt pœnæ; ſed melius eſt, ut liberetis invitos, quam ut volentibus concedatis exitium &c. Hactenus Firmicus, ea potiſſimum ratione hæc inculcans, quod poſt Conſtantini obitum, Ethnicorum plurimi ex nobilioribus præſertim, pro antiquo Deorum cultu inſtaurando, totis viribus certarent. Unde Conſtantium, & Conſtantem iterum his interpellat verbis: *Vos nunc Conſtantius, & Conſtans ſacratiſſimi Imperatores appello, nunc venerandæ Fidei veſtræ imploranda virtus eſt. . . . ut legibus veſtris funditus proſtratus Diabolus jaceat, ut extinctæ Idolatriæ pereat funeſta contagio.* Et poſt aliqua: *Tollite ſecuri ſacratiſſimi Imperatores, ornamenta templorum; Deos iſtos, aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria univerſa ad utilitatem veſtram, dominiumque transferte. Poſt excidia templorum in majus Dei eſtis virtute provecti. Viciſtis hoſtes, propagaſtis Imperium; & ut virtutibus veſtris gloria major accederet, mutato, ac contempto templorum ordine, hieme (quod nec factum eſt aliquando, nec fiet) tumentes, ac ſævientes undas Oceani, ſub remis veſtris incogniti jam nobis pene maris unda contremuit, & inſperatam Imperatoris faciem Britannus expavit. Quid amplius vultis? Virtutibus veſtris victa elementa ceſſerunt. Quod autem Deus jubeat idola non fieri, ſacroſanctæ legis ſcripta declarant.* Hæc aliaque plurima in eamdem rem Julius Firmicus Maternus, quem Mediolanenſem Epiſcopum fuiſſe, tradit Baronius, atque unum ex centum ſexdecim Epiſcopis, quos Romanæ ſynodo hoc anno interfuiſſe ſcribit. At ſicuti fictitia eſt ſynodus a Julio Pontifice hoc anno habita, ut a viris doctis adnotatum eſt; ita & epiſcopatus Julii Materni Firmici fictitius haberi poteſt.

Baron. num. 69 74.
Pag. Vid. Bacchini diſſert. prima in Agnellum.
Franciſcus de Rubeis monumenta hiſt. Aquilei.

De Commodiano, qua ætate vixerit.

16. Conſtantini etiam ætate Commodianum Romæ floruiſſe ſub Pontificatu ſancti Silveſtri, cujus in ſcriptis ſuis meminit, communi eruditorum opinione fertur, ejus vero opus tribus libris, ſeu capitibus diſtinctum Rigaltius primum edidit; ac inter quarti ſæculi ſcriptores recenſuit. Antiquiorem tamen ac Cypriano vel æqualem vel ſupparem fuiſſe Dodvellus cenſuit; quare Caveus, cum in prima commentarii ſui de Scriptoribus eccle-

Jesu Chr. An. 317. ecclesiasticis editione, inter quarti sæculi scriptores Commodianum recensuisset, in altera Oxoniensi editione Doduelli conjecturis motus in eamdem cum ipso sententiam abiit. In re obscura nil certi statui potest, parumque interest si tertio desinente sæculo, vel quarto ineunte floruerit Commodianus, quem ex Idolorum cultu ad Christianam Religionem transiisse, ipse testatur:

Ego similiter erravi tempore multo
Fana prosequendo.

Commodiani mentionem fecere Gelasius Papa, & Gennadius, atque inter apocrypha opuscula Gelasius ejus opus numeravit; nec immerito, nam Millenariorum erroribus, & deliriis aspersum est, ut hoc uno versiculo constat, *& generant ipsi per annos mille nubentes*. Multa tamen scitu digna, & ad pietatem excitandam apta eo opusculo habentur, etsi stylo asperiori scripta, quæ Africanum auctorem indicant. De ipso plura apud Caveum, Dupinium, aliosque Scriptorum ecclesiasticorum tractatores videri possunt.

Cave pag. 136 Odin. Tom. 1. pag. 319. Dupin Tom. 1 pag. 625.

De Juvenco poeta. *Hier. de Vir. illustr. cap. 84*

17. Commodiano celebrior ea ætate fuit Juvencus poeta non ignobilis, de quo Hieronymus: *Juvencus nobilissimi generis Hispanus Presbyter, quatuor Evangelia hexametris versibus pene ad verbum transferens, quatuor libros composuit, & nonnulla eodem metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia; floruit sub Constantino Principe*. Idemque suis versibus ipse testatur, dum in Operis conclusione addit:

Pax hæc mihi Secli
Quam fovet indulgens Terræ regnator apertæ,
Constantinus adest, cui gratia digna merenti
Qui solus Regum sacri sibi nominis horret.
Imponi pondus.

Constantinus Imperator inter Scriptores Ecclesiasticos numeratur. *Caveus p. 183. Dupin sæc. 4. Tom. 1 pag. 73.*

18. Tandem hujus ævi Scriptoribus Constantinum ipsum accensemus, cujus ut epistolas pro Ecclesiæ pace scriptas, edicta, leges pro ejusdem libertate datas prætereamus, quarum catalogum Dupinius exhibet, extat Oratio ad Sanctorum cœtum, inter Eusebii opera.

De Rheticio Episcopo Augustodunensi.

19. Constantini etiam ætate floruit Rheticius Augustodunen-

nensis Episcopus, qui Romanæ, & Arelatensi synodis in Donatistarum causa habitis interfuit, de cujus eruditione hæc memoriæ prodidit Hieronymus: *Rheticius Heduorum, ideſt Augustodunensis Episcopus sub Constantino celeberrimæ famæ habitus est in Galliis, leguntur ejus Commentaria in Cantica Canticorum, & aliud grande volumen adversus Novatianum, nec præter hæc quidquam ejus operum reperi*. In epistola tamen ad Marcellam Rheticii Commentarium in Cantica nullius fere pretii habet idem Hieronymus, ac multa emendatione digna adnotat.

Jesu Chr. an. 338.

Hieronym. de vir. Illust. cap. 82.

Hier. ad Marcel. Epist. 133

JESU CHRISTI An. 338. Julii Papæ 2.
Constantini)
Constantii) Imp. 2.
Constantis)
Coss. Urso, et Polemio.
Olymp. 279. an. 2. Urbis an. 1091.

1. Ut paternum inter se partirentur Imperium, in Pannonia hoc anno in unum convenere tres Constantini filii, Constantinus scilicet, Constantius, & Constans, ac ut narrat Zosimus: *Constantinus natu maximus, cum minimo natu Constante, omnia trans Alpes sita, & Italiam, & Illiricum sortitus est; præterea Ponto Euxino finitima, & Africæ quidquid ad Carthaginem pertinet. Constantio datum est, quidquid esset in Asia, & Oriente, & Ægypto*: ideſt Constantino fratrum maximo cessit Gallia, Britannia, Hispania, & pars Africæ; Constanti natu minimo reliqua pars Africæ, Italia, Illyricum, Græcia, Macedonia, & Pontus; Constantius Thraciam, Asiam, Orientem, Ægyptum obtinuit.

De Imperii divisione inter Constantini filios. *Sozom. lib. 2.*

2. Imperio diviso, aut etiam antequam partitio fieret, hoc etenim ignoratur, Constantius Imperii sui initia crudelitate fœdavit; dum cognatos, & propinquos, illustrioresque Imperii viros necandos militibus tradidit: *Exorsus ab ipso lare*, ait Zozimus, *Constantius cognati sanguinis effusione virilem omnibus animum probare voluit*. Ac Constantium patruum a militibus interfici curavit. Deinde Dalmatio Cæsari similes insidias struxit, Optato quoque cum hoc interfici jusso, qui Patricii dignitatem adeptus a Constantino fuerat. Ablavius vero Præfectus Prætorio eamdem sententiam subiit. Iis tandem Annibalianum adjecit, cum milites subornasset, ut clamarent alterius nemini impe-

Constantius in cognatos sævit.

JESU CHR. AN. 338. imperium se ferre posse, quam Constantini filiorum. Hanc Constantii crudelitatem Athanasius commemorat his verbis: *Quid mirum si devius in impietatem adductus, ita in Episcopos saeviat; cum ne cognatis quidem suis pro more hominum pepercerit. Patruos enim occidit, patrueles sustulit, socerumque, cujus jam filiam duxerat; cognatos item suos afflictos minime miseratus est: sed etiam erga omnes semper perjurus fuit.*

Athan. epist. ad Monachos Tom. 1. p. 385.

Gallus, & Julianus periculo liberati

3. In ea propinquorum strage a Constantio facta, Gallus, & Julianus Constantii Constantini fratris filii vix salvi evaserunt; quorum alterum idest Gallum infirma valetudo, Julianum vero pueritis aetas periculo liberavit: *Gallum quidem periculo exemit morbus*, ait Sozomenus, *quo tum laborabat, & quo propediem moriturus putabatur; Julianum vero aetas tenera, octavum enim aetatis annum nondum exegerat; ita praeter omnium spem, atque opinionem servati in Cappadocia degere jussi sunt in Macello*, idest in Villa publica ad Argeum montem sita, *haud procul ab urbe Caesarea*, ubi ambo educati sunt, ut ibidem narrat Sozomenus. Sed de Galli, & Juliani educatione, & studiis alibi. Hanc tamen Constantini fratrum, & nepotum stragem militari tumultu potius, quam Constantii jussu factam fuisse tradit Nazianzenus, ubi & Julianum reprehendit, eo quod ex Constantii clementia servatus, in eumdem postea ingratus, & perduellis fuerit. At Constantii jussu, vel eo saltem impellente, & consentiente a militibus haec patrata fuisse, Zosimi, & Athanasii auctoritate constat.

Sozom. l. 5. 2.

Greg. Nazian orat. 1 in Julianum.

Athanasius Alexandriam rediit.

4. *Cum Athanasius per biennium, & menses quatuor, Treviris moratus esset, Alexandriam reversus est*, inquit Theodoretus; quo redeunte, Constantinus junior, qui in Galliis Imperium regebat, ad Ecclesiam Alexandrinam epistolas dedit, quas Theodoretus, Socrates, & Sozomenus recitant, easque Athanasius Apologiae suae, & epistolae ad Monachos inseruit; iisque patet, non solum Athanasium, sed & caeteros Episcopos, tribus Augustis consentientibus, suis sedibus restitutos fuisse. *Hoc cum adverterent tres fratres Constantinus, Constantius, & Constans* (idest Arianorum insidias in Sanctos viros) *post obitum patris sui, omnes in patriam, & Ecclesiam suam reverti jusserunt, qui de aliis Episcopis ad singulorum Ecclesias rescripsere. De Athanasio autem ista, quae & vim hoc in negotio allatam comprobant, & Eusebianorum sanguinarium animum arguunt.*

Theod. hist. lib. 2. cap. 1. & 2.
Socrat. l. 2. 3.
Sozom. l. 3. 2.
Athan. ad Monachos tom. 1. pag. 349.

5. Con-

5. Constantini autem epistola multa in Athanasii laudem continet, quem in Gallias missum fuisse, ait, ut hostium suorum immanitati, idest Arianorum, feritatique subduceretur, quem etiam *dominus noster Constantinus Augustus pater meus vestræ dilectissimæ pietati eumdem restituere, ac in pristinum locum decreverat; quia tamen humana sorte præoccupatus, antequam votum implesset suum, ex hac vita migravit, consentaneum mihi existimavi divæ memoriæ Imperatoris propositum hæreditate acceptum exequi &c.* Data autem est decimo quinto Kal. Julias. Annuente Constantio Alexandriam rediisse Athanasium, inde constat, quod Ægyptus ad Constantii imperium pertinebat, atque eum Viminacii tunc convenisse scimus; ter quippe se Constantium vidisse narrat, ac primo, *cum me vultum tuum subire dignatus es primo Viminacii, secundo Cæsareæ Cappadociæ, tertio Antiochiæ.*

JESU CHR. AN. 338. Constantini epist. ad Alexandrinam Ecclesiam de Athanasii reditu. Apol. contra Arian. Tom. I pag. 203.

Athan. Apol. ad Constant. Tom. I. p. 298.

6. Cum itaque Alexandriam rediisset Athanasius, *populus quidem libentissime excepit*, ait Socrates. *Omnes urbani, & rustici, primores, ac plebeji cupide excepere*, subdit Theodoritus. Sed & Alexandrina synodus Arianorum calumnias refutans, de reditu Athanasii hæc ad rem adnotat: *Nam quæ olim Ariani mentiti sunt, præsenti eorum mendacio sunt consimilia, quo dicunt ad ejus ingressum seditiones, luctus, & lamentationes, populis ejus receptionem ægre ferentibus, extitisse. Nihil enim contigit ejusmodi; sed econtra gaudium, lætitia, & concursus populorum ejus videndi desiderio festinantium. Ecclesiæ lætitia plenæ, ac ubique gratiarum actiones ad Dominum referebantur. Ministri autem, & Clerici omnes ita eum videre, ut animis oblectarentur, ac diem illam omnium suarum lætissimam existimarent. Nostrorum autem Episcoporum ineffabile gaudium, quid opus est describere, cum superius diximus, nos omnes ejus calamitates perpessos existimasse?* Hæc Ægyptii Episcopi Alexandriæ congregati in Synodica epistola ad universos Episcopos; qui de Athanasii exilio, & reditu hæc etiam addunt: *Nam commune omnium nostrum Episcoporum plane fuit exilium, nosque universos quasi exules reputavimus, & nunc nos cum Athanasio, quasi patriæ restitutos arbitramus, ac loco priorum lacrymarum, gemituumque, quibus eum prosequebamur, magnam animi lætitiam, gratiamque accepimus, quam Dominus conservabit, nec sinet eam ab Eusebianis everti.* Hactenus de Athanasii reditu, quem etsi anno elapso rediisse

Quanta lætitia exceptus sit Athanasius. Socrat. l. 2. 3. Theod. l. 2. 2. Athan. Apol. pag. 130.

Jesu Chr. An. 338. Valef. obfer. in Socrat. Schelestrat. differt. 1. cap. 2 de Concilio Antioch. Athan. vita pag. 30. Pag. ad an. 338.

Valefius fcribat, labenti tamen id contigiffe, dubitari vix poteft, ut pluribus eruditi viri demonftrarunt. Athanafii quidem reditum ægre tulere *quoquot Arianæ dementiæ Sectatores erant*, fubdit Theodoretus: *itaque confuetas iterum machinas adverfus eum commoverunt Eufebius, & Teognius, & quicumque eorum partibus adhærebant, rurfufque Imperatoris adhuc juvenis aures obtundunt*; quorum calumniæ qualem exitum habuerint, inferius videbimus.

Nifibim obfidet Sapor Rex Perfarum. Hier. Chron. pag. Tom. 9. oper. Hier. Theod. Philot. in Jacob. Nifibeno.

7. Conftantino e vivis erepto, qui Perfis hactenus terrori fuerat, Sapor Perfarum Rex Romanum invafit Imperium, ac Nifibin obfedit. At fruftra, nam confumptis tribus & fexaginta diebus, *defperata occupatione refedit*, ajunt auctor Chronici Alexandrini, & Hieronymus in Chronico ad annum primum Conftantini, Conftantii, & Conftantis. De tempore belli Perfici hæc etiam Theodoretus habet: *Mortuo Conftantino, illius filii fuere hæredes Imperii Orbis Terræ*; *tum Sapores Rex Perfarum, contemptis filiis, ut quorum potentia non effet patriæ æqualis, bellum movet adverfus Nifibim, magnis & equitum, & peditum copiis, duxit autem Elephantos quamplurimos &c.* Hæc de tempore obfidionis Nifibenæ. Quem autem exitum hæc habuerint, & quomodo orationibus Jacobi Nifibeni Epifcopi; magis quam Romanorum armis fugatus fit Sapor, idem Theodoretus in hiftoria pluribus profequitur.

Nifibis Jacobi Epifcopi orationibus a Perfarum vaftatione liberata. Theod. l. 2. 30 Philoftorg. l. 3. 23.

8. Cum itaque Nifibim obfideret Perfarum Rex Sapor, ac feptuaginta jam dies in obfidione confumpfiffet, multafque teftudines muris admoviffet, aliafque circumquaque machinas conftruxifset, vallum denique, ac foffas duxiffet, urbem tamen capere non poterat. Quare Perfæ aquis fluvii, qui mediam urbem interfluit (is vulgo Mygdonius vocatur) longe fupra urbem retentis, & ripis utrinque exaggeratis, & in maximam altitudinem fublatis, poftquam immenfam aquarum copiam viderunt, adeo ut fupra aggerem exundaret, repente eam in muros velut arietem immiferunt. Cujus impetus violentiam cum murus fuftinere non potuiffet, inclinatus corruit. Quibus vifis, Sapor jam fperabat fe citra pugnam urbe effe potiturum, ac die quidem illo quievit, ut limus ficcaretur, utque fluvius vado tranfiri poffet. Poftera autem die omnibus copiis urbem aggreffus, cum per fubverfas murorum partes intraturum fe in urbem fperaret, murum utrinque inftauratum, ac fruftra fe tantum laborem fufcepiffe vidit. Nam Jacobus Nifibi Epifcopus, cum

eum precationis suæ virtute militum, ac reliquorum civium animos roborasset, & murum ædificavit, & impositis ei machinis irruentes hostes repulit. Saporem vero non sola substructionis celeritas obstupefecit, sed aliud quoque visum exterruit. Vidit enim stantem in muro quemdam imperiali cultu, ornatum purpura, ac diademate fulgentem; cumque Imperatorem Romanorum eum esse conjiceret, mortem minatus est iis, qui procul abesse illum nuntiaverant. Illis contra affirmantibus vera esse, quæ dixissent, & Constantium Antiochiæ morari asserentibus, intellexit tandem, Deum pro Romanis pugnare. Cumque eo tempore Nisibi moraretur admirandus Ephrem, apud Syros præstantissimus Scriptor, Jacobum rogavit, ut in murum conscendens Barbaros adspiceret, & imprecationis in eos tela immitteret. Cui obsecutus admirabilis ille vir, in quandam turrim conscendit, visaque innumerabili hominum multitudine, nullum aliud malum iis imprecatus est; sed oravit tantum, ut cinifes, & culices in eos immitterentur. Orationem Jacobi nubes cinifum, & culicum protinus excepere; & elephantorum quidem proboscides instar tuborum cavas, equorum vero & reliquorum jumentorum aures simul, ac nares compleverunt. Qui cum hujusmodi animalculorum impetum sustinere non possent, abruptis loris, sessores suos excutere cæperunt, & ordines conturbare, relictoque exercitu totis viribus conciti in fugam se dederunt. Ita Rex Persarum Christianorum Deum sibi adversari prospiciens, inde recessit ignominiam ex ea obsidione referens, ut Theodoretus, & Hieronymus narrant.

9. Jacobum Nisibenum Constantio imperante obiisse tradit Gennadius; quo autem Constantii anno vivere desierit in incerto est. Græci tamen & Syri scriptores labenti anno defunctum scribunt; ita Dionysius Jacobitarum Patriarcha in Chronico his verbis: *Anno* (Græcorum) *649*. Christi *338*. *decessit Constantinus Magnus, diviso inter ipsius filios imperio; eodem anno S. Jacobus Nisibi Episcopus ex hoc sæculo migravit.* Idemque de Jacobi obitu adnotavit Auctor Chronici Edesseni his verbis: *Anno Græcorum 649*. obiit S. Jacobus Nisibi Episcopus, cujus memoria die 15. Julii in Martyrologio Romano celebratur; in Menologio Græcorum die 31. Octobris; in Sinaxario Maronitarum 13. Januarii, in Coptorum Sinaxario die 18. Tybi. In Nisibena Sede successorem habit Vologesum, cujus mentio est in Chronico Alexandrino, & Edesseno ad annum Græcorum 672;

Jacobi obitus

Nicolaus Antonellus in vita Jacobi p. 29 ejus oper. præfixa.

Tillem. tom. 8.

Dupin. seculi 4. Tom. 1.

Odin. de Scrip. Eccl. tom. 1.

Asseman. Bibl. Orient. T. 1

Jesu Chr. An. 338.

Christi vero 361. De Jacobi Nisibeni Episcopi obitu, & sepultura hæc Gennadius scribit: *Moritur hic vir Constantii temporibus; juxta præceptum patris ejus Constantini, intra muros urbis Nisibenæ sepelitur, ob custodiam videlicet civitatis; quod secundum Constantini fidem evenit. Nam post multos annos ingressus Julianus urbem, ut vel gloriæ sepulti invidens, vel fidei Constantini, cujus ob id domum persequebatur, jussit efferri de civitate sancti corporis reliquias; & post paucos menses, consulendi scilicet Reipublicæ causa, Jovianus Imperator, qui Juliano successerat, tradidit Barbaris civitatem, quæ usque hodie Persarum ditioni cum finibus suis subjecta servit*. Hæc tamen Gennadii narratio de translatione reliquiarum S. Jacobi Nisibeni, cum Theodoreto vix conciliari potest; dum narrat, a Fidelibus sponte translatas fuisse, cum Nisibis Sapori tradita est a Joviano, ut suo loco adnotabimus.

Gennad. de Vir. Illust. c. 1. Theod. in Philoth. cap. 1.

De Jacobi scriptis.

10. Nec solum pietate, & miraculis Jacobum floruisse tradunt Scriptores, sed & eruditione, & doctrina; & licet de ejusdem Scriptis ne verbum habeat Hieronymus in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis Commentario, sileant quoque Theodretus, aliique Græci Scriptores, qui de eo loquuti sunt, plurima tamen opuscula scripsisse alii tradunt, quorum catalogum his verbis Gennadius exhibet, rationem quoque reddens, cur eum Hieronymus ignoraverit: *Facile excusabitur* (Hieronymus) *si consideremus, quod ipsos tres, vel quatuor Syros, quos posuit, in græcum versos se legisse testetur. Unde constat, eum illo tempore ignorasse Syram linguam, vel litteras; & ideo hunc, qui necdum versus est in aliam linguam, nescisse Scriptorem. Comprehendit autem omne opus suum in viginti sex libris. De Fide; contra omnes Hæreses; de Charitate generali; de Dilectione erga proximum speciali; de Jejunio; de Oratione; de Resurrectione; de Vita post mortem; de Humilitate; de Patientia; de Pœnitentia; de Satisfactione; de Virginitate; de sensu Animæ; de Circumcisione; de Acino benedicto, pro quo in Isaia legitur: Non est exterminandus botrus; de Christo, quod Filius Dei sit, & Consubstantialis Patri; de Castitate adversus Gentes; de Constructione Tabernaculi, de Gentium Conversione; de Regno Persarum; de Persecutione Christianorum. Composuit & Chronicon minoris quidem, quam Græcorum curiositatis, sed majoris fiduciæ; quia divinarum Scripturarum tanta auctoritate conscriptum, comprimit ora eorum, qui præsumptuosa suspicione*

cione de adventu Christi Domini nostri inaniter philosophantur. Haec Gennadius, cui caeteri eruditi subscribunt, Bellarminus, Labbeus, Tillemontius, Natalis Alexander, Dupin, Caveus, Oudin, &c. At an Jacobo Nisibeno ea adscribenda sint opuscula, dubitat Assemanus, tum ob Hieronymi, & Theodoriti, caeterorumque sive Graecorum, sive Syrorum Scriptorum silentium; unde eorumdem Scriptorum auctoritate eadem opuscula, alio Jacobo, idest Saraugunensi, qui Gennadii aetate floruit, ad finem saeculi quinti adscribenda esse comprobat; cui quoque inscribenda sunt alia opuscula a Gennadio praetermissa, & a scriptoribus aliquot Jacobo Nisibeno adscripta, ut Lyturgia, Collectio Arabica Canonum Nicaenorum, aliaque hujuscemodi. Contra Nicolaus Antonellius eruditione non minus quam purpura clarus, in praefatione, quam iisdem opusculis ab se primum Romae editis praemisit, pluribus eisque probabilibus conjecturis, Jacobo Nisibeno adserere nititur sermones ipsi a Gennadio tributos. Nos utpote Syriacae linguae prorsus ignari, ab hujusmodi controversia satius ducimus abstinere, de qua suum cuique liberum judicium relinquimus. De Jacobi Nisibeni vita & miraculis plura habet Theodoretus in sua historia religiosa, pluraque adhuc narrantur ab Armenis Scriptoribus, quorum omnium testimonia summa diligentia ibidem exhibet Antonellius.

JESU CHR. AN. 338.

Asseman. Biblioth. Orient. Tom. 1. p. 19.

Nicolaus Antonellius praef. in oper. S. Jacobi Nissibeni.

JESU CHRISTI AN. 339. JULII PAPAE 3.
CONSTANTINI)
CONSTANTII) IMP. 3.
CONSTANTIS)
COSS. CONSTANTIO, ET CONSTANTE AUG.
OLYMP. 270. AN. 3. URBIS AN. 1092.

1. Athanasii, aliorumque Episcoporum in suas Ecclesias reditus, iram, furoremque Arianorum ita excitavit, ut novas ea de causa turbas excitarent. In Athanasium vero quotquot Alexandriae erant, ait Socrates, *societate inita adversus eum conspirabant; unde crebrae exortae sunt seditiones, quae ansam praebuerunt Eusebianis, ut illum apud Imperatorem accusarent, quod sine decreto communis Episcoporum Concilii, suopte nutu, atque arbitrio Alexandrinam Ecclesiam occupasset, tantumque criminationibus suis perfecere, ut ira percitus Imperator Alexan-*

Arianorum calumniae in Athanasium.

Lib. 2. cap. 5.

JESU CHR. AN. 339.

xandria illum expulerit. Tria itaque Athanasio crimina objecta sunt; quod absque Synodi decreto Alexandriam redierit; secundo, quod seditiones in populo excitaverit, cujus causa verberibus aliqui affecti fuerint, alii in judicium adducti, alii demum occubuerint; tertio tandem, quod frumentum populo, & pauperibus destinatum, in suos usus consumpsisset, uti est ab Episcopis Ægyptiis, sequenti anno Alexandriæ congregatis memoriæ proditum: *Tot cædium, homicidiorumque eum accusarunt, non apud Præsidem, nec apud aliquem illo superiorem, sed apud tres Augustos. Nec illos deterruere viarum longitudines, eo solum ut omnia majora tribunalia criminationibus suis implerent*. Athanasius vero in epistola ad Monachos: *Cum*, inquit, *adverterent Eusebiani, frangi hæresis suæ vires* (ob ejusdem reditum Alexandriam) *litteras Romam ad Julium Pontificem, litteras item ad Imperatores Constantinum, & Constantem mittunt adversus Athanasium. Ut autem Athanasii legati eorum scripta falsi arguerunt, cum maximo pudore ab Imperatoribus illis repulsam tulere*. Quæ in ea causa Julius Romanus Pontifex gesserit, videbimus infra. Calumniam vero quod adtinet de subtracto pauperibus frumento, hæc iidem Episcopi Ægyptii scribunt: *Frumentum ab Imperatorum Patre erogabatur pro viduis, partim Lybiis, partim Ægyptiis quibusdam alendis, quod omnes hactenus perceperunt, Athanasio nihil præter laborem, & operam hinc referente. At nunc licet, qui illud recipere solent, non conquerantur, imo se percipere fateantur, Athanasium tamen illi calumniati sunt, quasi qui frumentum totum vendat, & in proprium rem divertat, & hac de re Imperator ipsorum calumniis inductus, litteris suis eum criminatus est*. Hactenus de calumniis adversus Athanasium vulgatis, quæ iterum in Antiocheno concilio anno 341. habito ab Eusebianis iteratæ fuerunt, uti narrant Socrates, & Sozomenus.

Athan. Apol. contra Arian. pag. 126.

Athan. epist. ad Monach. Tom. 1. p. 349.

Athan. Apol. pag. 138.

Socrat. l. 2. 8. Sozim. l. 3. 5.

Paulus CP. Episc. sua Sede ejicitur, cujus locum Eusebius Nicomediensis occupat.

Athan. Apol. contra Arian. pag. 129.

2. Dum hæc in Athanasium molirentur, Eusebius inter Arianos facile princeps, qui ex Berithensi Ecclesia, ad Nicomediensem jam transierat; quique, ut habent Ægyptii Episcopi in synodali epistola, *ubique alienis urbibus cupiditatis oculos adjicit, ratus in opibus & amplitudine urbium pietatem esse situm*, ambitionis stimulis exagitatus, moræque impatiens, Paulum CP. Episcopum, qui post Constantini obitum, una cum Athanasio, CP. olim redierat, apud Imperatorem accusavit, & ut erat veteratoriæ artis & calumniandi peritus, effecit, ut Episcopi

fcopi aliquot Eufebianis addicti, Conftantinopolim ad fynodum vocarentur, qua Paulus fua fede pulfus, in exilium miffus eft, ut pluribus refert Athanafius; *Quod Paulum vero fpectat Conftantinopolis Epifcopum, neminem ignorare arbitror, quo enim clarior urbs, eo minus obfcuræ fuerint res ibi geftæ. Itaque adverfus hunc etiam caufas commenti funt Eufebiani; etenim Macedonius, qui nobis præfentibus eum accufavit;* anno præterito cum Athanafius Alexandriam rediens Conftantinopoli tranfivit; *quique jam Epifcopus ejus loco creatus eft;* cum hæc fcriberet Athanafius; *cum eo communicavit, & fub eodem Paulo presbyter fuit; attamen cum Eufebium illius urbis Epifcopatus invadendi (ita enim jam Berytho Nicomediam fe tranftulerat) cupido inceffiffet, illa in Paulum accufatio perduravit, nec illi infidias fuas neglexere, fed in calumniis perftitere, & primo quidem Paulus a Conftantino in Pontum relegatus eft;* ut anno 336. diximus: *Secundo autem a Conftantio ferreis catenis vinctus Singaris Mefopotamiæ exulavit, illinc poftea Emefam translatus; Quarto Cucufum Cappadociæ ad deferta Tauri, & iftic ut renunciarunt, qui cum ea erant, ab ipfis ftrangulatus obiit.* Hæc Athanafius de variis Pauli exiliis, & martyrio, quæ etfi diverfo tempore gefta fuerint, uno tamen loco Athanafius enarrat. De geftis Pauli Conftantinopolitani Epifcopi agens Socrates, temporum rationem omnino fubvertit, dum Alexandri Conftantinopolitani Epifcopi obitum, & Pauli ordinationem, ejufque abdicationem, & exilium, poft Conftantini junioris mortem narrat, fuoque errore, alios in eam fententiam traxit, de quibus plura in Athanafii vita a Maurinis edita videri poffunt.

Athan. epift. ad Mon. Tom. 1 pag. 347.

Socrat. l. 2. 6.

Sozom. lib. 3. 3

Athan vita a Maurinis edita Tom. 1. pag. 21.

3. Cum Conftantinus Arianis jam manus dediffet; ab iifque prout vellent, utpote leviffimi ingenii, *& arundinibus, quæ vento hac illuc impelluntur haud abfimilis*, ut ait Theodoretus, duceretur; jamque Orientalibus Ecclefiis graviffimum bellum inftaret, s. Antonius monachorum pater, Divinitatis inftinctu difcipulis fuis, antequam hæc accideret prædixit; de quibus in ejus vita plura narrat Athanafius: *Aliquando cum fedens operaretur, quafi extra fe raptus eft, multumque in contemplatione ingemebat, atque contremifcens precabatur, flexifque genibus ita diu moratus eft, furgenfque fenex flebat; quare tremefacti*, qui aderant, quid illud effet fcifcitabantur, multumque urgebant, donec coactus rem aperiret: *O filii, ajens, præftaret fane mori, potius quam, quæ a me vifa funt, fierent:* rogan-

Antonii vifio de malis Ecclefiæ inftantibus.

Theod. l. 2. 3. 4

Athan. vita Antonii Tom. 1 part. 2. p. 856

Jesu Chr. an. 339. *rogantibus iterum illis, collacrymans dixit: Ecclesiam ira divina invasura est, tradeturque illa hominibus, qui jumentis insipientibus similes erunt. Vidi quippe mensam Domini mulis undique circumsessam, qui ejus interiora ita calcibus petebant, quasi confuse subsultantium jumentorum calcitratus fieret*: visionis ab Antonio habitæ meminit Crysostomus, Antonii laudes commemorans.

Crysostom. hom 8. in Matth.

Eusebii Cæsariensis obitus.

4. Quo tempore Eusebius ex Nicomediensi fede, ad Constantinopolitanam transiit, Eusebius alter, idest Cæsariensis, ex hac vita migravit; cujus obitum paulo ante Constantini junioris mortem, Acyndino, & proculo Coss. anno sequenti alligat Socrates. De Cæsariensis fide, eruditione, & scriptis alibi nonnulla adnotavimus; hoc loco addimus, eum apud nonnullos in tanta æstimatione fuisse, ut nomen ejus Martyrologiis die 21. Junii inscriberent, ut in Annalibus, & in notis ad Martyrologium adnotavit Baronius, eumque etiam in suo Sanctorum catalogo, Petrus de Natalibus inseruerit. Is vero in Cæsariensi fede Acacium successorem habuit. *Mortuo Eusebio Cæsareæ Palestinæ urbis Episcopo cui cognomentum erat Pamphyli, Acacius ejus discipulus Episcopatum suscepit, qui quidem, & alios complures edidit libros, & de vita præceptoris sui Eusebii peculariter scripsit*, ait Socrates.

An. 326. 4.

Usuard. Martyrol. Meneleg. die 21. Junii Bar. an. 340. n. 41. Socrat. l. 2. 4.

JESU CHRISTI an. 340. Julii Papæ 4.
Costantii, et Constantis Imp. 4.
Coss. Acyndino, et Proculo.
Olymp. 270. an. 4. Urbis an. 1093.

Acyndini sententia contra adulterum lata.

August. de Serm. Domini lib. 2. n. 50. Tom. 3. par. 2.

1. De Acyndino hujus anni Consule, rem Annalibus non indignam narrat Augustinus. Quæstionem itaque pertractans sanctus Doctor, utrum uxor, quæ consentiente marito adulterium perpetravit, pro adultera habenda sit, hanc historiam refert: *Quamquam nonnullæ causæ possint existere, ubi & uxor mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Constantii temporibus; nam Acyndinus tunc Præfectus, qui etiam Consul fuit, cum quemdam libræ auri debitorem Fisci exigeret, nescio unde commotus, quod plerumque in istis potestatibus periculosum est, quibus quodlibet licet, aut potius putatur licere, comminatus est, jurans, & vehementer affirmans, quod si cer-*

si certo die, quem constituerat, memoratum aurum non exsolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani custodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere, & propinquare cœpit; & forte habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniæ, quæ subveniret viro: cujus mulieris pulchritudine cum quidam dives esset accensus, & cognovisset maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eam pollicens, pro una nocte si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Quare mulier cum sciret, non se habere sui corporis potestatem, sed virum, ad eum rem detulit, paratam se esse pro mariti salute id pati, si ipse fieri id vellet; cui cum consensisset maritus, quin & imperasset, mulier ad villam divitis profecta, quod voluit impudicus passa est, ac pro mercede accepit aurum; sed ille qui aurum dederat, fraude subtraxit, & supposuit simile ligamentum cum terra; quod ubi mulier jam domi suæ posita invenit, prosiluit in publicum, ac apud Præfectum fatetur omnia, ac fraudem se passam fuisse ostendit. *Tum vero præfectus primo se reum, quod suis minis ad id ventum esset, pronuntiat, tanquam in alium sententiam dicens, de Acyndini bonis auri libram fisco inferendam, illam vero mulierem dominum in eam terram, unde pro auro terram accepisset, induci.*

Constantinus junior occiditur.

2. Vetus adagium est, *rara concordia fratrum*. Itaque Constantinus junior cum fratre Constante bellum gerens, rupti fœderis immatura morte pœnas dedit; *Junior Constantinus, dum in partes Constantii fratris sui nati minoris*, idest Constantis, *conatur invadere, conserto cum militibus ejus prælio, interficitur Consulatu Acyndini, & Proculi*, ajunt Socrates, & Idacius, idest hoc anno. Rem quidem paulo aliter narrat Zosimus, ac Constantis dolo eum interfectum fuisse, scribit. At Victor, Socrates, cæterique scriptores Zosimum falsi arguunt, nam Constantinus Alpibus superatis in Italiam descendens Constantis Imperium invaserat, ac Aquilejam usque pervenerat: *Interim ob Italiæ, Africæque jus*, ait Victor in Epitome, *dissentire statim Constantinus, & Constans cœperunt. Constantinus latrocinii specie, fœdeque temulentius in aliena irruit, obtruncatus est, projectusque in fluvium, cui nomen Alsa est, non longe ab Aquileja*: interceptus enim a Constantis exercitu, occisus est, ut narrat Zonaras. Ejus corpus Constantinopolim delatum, honorificentissimo sepulcro reconditum fuit; extatque

Socrat. l. 2. 5.
Zosim. l. 2. 14.
Zonaras hist. lib. 3.

Jasu Chr. An. 340. Murat. an. 340. Tillemont. Tom. 4. hist. Imp. not. 7. 8. in Constantem pag. 669.

que adhuc funebris de ipso oratio Anonymi auctoris; Constantino sublato, Imperii partem, quæ ipsi obtigerat, Imperio suo Constans addidit; nam Constantius bello Persico implicatus, pro defuncti fratris hæreditate, cum Constante litem movere aut noluit, aut non potuit.

Eusebianorum conatus adversus Athanasium, cujus loco Pistum Episcopum ordinat. Athan. Epist. ad Monachos Tom. 1. p. 349.

3. Interea cum regiæ urbis sedem invasisset Eusebius Nicomediensis, uti diximus anno proximo, Imperatoris amicitia, & gratia fultus, ad exturbandum sua sede Athanasium animum convertit; qua de causa ab Arianis Episcopis Pistum quemdam presbyterum ab Alexandro olim abdicatum, dum adhuc Athanasius Alexandriæ esset, Episcopum ordinari, atque Alexandriam mitti curavit, quo cum pervenisset, sociatis sibi Arianis, privatim conventus agere cœpit; deinde *litteras Romam*, ad Julium Pontificem, *litteras item ad Imperatores Constantium*, *& Constantem mittunt adversus Athanasium*. Arianorum tamen legati ubique, & cum dedecore repulsi sunt, ait Athanasius.

Epistola Julii Rom. Pontificis ad Arianos de illegitima Pisti ordinatione. Athan. Apol. pag. 114.

4. Julius autem Romanus Pontifex non solum Pisti, Arianorumque legatos abire jussit, sed & Pisti ordinationem a Secundo Tolemaidis Episcopo factam, uti illegittimam judicavit, hæc anno sequenti ad Episcopos Antiochiæ congregatos scribens: *Hoc ita se habere deprehendimus ex iis, quæ Alexandriæ acta sunt. Nam Caprones quidam ab Alexandro ob Arianam hæresim pulsus, cum nonnullis ejusdem hæresis causa ejectis, a quodam Gregorio missi huc venere. Idipsum tamen a Macario presbytero, Martyrio, & Hesychio diaconis didicimus: antequam enim presbyteri Athanasii advenirent, auctores nobis erant, ut Alexandriam Pisto cuidam litteras mitteremus, quo tempore Athanasius quoque Episcopus Alexandriæ degebat. Quem Pistum Athanasii presbyteri supervenientes, Arianum esse declararunt, expulsum olim ab Alexandro Episcopo, & a Nicæna Synodo; postea vero ordinatum a quodam Secundo, quem Magna Synodus ejecerat, utpote Arianum. Hoc autem nec ipse Martyrius, aut socii inficiebantur, neque negabant Pistum a Secundo fuisse ordinatum. Hinc igitur perpendatis velim, quinam jure in culpa habendi sint, nosne qui persuaderi non potuimus, ut Pisto Ariano scriberemus, an qui auctores erant, ut magnam Synodum vilipenderemus, & impiis, quasi pii fuissent, litteras mitteremus? Nam Macarius ipse presbyter, qui cum Martyrio ab Eusebio missus est, ut audivit instare presbyteros Athanasii cum nos expectaremus, ut una cum Martyrio, & Hesychio coram nobis*

nobis se sisteret, corpore licet æger noctu abscessit; ut hinc nos merito conjiceremus, eum ideo discessisse, quod se puderet Pistum convinctum iri: cum impossibile esset ordiantionem Secundi Ariani in Ecclesia valere. JESU CH. AN. 340.

5. Arianorum machinationes in Ecclesiam Catholicam, ac insidias sibi structas, cum non ignoraret Athanasius, synodum ex Ægypti, Libiæ, & Pentapolis *Episcopis prope centum* hoc anno Alexandriæ congregavit, cujus in sua apologia his verbis meminit: *Quod ad nos spectat, judicio nullo opus est, judicatum enim jam est, non semel, neque bis, sed sæpe numero, primum quidem in nostra provincia in unum coacta ab Episcopis prope centum; secundo Romæ &c.* Ejusdem synodi extat encyclica epistola ad Julium Romanum Pontificem, & ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, quam Apologiæ suæ inseruit Athanasius, in qua Ægyptii Episcopi Athanasii causam, & innocentiam tuentur; Arianorumque perfidiam, & in Athanasium calumnias de calice fracto, de Arsenio occiso, de cœdibus ad ejus reditum Alexandriæ perpetratis, & de frumento distracto refellunt, ac detestantur.

Synodus Alexan. pro Athanasii defensione. *Athan. Apol. pag. 123.*

Pag. 125. seq.

6. Ea etiam epistola, quod Athanasii defensionem hactenus non suscepissent, rationem reddunt; tum quod aliis distenti negotiis id perficere non potuerint; cum etiam quod pudore aliquando suffundi Arianos, ac quiescere posse sperarent: *Cum vero*, subdunt, *post tantas viri calamitates, post ejus in Galliam profectionem, post vitam, relicta patria, apud extraneos ac peregre actam: postquam ob ipsorum calumnias vix mortem effugisset, nisi humanum nactus esset Imperatorem; quibus sane inimicus quilibet quantumvis crudelissimus exatiatus esset: illi tamen rursum in Ecclesiam, & in Athanasium sæviunt, ac illius liberationem ægre ferentes, atrociora denuo moliuntur, promptique sunt ad illum accusandum, nec timent illud, quod in sacris Litteris scriptum est: Testis falsus non erit impunitus, & os, quod mentitur, occidit animam. Ideo silere ultra nequimus, admiramurque illorum malignitatem, ac insatiabilem in calumniis struendis contentionem. Ecce enim nullatenus cessant denuo Imperatoris aures adversum nos exasperare, nec desinunt sanguinarias litteras scribere, ut Episcopum impietatis suæ inimicum de medio tollant.* Et post plurima in eamdem rem, & in Arianorum detestationem; de gestis ab iisdem ex Arianæ hæresis ortu, usque ad hæc tempora, Eusebium Nicomediensem his verbis arguunt: *Verumtamen*

Epistola Synodi Alexan. pro Athanasii innocentia tuenda.

Jesu Chr. An. 340. Pag. 129.

tamen Eusebius Athanasii ordinationem reprehendit, homo qui nunquam forte ipse ordinatus est, quod si unquam fuerit, ipse ordinationem suam irritam fecit; Berythi enim ab initio Episcopus fuit, relictaque Berytho, Nicomediam se transtulit, illam quidem contra legem dimittens, istam item contra legem invadens..... nec tamen secundam, quam tanta aviditate invaserat, retinuit. Ecce enim illinc quoque discedens, alienam rursus occupat. Ubique enim alienis urbibus cupiditatis oculos adjicit, ratus in opibus, & amplitudine urbium pietatem esse sitam. Interea ex utraque parte legati ad Julium Pontificem missi sunt, cumque inter se diffiderent, ac Athanasii legati crimina eidem objecta omnino refutassent; synodum utriusque partis legati a Julio postularunt, in qua quid gestum sit, inferius dicendum reservamus.

Athanasius Constanti scribit, eique sacræ Scripturæ Codices mittit. *Athan. Apol. ad Imp. Constantem Tom. I pag. 297.*

7. Hoc etiam tempore cum adhuc Alexandriæ degeret Athanasius, ad Constantem Imperatorem epistolas dedit, quibus Arianorum calumnias apud ipsum vulgatas refutavit, ac sacræ Scripturæ Codices in Ægypto summa diligentia confectos misit. *Fratri autem tuo*, ajebat Athanasius in sua apologia ad Constantium Imperatorem, *nequaquam scripsi, nisi postquam Eusebiani missis adversus me litteris, necessitatem mihi adtulere, cum adhuc Alexandriæ degerem eorum calumnias propulsandi, iterumque cum jubente illo, ut divinarum Scripturarum tabellas adornarem, confectas eas ad ipsum transmisi.*

Paulus Eremitarum Pater, ab Antonio visitatur; ejus obitus. *Pag. not. ad an. 343. n. 2. Hieron. vita Pauli Tom.*

8. Hoc, vel sequenti anno s. Antonius nonagenarius s. Paulum Eremitarum Parentem adiit, paulo ante quam in Cœlum iret, cujus res gestas s. Hieronymus scribens, de ejusdem obitu, & sepultura tradit: *Cum jam centum tredecim annos B. Paulus vitam cœlestem ageret in terris, & nonagenarius in alia solitudine Antonius moraretur, ut ipse asserere solebat, hæc in mentem ejus cogitatio incidit, nullum ultra se perfectum monacum in eremo consedisse*: quæ dum animo revolveret, quiescenti revelatum est, esse alium multo se meliorem, ad quem visendum deberet proficisci. Itaque erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire quo nesciebat, cumque iter fervente sole perageret: *Conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poetarum Hippocentauro, vocabulum indidit: quo viso, salutaris impressione signi armat frontem; & Heus tu* (inquit) *quanam in parte hic servus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potius verba,*

ba, quam perloquens, inter horrentia ora, senis blandum quæsivit alloquium, & dextræ protentione manus, cupitum indicat iter: & sic patentes campos volucri transmittens fuga, ex oculis mirantis evanuit. Verum hæc utrum Diabolus ad terrendum eum simulaverit; an ut solet eremus monstruosorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus: & merito, nam fabulosa hæc monstra esse non est dubitandum, quare irritam esse sponsionem his verbis factam Celsus scribit: *Si ita stipulatus fuero. Te sisto, & nisi steteris, Hippocentaurum dari*: eo quod de re impossibili irrita est obligatio. *Ulterius progrediens Antonius*, subdit Hieronymus, in Satyrum, seu Faunum incidit, humana voce loquentem, cum quo de divinis etiam rebus sermones miscuit: *Et ne cuiquam*, addit Hieronymus, *ob incredulitatem scrupulum moveat: sub Rege Constantio universo Mundo teste defenditur, nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, & postea cadaver exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est*, hæc Hieronymus. Sed Antonii iter, & Pauli funus prosequamur. Ad Pauli antrum ut pervenit Antonius vix multis precibus, ut ad Pauli conspectum, & colloquium admitteretur, obtinuit, & *post sanctum osculum, residens Paulus cum Antonio: En quem tanto labore quæsiisti, putridis senectute membris operit inculta canities; en vides hominem pulverem mox futurum &c.*, post mutua colloquia adfuit corvus, qui integrum panem ferebat, post cujus abscessum: *Eja, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit vere pius, vere misericors. Sexaginta jam anni sunt, quod accipio dimidii semper panis fragmentum, verum ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam*. Sumpto cibo cum gratiarum actionibus, de imminente suo obitu Antonium Paulus admonuit, rogavitque, ut pallium, quod eidem Athananasius dederat, ad involvendum corpusculum deferret.

Dig. l. 45. lege 97. de verb. Obblig.

9. Ad suum itaque monasterium rediens Antonius, assumpto pallio ad Paulum cito redibat; *timebat enim, quod evenit, ne se absente, Christo debitum spiritum redderet; cumque jam dies alia illuxisset, & trium horarum spatio viam remeavisset, vidit inter Angelorum catervas, inter Prophetarum, & Apostolorum choros niveo Paulum candore fulgentem in sublime conscendere, & statim in faciem suam procidens plorans ajebat, cur me Paule dimittis, cur insalutatus abis, tam tarde notus,* cito

Antonius videt animam ad Cœlum elevari.

CHR. AN. 340.

cito recedis? Ad Pauli speluncam tandem perveniens exanime Pauli corpus invenit, *genubus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus. Igitur obvoluto, & prolato foras corpore, hymnos quoque, & psalmos de Christiana traditione decantans, contristabatur Antonius, quod surculum, quo terram foderet, non haberet, cum ecce duo leones ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla jubis ferebantur, quibus aspectis primo exhorruit, sed illi directo cursu ad cadaver beati Senis substiterunt; deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes unius hominis capacem locum fecerunt.* Iis vero abeuntibus, illic deposuit Pauli corpus, & humum desuper congregans, tumulum ex more composuit: Deinde Pauli tunicam in sportarum modum de palmæ foliis contextam, sibi vindicavit, atque ad monasterium reversus, discipulis cuncta ex ordine Antonius narravit, diebusque solemnibus Paschæ, & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est, ait Hieronymus.

JESU CHRISTI AN. 341. JULII PAPÆ 5.
CONSTANTII, ET CONSTANTIS IMP. 5.
COSS. MARCELLINO, ET PROBINO.
OLYMP. 271. AN. 1. URBIS AN. 1094.

Dedicatio Templi Antiocheni aurei dicti.

1. Magnificentissimum templum Antiochiæ extrui curaverat Constantinus; quod postea Constantii cura absolutum, hoc anno præsente ipso Constantio Imperatore, magna episcoporum frequentia, multaque solemnitate dedicatum est. De Episcoporum numero, & anno quo is hæc dedicatio peracta est, dignus qui audiatur Athanasius: *Porro qui ad Encænia convenerant Episcopi nonaginta numero erant, Coss. Marcellino, & Probino indict. 14. cum ibi esset impiissimus Constantius.* Episcoporum tamen numerum augent Sozomenus, & Hilarius, qui nonaginta septem fuisse scribunt.

Athan. de synod. Tom. 1. pag. 737. Sozom. l. 3. 5. Hilarius de Synodis.

Antiochena synodus Arianorum.

2. Post Encœnia congregati Episcopi, quorum pars maxima Arianæ favebat hæresi, synodum celebrarunt: *Rati aliquid adhuc ad suum propositum desiderari, Antiochiæ synodum obtentu Encæniorum, ut vocant, coegerunt*, ait Athanasius; qua præter Athanasii ejusdem depositionem, tres fidei formulas ambiguis verbis conceptas, pluresque ad Ecclesiæ disciplinam tuendam canones ediderunt; de quorum auctoritate, veteres

Athan. de synod. pag. 735

teres recentioresque diffident. Nam Schelestratus hujusce synodi auctoritatem adstruere conatus est, ejusque sententiæ Pagius, & Basnagius subscribunt: ex veteribus etiam nonnulli eamdem synodum adeo venerati sunt, ut eam Sanctam synodum in libro de Synodis appellaverit Hilarius; Chalcedonense præterea concilium Antiochenæ synodi canones, uti Patrum regulas habuerit. Hinc usque ad Athanasii depositionem, ab Arianis finita synodo factam, cum jam ex ea Catholici discessissent, legitimam synodum fuisse, contendit Schelestratus. Socrates tamen, & Sozomenus, eam Arianorum potius synagogam, quam ecclesiasticam Synodum fuisse contendunt, Jamvero etsi Catholici Episcopi adfuerint, nihilominus prævalente Arianorum factione, malignantium synagoga, & Arianorum conventus evasit. Quod si canones in ea vulgati aliqualem in Ecclesia auctoritatem sibi vindicarunt, ex consensu Ecclesiæ, quæ eosdem utpote ecclesiasticæ disciplinæ tuendæ aptissimos judicavit, repetendam esse omnino arbitramur. Synodo Flacillum Antiochenum Episcopum præfuisse indicant Socrates, & Sozomenus; *Maximus tamen Hierosolymorum Episcopus, qui Macario successerat, non interfuit*, subdit Socrates, *id scilicet animo reputans deceptum se prius fuisse, & per fraudem inductum, ut depositioni Athanasii subscriberet*, in Hierosolymitana synodo.

Bar. 341. Bellarm. de conciliis, & eccles. lib. cap. 6. Tillem. Tom. 8. pag. 77. Pag. ad an. 341. Basnag. annal. 341.

3. His addit Socrates: *Sed neque Julius interfuit Romanæ urbis Episcopus, nec quemquam eo misit, qui locum suum impleret; cum tamen ecclesiastica regula vetet, ne absque consensu Romani Pontificis quidquam in Ecclesia decernatur*. Præter recensita a Sozomeno, aliorum adhuc nomina in subscriptione synodicæ epistolæ leguntur, scilicet: Provinciæ Palestinæ Eusebius Gadorensis. Provinciæ Phœniciæ Anatolius Emisenus, Æneas Ptolemaidis, Magnus Damascenus; Provinciæ Arabiæ, Petræ, Nicomachus Bostrorum, Cyrion Philadelphiæ; Provinciæ Mesopotamiæ Æterius Edessenus, Antiochus Rhesinatis, Jacobus Nisibensis; Provinciæ Syriæ-Cœlos, Archelaus Dolichenus, Alphius Apameæ, Bassus Zeugmaris, Mauricius Epiphania, Petrus Gindarensis, Paulus Neocesariensis, Piperius Samosatenus, Theodorus Laodicæ, Siricus Cyresticensis, Provinciæ, Macedonis Mopsuestensis, Hesychius Alexandriæ minoris, Moises Castabalæ, Nicetas Flaviadis, Narcissus Irenopolis, Tarcondimanus Agapius Seleucæ, Theodorus Vasadensis, Eustathius Patricius, Alexander, & ceteri, ex Provinciis Palestinæ,

De auctoritate Rom. Ecclesiæ Socratis sententia. *Socrat. l. 2. 8.*

Harduin. concili. Tom. 1. pag. 589.

CHR. AN. 341.

stinæ, Phœniciæ; Ciliciæ, Isauriæ &c. Incertum est etiam utrum Arianorum numerus major esset, an Catholicorum; ex iis tamen, quæ supra ex Sozomeno recensuimus, atque ex synodi gestis, Arianos numero, aut saltem auctoritate, potiores fuisse patet.

Antiochena Synodus tres fidei formulas edit. *Socrat. l. 2. 8. Apud Athan. de synodis Tom. 1. pag. 735. Socrat. l. 2. 10.*

4. Congregata Synodo, *præsente ipso imperatore Constantio*, ut habet Socrates, *Coss. Marcellino, & Probino, anno post Constantini patris Augusti obitum quinto*, Eusebiani, ut ab hæresis suspicione se se liberarent, hanc fidei formulam primo vulgarunt: *Nos neque Arii sectatores fuimus quomodo enim Episcopi presbyterum sequeremur? Neque aliam fidem præter eam, quæ ab initio tradita est, recipimus. Quinimo nos ejus fide examinata, explorataque, eam potius admisimus, quam sequuti sumus: quod ex verbis nostris cogituri estis. Ab initio namque didicimus, in unum & universorum Deum credere, omnium intelligibilium, & sensibilium opificem, & provisorem. Et in unum Filium Dei unigenitum, qui ante omnia sæcula existit, & una extat cum eo qui se genuit Patre, per quem etiam omnia facta sunt, visibilia, & invisibilia, qui novissimis diebus secundum Patris voluntatem descendit, & carnem ex Virgine assumsit &c.* Hanc Fidei formulam Ariano stylo editam, qua de Verbi Divinitate tam jejune differitur, & qua Arii apologia texitur, Eusebianis magis adscribendam esse, quam synodo Antiochenæ, post Baronium, Basnagius censet, Athanasius tamen hanc primam, non aliter, ac secundam, & tertiam Antiochenis Patribus inscripsit, neque Athanasii testimonio obstat illustres doctrina, pietate viros illic una cum Arianis adfuisse, quibus ea fidei formula satisfacere nequaquam potuit; nam ea ætate non infrequens fuit, Arianorum fraudibus Catholicos decipi, vel iis etiam invitis, multa ab Arianis fieri.

Bar. 341. 18. Basnag. 341. 6

Secunda fidei formula.

5. Sed synodi gesta prosequimur: *In alia epistola Encæniorum tempore*, subdit Athanasius, *cum priorum pœniteret, ac nova quædam, ac plura excogitassent, hæc edidere. Credimus juxta Evangelicam, & Apostolicam traditionem in unum Deum Patrem omnipotentem omnium rerum conditorem, & opificem, & provisorem, per quem omnia. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium ejus unigenitum Deum, per quem omnia: genitum ex Patre ante sæcula, Deum ex Deo, &c.* Plura deinde de Filii Dei dignitate addunt; quem per omnia Patri similem esse profitentur, qui novissimo tempore homo factus, Mediator

Dei

Dei, & hominum est; sed & tres quoque divinas Personas propriis nominibus subsistere profitentur, *& accurate proprium singulorum, qui nominantur, hypostasim, ordinem ... gloriam significantibus, adeo ut hypostasi quidem tria, concordia autem unum, esse testentur*; atque Anathema iis dicunt, *qui tempus, aut ævum, aut seculum esse vel extitisse, prius quam Filius gigneretur; & si quis dixerit Filium creaturam, aut unum ex creaturis, aut genitum, aut unum ex genitis, aut opificium, aut unum ex opificiis &c.* Eodem anathemate subjiciatur; hanc vero alteram fidei formulam ediderunt, ait Socrates, *quasi priorem damnantes*. Socrat. l. 2. 10.

6. Tertiam adhuc prioribus addiderunt; cum enim Theophronius Tyanensis Episcopus fidei formulam a se editam coram omnibus legisset, suis eam subscriptionibus approbarunt; atque se *credere in Deum Patrem omnipotentem, universorum Creatorem, & Factorem, ex quo omnia, & in Filium ejus Unigenitum, Deum, Verbum, Potentiam, Sapientiam, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia, ex Patre natum ante secula, Deum perfectum ex Deo perfecto, qui est apud Deum in hypostasi, qui in novissimis diebus descendit, & natus est ex Virgine &c.* De hisce fidei formulis agens Hilarius, secundæ edendæ causam dedisse ait, *quod in suspicionem venisset unus ex Episcopis, quod prava sentiret*; non quidem *contra hæresim, quæ dissimilis substantiæ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ausa est prædicare; sed adversus eam, quæ post synodum proruperat, ut tria nomina Patri vellet adscribere*, seu quæ Personarum distinctionem in Trinitate tollebat, quæ Samosateni, & Noeti hæresis fuerat; ob quam Marcellus Ancyranus ab Arianis depositus fuerat. Unde tres hypostases in Trinitate agnoscendas esse secunda fidei formula profitetur; tertia etiam a Theophronio exhibita fidei professio Anathema dicit iis, *qui cum Marcello Ancyræ, aut Sabellio, vel Paulo Samosatensi sentit; & quicumque cum eo communicat*. Quis autem fuerit Episcopus, qui, Hilario teste, apud Antiochenos Patres Sabellianæ hæresis in suspicionem venit, in obscuro est; Gregorium, in Alexandrinum Episcopum Athanasii loco ordinatum, fuisse, tradit Baronius, Marcellum Ancyræ, cum Schelestratio Basnagius. At Gregorius Arianus erat, ut Athanasius testatur, & ejusdem gesta indicant: Marcellus vero Sabellianæ quidem hæresis ab Arianis accusatus, Episcopatu dejectus fuit; quare ter-

Tertia Fidei formula. Athan. de synod. p. 737.

Hilarius de synod. Tom. 2. pag. 480.

Athan. Tom. 2 pag. 480.

Bar. 341. num. 22. Schelest. de Antioc. concil. Basnag. an. 341. num. 8.

Jesu Chr. An.341.

tertia fidei exhibita formula, synodo nequaquam satisfacere potuit, ut narrat Hilarius. Hinc si conjecturis locus, ipse Theophronius Tianæ Episcopus is fuit, qui cum in suspicionem Sabellianæ hæresis Antiochenis Patribus venisset, oblata fidei formula ab ea suspicione vix se liberavit.

Quartam Fidei expositionem Ariani in Gallias Constanti mittunt. Ath. in de syn. n. 4. p. 737.

7. Absoluta Antiochena Synodo: *Paucis interjectis mensibus, aliud denuo de fide rescriptum edunt*, ait Athanasius, *atque Narcissum, Marin, Theodorum, & Marcum in Gallias mittunt, qui quasi e synodo legati hæc beatæ memoriæ Constanti Augusto, & cæteris, qui aderant, tradiderunt*; qua se credere testati sunt in Deum Patrem omnipotentem, &c., & in Unigenitum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Christum ante omnia sæcula ex Patre natum, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem omnia facta sunt in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, homo factus, & ex Virgine natus; quibus multa, quæ ad rem non faciunt, addiderunt. Deinde, ut se Arii dogmata aversari profiterentur, hæc adnotarunt: *Illos autem, qui dicunt ex non extantibus Filium, aut ex alia substantia, & non ex Deo esse, & fuit aliquando tempus, quo non erat, alienos agnoscit Ecclesia Catholica*. Has Fidei professiones Ariani ediderunt, ut se ab hæresis suspicione liberarent; quod facile perfecissent, si Consubstantialis vocem, a Nicæna Synodo, ad denotandam perfectam Filii Dei cum Patre æqualitatem consecratam, semel saltem adhibuissent. At cum ab ea angue pejus abhorrerent, tot editis Fidei formulis Æthiopem lavabant, ut rerum exitus comprobavit, atque ex dicendis inferius patebit.

Canones 25. ab Antiochena synodo vulgati. Socrat. l. 2. c. 10. Harduin. T. 1. pag. 590.

8. Post Fidei expositiones, Canones vigintiquinque vulgavit Antiochena Synodus: *Et Synodus quidem illic tunc temporis congregata, his rebus gestis, & quibusdam regulis constitutis, discessit*, ait Socrates. Illos etiam synodalis epistola commemorat: *Quæ visa sunt recte constitui cum plurima consideratione, & judicio una cum omnibus nobis Antiochiam ex diversis provinciis in unum collectis Episcopis in vestram notitiam deferentur .... sunt autem præfiniti Canones ecclesiastici hi, qui infra sunt scripti &c.* Quos immerito ab eadem Antiochena Synodo vulgatos fuisse negarunt nonnulli.

Antiochenæ synodi canones. Bellarm. de Eccl. l. 1. cap. 6

9. Canonum autem summa hæc est: primus ab Ecclesia Catholica eos ejiciendos jubet, qui decretum magnæ Synodi Nicænæ de Paschatis festo violaverint, aut cum Judæis cele-

celebraverint. Secundus, qui in Ecclesiam ingressi sacras Scripturas audiunt, cum populo autem in oratione non communicant, aut a percipienda communione abstinent, ab Ecclesia removet, qui vero cum excommunicato communicaverit, sive Episcopus, sive Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de Clero, communione privari mandat. Tertius Clericum ab una Ecclesia in aliam transmigrantem a ministerio arcet; si vero ab Episcopo monitus parere recusaverit, deponendum statuit. Canone quarto Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus a Synodo, vel ab Episcopo damnatus, a spe restitutionis dejicit, si sacra interim Ministeria obierint. Quintus Presbyteros, & Diaconos a propriis se se segregantes Episcopis, & adversus ipsos perduelles, damnat; & adversus perturbatores Ecclesiæ sæcularem potestatem implorandam esse decernit. Sextus excommunicatos a proprio Episcopo ab aliis suscipi vetat, antequam a Synodo rescissa sit sententia in ipsos lata. Septimus peregrinos, sive extraneos, absque pacificis epistolis recipi vetat. Octavus Chorepiscopis potestatem tribuit hujusmodi epistolas concedendi. Nonus Metropolitani dignitati, & juribus consulit; ac provinciæ Episcopis prohibet aliquid iis inconsultis agere. Decimus Chorepiscoporum jurisdictionem certis limitibus circumscribit; ipsisque, etiamsi Episcopi consecrati sint, Lectorum dumtaxat, Exorcistarum, & Subdiaconorum ordinationes permittit; Undecimus Canon Episcopis, & Clericis sub excommunicationis, & exauctorationis pœna prohibet, ne absque consilio, & litteris Episcoporum Provinciæ, & præcipue Metropolitani, ad aulam se conferant, & Principem adeant. Canon duodecimus Episcopos, qui a synodo, & Presbyteros, ac Diaconos, qui ab Episcopo damnati, causam suam ad Tribunal Imperatoris detulerint, non vero ad majus, & frequentius Episcoporum Concilium, nequaquam ultra audiendos esse jubet: quem Canonem condiderunt Ariani, ut s. Athanasium opprimerent, qui in ipsorum synodis inique damnatus, Imperatoris edicto Alexandriam redierat. Decimus tertius prohibet Episcopis sub pœna depositionis, ne in aliena Diœcesi Ordinationes celebrent, aut ullis negotiis Ecclesiasticis sese ingerant, nisi litteris Metropolitani, & Comprovincialium Episcoporum rogati fuerint. Canon decimus quartus statuit, ut cum Episcopi Comprovinciales in judicio criminali alicujus ex coepiscopis, dissenserint, ad causæ ambiguæ judicium Episcopi vicinioris

JESU CHR. AN. 341.
Nat. Alex. saecul. 4. diss. 4

Jesu Chr. An. 341. ris provinciæ vocentur. Decimus quintus Episcopum ab omnibus suæ provinciæ Episcopis damnatum, ab aliis judicari prohibet. Decimus sextus vetat, ne Episcopus vacans, id est, qui nullam sedem habet in Ecclesiam vacantem prosiliat absque Concilii, & Metropolitani sententia. Decimus septimus Episcopos qui post Ordinationem suam ad Ecclesiam sibi commissam ire neglexerint, a communione excludit, donec muneri suo satisfaciant, nisi Synodus Provincialis aliter decreverit. Decimus octavus honorem & ministerium servat Episcopo, qui ad Ecclesiam suam propterea non accesserit, eo quod eum populus non receperit. Decimus nonus ne Episcopus extra Synodum, & absente Metropolitano ordinetur, decernit. Vigesimus bis in anno synodos ab Episcopis congregari jubet, quarta scilicet hebdomada post Pascha, & *Idibus Octobris, idest decimquinta die, ejusdem mensis, quem Græci Hyperbereteon appellant*. Vigesimus primus Episcoporum translationes de una in aliam Ecclesiam vetat. Vigesimus secundus Ordinationes extra propriam Dioecesim, absque licentia Episcopi, in cujus ditione ordinatio celebratur, fieri prohibet. Vigesimus tertius Episcopis successorem sibi deligere, etiam instante morte vetat. Vigesimus quartus jubet, ut Ecclesiæ bona ab Episcopo administrentur, ea tamen lege, ut Presbyteris Diaconisve notum sit Ecclesiæ patrimonium. Vigesimo quinto, & ultimo sancitum est, ut Ecclesiæ bona ad Episcoporum victum, & vestitum inserviant, & ad hospitalitatem exercendam; quæ vero supersunt, pauperibus distribuantur. Sed de Antiochenis Canonibus hactenus. Ipsorum quidem auctoritas in Orientali Ecclesia aliquandiu viguit; in Occidente tamen non antea cogniti fuerunt, quam illos Dionysius Exiguus in suam collectionem inferret. Hinc cum Joanni Chrysostomo in suam Sedem jam restituto, canon duodecimus objiceretur, quo cautum erat, Episcopum a synodo depositum, nullatenus restitui posse, cum ad Imperatoris patrocinium, potius quam ad majoris Synodi auctoritatem confugisset; cum inquam hæc Chrysostomo objicerentur, reponebat Chrysostomus, eam regulam in Catholica Ecclesia vim non habuisse, sed in Arianorum secta, utpote ab iis vulgata, uti pluribus narrat Socrates, & Palladius in Chrysostomi vita. Innocentius vero Papa primus pro eadem Chrysostomi causa ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum scribens, testatur, secundum Nicænos Canones judicandum esse, quos Ecclesia Catholica suscipiebat.

Socrat. lib. 1. 18.
Pallad. vita Chrysost.
Apud Coutan. p. 799.

De

De Antiocheno vero subdit: *Sin alii proferuntur a Nicænis Canonibus dissonantes, & Hæreticos auctores referentes, ii a Catholicis Episcopis rejiciuntur.*

JESU CHR. AN. 341.

Antiochena Synodus Athanasium damnat. Socrat. lib. 2. 8., & 9.

10. Fidei formulis vulgatis, editisque Canonibus, tandem ad id, cujus causa præcipue convenerant, se se converterunt, scilicet, ut Athanasium Ecclesia sua ejicerent, eique successorem darent: *Igitur Eusebiani ante omnia*, ait Socrates, *Athanasium calumniari studuerunt, primum quidem, quod contra regulam, quam ipsi tum primum constituerunt, Episcopatus sui locum absque decreto communis Episcoporum Concilii recuperasset, quique ab exilio reversus, suopte nutu, atque arbitrio Ecclesiam occupaverat*; seu potius Constantini jussu, ut suo loco vidimus: *Deinde quod sub ingressu ejus orto tumultu, multi in seditione occubuissent, & quod alii quidem verberibus ab illo affecti fuissent, alii in judicium adducti, sed & illa, quæ in Urbe Tyro adversus Athanasium gesta fuerant, in medium protulere*; idest veteres, rancidasque calumnias de calice fracto, & Ischyræ mensa subversa, aliaque hujusmodi.

Eusebium Emisenum Episcopum Eusebiani designant; ejus elogium. Socrat. l. 2. 10.

11. Post hæc, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum designarunt, ac primo quidem Eusebium cognomento Emisenum, ait Socrates; cum tamen is Alexandrinis sese invisum futurum sciret, si pulso Athanasio eam Sedem invasisset, Alexandriam pergere recusavit. Erat autem Eusebius Emisenus, ut ex Georgio Laodiceæ Episcopo narrat Socrates, ex nobilissimis Edessæ in Mesopotamia incolis ortus, sacris litteris a Patrophilo Laodiceæ, & Eusebio Cesariensi Episcopis egregie eruditus; Antiochiam deinde profectus cum Euphronio, qui Eustathio successerat, aliquandiu vixit; ne tamen Sacerdos fieret, honoris vitandi causa, Alexandriam perrexerat, ac tandem Antiochiam reversus, cum Flacillo Euphronii successore familiariter vixerat. Tandem hoc anno ab Eusebio Constantinopolitano Episcopo, ut Alexandrinam Sedem occuparet, destinatus cum illuc ire recusasset, missus est Emesam. Sed cum in ejus ordinatione Emisseni seditionem excitassent, ac probris etiam, ac conviciis, quasi mathematicarum artium studiosum onerassent, inde fugiens, Laodiceam ad Georgium rediit, *qui de illo tam multa prædicavit*, ait Socrates. Emesam vero reversus, in crimen iterum vocatus est, quasi eadem cum Sabellio sentiret. Ad extremum vero, subjungit Georgius, *Imperatorem cum adversus Barbaros proficisceretur, illum una secum abduxisse, & prodigia*

gia

JESU CHR. AN. 341. *gia quædam ab illo esse perpetrata*. Sed de Eusebio Emiseno hactenus, quem Arianus scriptor, idest Georgius immeritis exornat laudibus, ut & miracula edidisse addat, quem Hieronymus, non solum inter Arianos, sed & inter Arianæ factionis principes recenset, de quo in Chronico ad annum labentem *Eusebius Emisenus Arianæ signifer factionis multa, & varia conscripsit*. De ejusdem vero operibus in libro de viris illustribus addit: *Eusebius Emesenus Episcopus elegantis, & rethorici ingenii innumerabiles, & qui ad plausum populi pertinent, confecit libros, magisque historiam secutus, ab iis, qui declamare volunt, studiosissime legitur, e quibus vel præcipui sunt adversus Judeos, & Gentes, & Novatianos, & ad Galatas libri decem, & in Evangelia homiliæ breves, sed plurimæ. Floruit temporibus Constantii Imperatoris, sub quo & mortuus, & Antiochiæ sepultus est*. Hæc Hieronymus de Eusebio Emiseno, quem Sanctorum quoque catalogo scriptores nonnulli inseruerunt.

Hier. chron. & de Vir. ill. cap. 101.

Bar. an. 341. 11.

Eusebiani Gregorium Alexandriæ Episcopum ordinant. *Socrat. l. 2. 10. Sozom. l. 3. 6.*

12. Cum *Eusebius, cui Alexandrinus Episcopatus ab Episcopis Antiochiæ congregatis, delatus fuerat, Alexandriam ire detrectasset, Gregorium Alexandriæ Episcopum designarunt*. Gregorius itaque *cum ingenti militum manu Alexandriam venit*, ait Sozomenus, *quibus subsidio erant etiam Ariani, tum ad eam rem perficiendam*, ut scilicet Alexandrinam Sedem invaderet; *tum ut Athanasium urbe expellerent. At ille verebatur*, Athanasius scilicet, *ne populus ipsius causa quidquam mali pateretur. Nocte igitur adventante, collectam in Ecclesia celebravit. Cumque jam milites Ecclesiam occupassent, ipse completa oratione psalmum prius recitari jussit. Dum psalmus ab omnibus recitaretur, milites interea quiescebant, intempestivum rati eo tempore impetum facere. Tunc vero Athanasius per medium psallentium turbam occultus evasit; & Romam navigio delatus est. Quo facto Gregorius Alexandrinam Sedem obtinuit*. De Athanasii adventu Romam, ejusque gestis inferius.

Gregorius Alexandriam veniens Ecclesiam turbat, & vexat. *Joan. cap. 10. Athan. epist. encycl. p. 112., & epist. ad solit. pag. 349.*

13. Gregorius vero Alexandriam ingressus, juxta id, quod in Evangelio legitur: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est, & latro; & fur non venit, nisi ut occidat, & mactet*, multis, variisque modis eam vexavit Ecclesiam, uti pluribus narrat Athanasius. Cum enim res suas in deterius ire cernerent Eusebiani, Constantium adierunt, rogantes, ut una cum Gregorio, Philagrium Præfectum Alexandriam mitteret: *Litteras scribe*, ajebant, *adversus omnes, Phi-*

Philagriumque Ægyptii Præfectum mittito, qui strenuissimus est in persequendo, ut experientia compertum est, cum maxime sit Apostata. Mitte etiam Gregorium Alexandriam Episcopum idoneum sane hominem, ad nostram stabiliendam hæresim. Quare Constantius Philagrium Alexandriam misit, cum Arsacio quodam Eunucho, & militari manu, quo cum pervenissent, coacta bubulcorum, opilionum, aliorumque forensium, ac petulantium juvenum multitudine, cum gladiis, & clavis in Ecclesiam Cyrini irrupere; ibique alios occiderunt, alios pedibus calcarunt, alios plagis laniatos in carcerem truserunt, & in exilium miserunt, mulieres vero plurimas abductas, ad tribunal palam pertraxere, crinibusque raptatas contumeliis affecerunt; id autem nulla alia de causa, quam ut eos Arianis adhærere, Gregoriumque ab Imperatore missum recipere cogerent. Hæc summatim de his, quæ Alexandriæ gesta sunt; hanc vero quam in urbe, eamdem per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim in Catholicos persecutionem excitarunt. JESU CHR. AN. 341.

14. *Litteris enim Philagrio missis auctores sunt Ariani*, subdit Athanasius, *ut Gregorius brevi Ægyptum pergeret. Hinc Episcopi flagellantur, vinculisque acerbe constringuntur.* Ex his Sarapammonem Episcopum Confessoremque, cui oculus fuerat in persecutione effossus, tot plagis in cervicem cæciderunt, ut non ante finem facerent, quam extinctum putarent: atque hic post aliquas horas, curatione adhibita, respiravit quidem, sed modico elapso tempore, plagarum dolore interiit, iteratique martyrii gloriam promeruit. Monachorum quoque plurimi flagellis cæsi sunt, sedente Gregorio cum Balacio duce; Virgines præterea verberatæ, quod Gregorii communionem refugerent. In Athanasii vero materteram, eousque carnifex & homicida Gregorius sæviit, ut ne defunctam quidem fineret sepeliri; uti sane accidisset, nisi qui eam sustulere, quasi proprium sibi cadaver asportassent. Præter hæc testatur Athanasius Gregorium multa alia fecisse, *quæ omnem loquendi facultatem superant*.

Gregorius per Ægyptum persecutionem exercet; Athanasii materteram acerbissime vexat. *Athan hist. Arian. ad Monachos p. 350.*

15. Magistratibus porro ita assentabatur Gregorius, ut si ad eum Imperator, aut Dux exercitus, aut alius quispiam judex litteras dedisset, tanta perfundebatur lætitia, ut insanire pene videretur. Monachorum contra, Sanctorumque virorum commercia, aut epistolas ita aspernabatur, ut ipso suadente Balacius Dux, eo fuerit adductus, ut in Antonii epistolam spue-

Alia Gregorii facinora.

rei,

Jesu Chr. An. 341. ret, eamque projiceret: *Cujus profecto sceleris Balacius pœnas dedit. Nam non diu postea equo insidentem Ducem, & ad proximam mansionem iter instituentem, conversus equus in femore illum ita momordit, ut humi dejiceret, intraque triduum ille obiret*. Hactenus de Gregorii gestis, & Alexandrinæ Sedis

Tom. 1. p. 112. invasoris; quæ fusius etiam persequitur Athanasius, in epistola Encyclica ad omnes Orbis Episcopos, qua Virgines nudatas, flagellis cæsas, variisque modis raptatas; Monachos item flagellis cæsos, pedibusque conculcatos, Baptisterium Ecclesias, ipsamque sacram mensam a Judæis, & Gentilibus profanatas tradit. Hæc autem inquit, *in ipsa sancta quadragesima circa festum Paschæ gesta sunt, quo tempore fratres quidem jejunabant, præclarus autem ille Gregorius Caiphæ mores imitatus, cum Pilato duce adversus pios Christi cultores debacchabatur. Certe in Parasceve in unam Ecclesiarum cum duce, & cum Ethnicis viris ingressus, at populos violentum ejus introitum aversari animadvertit, auctorem se crudelissimo duci præbuit, ut in hora una trigintaquatuor, tum virgines, tum conjugatæ, sive nobiles viri flagris publice cæderentur, & carceri manciparentur*. Eadem flagitia Alexandriæ perpetrata in Gregorii introitu, Arianis exprobrat Julius Romanus Pontifex in epistola anno se-

Athan. Apol. Tom. 1. p. 149. quenti data, qua inter cetera habet: *Ipsa namque Gregorii in suo ingressu gesta ordinationis ejus modum indicant. In hisce enim pacis temporibus, ut narrarunt ii, qui Alexandria venerunt, & quemadmodum Episcopi quoque litteris suis significarunt, Ecclesia incendium passa est, virgines denudatæ, Monachi conculcati, ac vim perpessi, Episcopi in carcerem trusi, multi circum circa raptati; sancta Mysteria, de quibus violatis, Macarium presbyterum accusabant, ab Ethnicis direpta sunt, & in terram projecta, eoque solum hæc omnia, ut Gregorii ordinationem aliqui admitterent*. Sed de Gregorii ordinatione, ejusque in Alexandrinam Sedem intrusione satis.

Athanasius Alexandria fugiens, Romam pergit. Athan. epist. Encycl. ad Episc. p. 115. Matth. 10. 23. Tom. 1. p. 350.

16. Interea, Alexandria profugus, Romam perrexit Athanasius, qui rem ita prodit: Cum Ariani in Ecclesiam irrupissent, *ut illic quasi venatu captum interficerent, quod sane mihi accidisset, nisi Christi gratia opem tulisset, ut vix effugerem .... Me populis subduxi memor Salvatoris dicentis: Si vos persequuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam*. Et in epistola ad Monachos: *Athanasius porro his nondum actis, ad primum rei auditum, Romam navigavit, quod Hæreticorum furo-*

rem

rem probe perspectum haberet, ut etiam prout statutum fuerat, Synodus ibi celebraretur. De ejus adventu Romam eadem Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique enarrant; unde Hieronymus ad Principiam: *Alexandrinæ Sacerdotes Papa Athanasius, & postea Petrus persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerunt*, quibus congruit epistola Bonifacii Papæ primi in hæc verba: *Sanctæ memoriæ Athanasius, & Petrus Alexandrini Sacerdotes, Ecclesiæ hujus Sedis auxilium postularunt*. Romam autem Athanasius venit, non ut Arianorum modo persecutionem declinaret, auxiliumque a Julio posceret; sed uti idem testatur in laudata antea epistola ad Monachos, *ut Synodus ibi celebraretur, prout statutum fuerat*. Immo ad Urbem vocatum fuisse, tradit Julius in sua ad Eusebianos epistola: *Non enim suo motu, sed accersitus, ac litteris nostris acceptis, huc accessit, quemadmodum & litteris nostris vobis indicavimus*. Theodoretus, etiam a Julio Pontifice ipsum convocatum fuisse, his verbis testatur: *Athanasius cognitis Arianorum insidiis secessit, & in Occidentis partes se contulit; namque Eusebius Julio Episcopo, qui tunc temporis Romanam administrabat Ecclesiam, compositas adversus Athanasium calumnias præscripserat. Is vero*, idest Julius, *Ecclesiasticam legem secutus, & ipsos Romam venire jussit, & Athanasium ad dicendam causam evocavit. Et Athanasius quidem citationi obtemperans, statim iter arripuit: ii vero*, idest Eusebiani, *qui fabulam composuerant, Romam venire noluerunt, eo quod mendacium facile deprehensum iri cernerent*.

JESU CHR. AN. 341.

Socrat. l. 2. 11. Sozom. l. 3. 6. Theod. l. 2. 4.

Apud Holstenium epist. 10.

Athan. Apol. pag. 1, 8.

Theod. l. 2. 4.

17. Atque hic animadvertere necesse est, Eusebianos æque ac Athanasium ad Julium Pontificem bis legatos misisse; primo cum Pistus in ejus locum est ordinatus, secundo post Gregorii ordinationem. Qui primo advenerunt Arianorum legati fuere, Macarius Presbyter, Martyrius, & Hesychius Diaconi; post Gregorii vero ordinationem *Carpones, ob Arianam hæresim, jam pulsus, cum nonnullis ejusdem hæresis causa ejectis a quodam Gregorio missi huc venere*, ait Julius Papa. Cum vero Athanasii legati illegitimam fuisse Pisti ordinationem tam certis argumentis Julio comprobassent, ut ne dubitandi quidem locus superesset; Macarius legationis princeps *corpore licet æger noctu abscessit, quod se puderet Pistum convictum iri, cum impossibile esset, ordinationem secundi Ariani in Ecclesia valere*.

Eusebiani, & Athanasius bis ad Julium Pont. legatos mittunt.

Athan. Apol. p. 144.

JESU CHR. AN. 341.

Eusebiani a Romano Pontifice synodum postulant.

Athan. Apol. pag. 142.

18. Repulsam itaque passi Eusebianorum primi legati, alteri advenerunt a Gregorio missi, idest Carpones cum sociis: At cum ab Athanasii legatis convincerentur, a Julio Pontifice postulatum est, ut synodum congregaret, qua crimina Athanasio objecta examinarentur, uti Julius in Epistola ad Orientales, seu Eusebianos testatur: *Qui a vobis Eusebianis cum litteris missi sunt, Macarius Presbyter, Martyrius, & Hesychius Diaconi, qui huc advenere, cum non valerent presbyteris Athanasii, qui huc se contulerant, obsistere, sed in omnibus refutarentur ac convincerentur; tum a nobis postularunt, ut synodus indiceretur, litteræque ad Athanasium Episcopum Alexandriam, itemque ad Eusebianos mitterentur, ut coram omnibus justum posset proferri judicium. Tum se omnia contra Athanasium allata crimina probaturos, promisere: publice enim a nobis Martyrius, & Hesychius convicti sunt, presbyteris Athanasii Alexandriæ Episcopi cum fiducia obsistentibus. Martyrius vero, & socii, ut vere dicam, in omnibus refutabantur, hincque factum est, ut synodum coacti sint postulare.* Hæc Julius de indicta Romæ Synodo, cui quidem, ut diximus, Athanasius vocatus, seu ut Theodoretus ait, citatus adfuit. Eusebiani tamen ecclesiasticum judicium metuentes, Julii Pontificis legatos Elpidium, & Philoxenum, ultra præfinitum tempus apud se retinuerunt; deinde Persicum bellum causantes, Romanum iter suscipere recusarunt, atque legatos dimiserunt, ut anno sequenti dicturi sumus.

Qui comites itineris Athanasio fuerint.

Pallad. hist. lauf. cap. 11.

Socrat. l. 4. 23

19. Itineris, & exilii comites Athanasio fuere Isidorus, & Ammonius monachi, viri monastica professione, omnique virtutum genere ornatissimi. De Isidoro multa laude digna commemorat Palladius. De Ammonio vero narrat Socrates, quod cum Romæ cum Athanasio esset: *Adeo parum curiosus extitit, ut ex magnificis Urbis operibus nullum videre desideraverit, sed solas Petri, & Pauli basilicas viderit. Idem Ammonius cum ad Episcopatum traheretur, fuga dilapsus dexteram sibi aurem amputavit, ut corporis mutilatione ordinationis honorem effugeret.* Perhonorificentissime autem tum a Julio Pontifice, cum ab illustrioribus viris, ac fœminis se exceptos fuisse, idem Athanasius testatur, præcipue vero ab Imperatoris Constantii matertera, idest Eutropia, atque ab Abuterio, & Sperantio consularibus viris.

Athan. Apol. Tom. 1. p. 299.

Monachalis vita in Occidente propagata.

20. Athanasio Romam adveniente, urbs, totaque Occiden-

cidentalis Ecclesia disciplinæ monasticæ instituta didicit, quæ deinde per Occidentis provincias latius est propagata: *Nulla eo tempore*, ait Hieronymus, *nobilium fœminarum noverat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei novitatem, ignominiosum & vile, ut tunc putabatur, in populis nomen assumere. Hæc Marcella ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam Beati Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachomii, & virginum, ac viduarum didicit disciplinam, nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat*. Quam cito autem inter viros, & mulieres per Occidentalem Orbem monachalis vita fuerit propagata ex his, quæ Augustinus se vidisse narrat Romæ, & Mediolani, dignosci potest: *Vidi ego diversorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat, vir optimus, & doctissimus, Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate, atque prudentia, & divina scientia præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt Christiana caritate, sanctitate, & libertate viventibus. Ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt*; sed Pauli Apostoli auctoritate docti, manibus suis operantur. Jejunia vero pene incredibilia multos exercuisse addit, non solum quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod usquequaque usitatissimum erat, sed continuum triduum, vel amplius sæpissime sine cibo, ac potu transigentes: atque id viros æque ac mulieres frequentasse commemorat.

Hieron. ad Principiam epist. 127.

August. conf. lib. 8. 6. Lib. de moribus eccl. cath. cap. 23.

21. In Oriente autem, & in Occidente multa fuisse, hoc eodem seculo virorum, mulierumque asceteria, certis constat argumentis. De Ecclesia Orientali præter ea, quæ anno 328. cum de Pachomii, & Antonii vita egimus dicta sunt, id testatur S. Basilius dum monasticæ vitæ vituperatores his verbis confutat: *Accusamur quod homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui Mundo renunciarint, & universis seculi istius curis, quas Dominus comparat spinis fertilitatem verbi impedientibus. Qui hujusmodi sunt, mortificationem Jesu in corpore circumferunt, & cruce quisque sua accepta, Deum sequuntur. Ego vero omnem vitam meam impenderem, ut mihi possent talia impingi delicta, haberemque apud me viros, qui me doctore, hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint. Nunc autem in Ægypto quidem audio talem esse virorum quorumdam virtutem*, & for-

Monastica vita ubique diffusa.

Basil. epist. 63

JESU CHR. AN.341. *& forsan in Palæstina quoque sunt, qui Evangelii normam vitæ suæ conversationem perfectam reddant. Audio & in Mesopotamia viros esse perfectos, atque beatos. Nos vero perfectis collati, pueri sumus. Sunt autem, & feminæ evangelicam vitam amplexæ, quæ virginitatem quidem nuptiis præferunt, sensum vero carnis servituti subjiciunt, & beato luctui immorantes, beatæ sunt ex proposito, ubicumque terrarum degant. Apud nos vero ista, qui primis adhuc elementis ad pietatem instituimur, & initiamur, minuta sunt, ac rudia.*

Monachatus conjunctus cum vita clericali. *Ambros. ad Vercell. epist. 61.*

22. In Occidentali rursus Ecclesia Eusebio Vercellensi Episcopo auctore factum est, ut vel ipsi clerici monasticam cum clericali vitam conjungerent, ut narrat Ambrosius. *Primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate positus, instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.* Quod ipsum præstantissimum vitæ genus s. Martinus Episcopus Turonensis in Gallias, sanctus Augustinus in Africam transtulere: qui admirabili quadam connexione duo hæc (ut dictum est) omnium perfectissimæ vitæ genera, Clericorum, & Monachorum in in unum pariter conjungentes, Christi Ecclesiam tamquam fulgentissima astra, omni virtutum genere illustrarunt; de quorum propagatione per varias Italiæ, Illyrici, Galliarum, Hispaniæ, Africæ provincias, & insulas, plura apud Mabillonium videri possunt, aut Nicolaum Antonellum, qui operibus Jacobi Nisibeni dissertationem adjunxit de Ascetis, in qua quæcumque scitu digna sunt, diligenter collegit.

Mabil. annal. Bened. Tom.1. pag.5.6.

Monachorum plurimi ad Episcopatum promoti. *Atha. epist. ad Dracontium Tom.1. p.263.*

23. Ex Monachis autem presbyteros, & Episcopos ea ætate ordinatos fuisse, multis exemplis constat; quare Athanasius Dracontium monachum, qui cum Episcopus ordinatus esset, episcopale munus contentiose nimis refugiebat, a adloquitur: *Non tu solus ex monacis ordinatus es, neque tu tantum monasterio præfuisti, vel solus a monachis delectus es, sed nosti Serapionem monachum esse, & tam multis præfuisse monachis, nec te præterit, quot monachorum pater fuerit Apollos. Nosti Agathonem, nec ignoras Aristonem, ac meministi Ammonii cum Serapione peregre profecti. Fortassis etiam ad te pervenit fama Muiti in superiori Thebaide commorantis, atque discere potuisti, quid Paulus, qui Lati degebat, egerit; ac similiter alii complurimi, qui tamen ordinati, non repugnarunt; sed Elisæi exemplo ducti, nec ignorantes, quid egerit Elias, gnari*

gnari quoque rerum ab Apostolis gestarum hanc suscepere curam, nec ministerium aspernati sunt; sed potius, cum laboris mercedem expectent, ipsi in melius proficiunt, dum alios ad profectum cohortantur .... Deinde: *Ne tibi igitur monachi impedimenta sint, quasi vero solus ex monachis ordineris; neque ipse excusationem adferas, quod hinc sis deterior evasurus, potes enim etiam melior fieri, si Paulum imiteris, & Sanctorum gesta*. Rursum post aliqua. *Quapropter cum tales tibi viri in exemplum sint propositi, dilecte Draconti, ne dicas, neu credas iis qui dicunt, Episcopatum esse peccati causam, atque hinc peccandi occasiones oboriri*. Tandem post plurima: *Ne tibi igitur talia objiciant consiliarii tui. Novimus enim*; ait, *Episcopos, qui jejunent, & Monachos, qui comedant*. Episcopos, etiam, qui signa edant, & Monachos, qui id minime præstent. Sunt quoque ex Episcopis multi, qui nunquam nupserint; Monachi autem reperiuntur, qui filios suscepere: quemadmodum vicissim Episcopos filiorum parentes, Monachos vero nullam posteritatem habuisse cernimus. Non enim corona Episcopis, aut Monachis quibuslibet promissa est, sed pro factorum ratione redditur. Quibus constat, exorto vix monachali instituto, Monachorum plurimos ab uno Athanasio ad Episcopale munus vocatos fuisse, quem alii sanctissimi viri imitati sunt, ut ex historiæ decursu patebit. JESU CHR. AN. 341.

24. Ceterum non una Monachis omnibus erat vivendi ratio, atque idem institutum; quamobrem Hieronymus ad Eustochium scribens, triplex Monachorum genus fuisse scribit. *Tria sunt*, ait, *in Ægypto genera monachorum. Primum* Cœnobitæ, *quod illi, Sauses, Gentili lingua vocant; nos, in communi viventes, possumus appellare: secundum* Anachoritæ, *qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod* Remoboth *dicunt, deterrimum, atque neglectum, & quod in nostra Provincia aut solum, aut primum est*. Cœnobitæ autem divisi per decurias, atque centurias sunt, ita ut novem hominibus decimus præsit; decemve Præpositi Centenario obediant; omnes vero junctis cellulis separati, usque ad horam nonam, qua adveniente, in unum congregati psalmos canunt, Scripturasque legunt; completisque orationibus, cunctisque residentibus, qui congregationi tanquam Pater præest, de perfectione assequenda, vitiisque vitandis sermonem habet, quo finito, unaquæque decuria ad

Monachorum variæ species. *Hier. epist. 22*

Cœnobitarum institutum.

ad mensam pergit, cui per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus interea strepitus, nemo comedens loquebatur, mensa vero leguminibus, ut plurimum, & oleribus instruebatur, vinum senibus tantum dabatur, quibus, & parvulis prandium sæpe parabatur, ut aliorum fessa sustentaretur ætas, aliorum non frangeretur incipiens. Finita mensa, hymnoque dicto ad sua reversi, mutuis se collationibus ad perfectioris vitæ profectum excitabant. Et quia nocte, præter orationes publicas, ut privatas unusquisque in cubili suo diceret consuetudo ferebat: *Singulorum cellas Decani circuibant, & aure apposita, quid facerent, explorabant, tardiores excitantes. Quod quisque manibus suis operabatur, Decano in singulos dies offerebat*: hic vero per singulos menses Patri omnium reddebat; ex communi etiam cella & penu ad victum vestitumque necessaria præstabantur: *Iis præcipue, qui quacumque laborabant infirmitate, quibus*, ut ait Hieronymus, *tanta cura, diligentiaque inserviebatur, ut nec delicias urbium, nec matris affectum desiderarent*. Dominicis autem diebus orationi tantum, & lectionibus vacare *solemne erat*; *omnique tempore Scripturarum sacrarum lectioni vacare*. Jejunium totius anni æquale erat, excepta quadragesima, in qua concedebatur districtius vivere. A Pascha ad Pentecosten cœnæ in prandia mutabantur, ut & traditioni Ecclesiasticæ satisfacerent, & ventrem cibo non gravarent, ait Hieronymus de Cœnobitarum vivendi ratione loquens, de quibus plura Basilius, Cassianus, Climacus, aliique adnotant.

Apud Holstenium collectio regularum monachalium.

Monialium institutio.

August. de moribus Eccl. cath. cap. 31.

25. De Monialium vero moribus, & disciplina hæc habet Augustinus: *Hæc est etiam vita fœminarum Deo sollicite, casteque servientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ a viris quam longissime decet, pia tantum illis charitate junguntur, & imitatione virtutis; ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum, ac probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi, quibus indigent, gratia. Lanificio namque corpus exercent, atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem, quod victui opus est, resumentes*. De fœminarum monasteriis in Ægypto hæc etiam Hieronymus ad Sabinianum: *Moris est*, inquit, *in Ægypti, & Syriæ monasteriis, ut tam Virgo, quam Vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renunciantes omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant de-*

Hier. epist. 147

se-

secandum, non intecto, postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter, ac velato. Jesu Chr. An. 341.

26 De Anachoretis vero addit: *Hi exeunt de cœnobio, & excepto pane, & sale ad deserta nihil perferunt amplius. Ipsius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora conscendam, Princeps Joannes Baptista*. De tertia Monachorum specie addit Hieronymus, eos nec solitariam, aut cœnobiticam vitam duxisse, sed binos, vel ternos simul suoque arbitratu vixisse, & ut plurimum in urbibus, & castellis habitasse, inter quos frequentiora vigebant jurgia, utpote qui suo viventes arbitrio, non facile paterentur se alicui esse subjectos. Deinde: *Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, calligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio Virginum, detractio Clericorum; & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum*. His similes erant ii, quos Cassianus *Sarabaitas* dictos esse tradit: *Emersit istud Sarabaitarum genus, qui ab eo, quod semetipsos a Cœnobitarum congregationibus sequestrarent, ac singillatim suas curarent necessitates, Ægyptiæ linguæ proprietate Sarabaitæ nuncupati sunt*; de quorum moribus plura ibidem refert.

De Anachoretis, aliisque Monachis.

Cassian. col.18 cap.7.

27. Pejores adhuc erant ii, qui teste Augustino, sub pietatis prætextu, Monachorum habitu provincias circumcursantes, quæstum faciebant: *Tam multos hipocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit* (humani generis hostis) *circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes*. Quorum alii membra Martyrum venditabant, alii ad parentes, vel consanguineos in longinqua regione se pergere simulabant, atque interea aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ prætium sanctitatis exigebant; quo fiebat, ut Monachorum propositum etsi sanctum, & bonum blasphemaretur, *quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare*, ajebat Augustinus.

De Monachis vagis.

Aug. de opere Monach. c.18.

28. Monachorum vitia, quæ sane nec levia, aut pauca antiquitus etiam fuerunt, monasticæ vitæ auctoribus, aut institutis non sunt tribuenda, sicut Christianorum peccata Christo, aut Evangelio adscribi nequaquam possunt. Quamobrem inique prorsus monastica disciplina a Novatoribus explosa est, suisque finibus exterminata. Istos quidem Donatistis similes dixerim, qui cum monasticam disciplinam abjecissent, Catholicis objicie-

Monastica vita immerito a Novatoribus explosa.

JESU CHR. AN. 341. ciebant, quod Monachorum nomen in sacris Litteris scriptum non esset; hinc ajebant: *Quid sibi vult nomen Monachorum?* & iterum: *Nobis dicunt*, (Donatistæ) *ostendite ubi scriptum sit nomen Monachorum*, quibus Augustinus inter cetera: *Quare ergo & nos non appellamus Monachos, cum dicat psalmus*: Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare Fratres in unum &c.? *Merito insultant nomini Unitatis, qui se ab unitate præciderunt, merito illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus, sed sequentes Donatum, Christum diviserunt*. Eadem ratione hi Lutherum, aut Calvinum sectantes, ab Ecclesia Catholica extorres facti, Monachos cum monastica disciplina, Donatistarum exemplo exterminandos impie susceperunt.

August. in psalm. 132.
Psalm. 132.

Symbolum Athanasii *Quicumque* Apocriphum.
Bar. 340. n. 11. ad 15.
Card. Thomas in append Psalterii dilucidati.
Ruffin. l. 10. 29

29. Sed ad Athanasium, unde ad hæc digressi sumus, redeuntes, Symbolum, quod ejus nomine circumfertur, ad obtinendam Romanæ Ecclesiæ communionem, editum ab ipso hoc tempore nonnulli existimant. Alii vero anno 363. in synodo Alexandrina, quæ, Ruffino auctore, pleniorem de Spiritus sancti Divinitate tractatum habuit, eam Fidei confessionem Athanasium edidisse scribunt, quæ ab Eusebio Vercellensi, qui eidem synodo interfuit in latinum translata per Occidentem dimanavit. Athanasio sane inscriptam fuisse testantur Toletana Synodus quarta anno 633., & Augustodunensis anno 663., ne posteriores Scriptores memorem, Ratramnum Corbeiensem Monachum, Hincmarum Rhemensem, aliosque sexcentos inferioris ævi; perperam tamen Athanasio Symbolum tribuitur, quod vel Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo, qui sæculo quinto desinente floruit, vel ignoto auctori inscribendum esse, eruditorum plurimi jamdiu ostenderunt, uti videre est apud Mauriuos Operum s. Athanasii editores tomo 2. pag. 709., & seq. Quesnellum dissert. 14. ad opuscula s. Leonis Papæ, Natalem Alexandrum Historiæ Ecclesiasticæ sæculo IV. cap. 6. num. 8., Pagium ad annum Baronii 340. num. 8., Vossium de tribus Symbolis, & ceteris ommissis, Blanchinium nostrum dissertatione prævia ad enarrationem Athanasiani symboli, quod e tenebris erutum, typis publice vulgavit.

JESU

JESU CHR. AN. 342.

JESU CHRISTI AN. 342. JULII PAPÆ 6.
CONSTANTII, ET CONSTANTIS IMP. 6.
COSS. CONSTANTIO AUG., ET CONSTANTE AUG. II.
OLYMP. 271. AN. 2. URBIS AN. 1095.

Bella, & terremotus Imp. affligunt. Socrat. l.2.10

1. Varias gravesque clades Romano Imperio hæc ætas tulit; nam, ut ait Socrates, *Francorum gens in Gallias irruptione facta, Romanorum agros vastavit. In Orientis vero partibus per idem tempus gravissimi terremotus fuere, ac præcipue Antiochiæ, quæ anno integro continuis terremotibus concussa est.* Idaciani tamen fasti Antiochiam a terremotu, qui Orientem vexavit, excipiunt, vel nihil damni passam esse produnt, ita enim ad annum 341.: *Terremotus fuit ad Orientem per totum annum preter Antiochiam.* Adversus Francos Constantem pugnasse, atque illos anno currente, vicisse ex Hieronymi chronico intelligitur, & a Socrate confirmatur, quo teste duobus Augustis *Coss. Constans Francos bello superatos, socios ac fœderatos populi Romani effecit*; Idacius vero ad hunc annum scribit: *Victos Francos a Constante Augusto seu pacatos*. Ejus victorias multis celebrat Libanius oratione tertia, quare de Constante scripsit Eutropius, *quod rebus plurimis strenue in militia gestis fuerit exercitui per omne tempus vitæ sine gravi crudelitate terribilis*. Hoc etiam tempore adversus Constantium bellum Persicum instabat; unde Orientales Episcopi, seu potius Eusebiani, hunc quoque prætextum, ne Romanæ synodo adessent, adduxerunt: *Ob Persarum bellum nequimus*, ajebant, *accedere*. Quam futilem ipsorum excusationem refutans Athanasius: *Quid*, inquit, *ad Episcopos bellum, & quare præpedientur Persarum bello, quin Romam petant, longinquam & transmarinam urbem?*

Hier. Idacni in Chron. Socrat. l.2.10. 13. Liban. orat.3 Eutrop. l.10. Julii epist. apud Athan. Apol. Tom.1. p.145. Hist. Ariani ad Mon. p.350

Romana Synodus Athanasium absolvit, & Eusebianos condemnat. Athan. epist. p.140. Pag.145.

2. Uti Romam Sede sua pulsus advenit Athanasius, alteras ad Eusebianos epistolas dedit Julius Romanus Pontifex, *misitque in Orientem duos e presbyteris suis Elpidium, & Philoxenum*; *illi vero*, idest Eusebiani, *accedere renuerunt, absurdas causas commenti, sed revera timentes, ne de iis convincerentur, quæ Valens, & Ursacius postea confessi sunt*, ait Athanasius. *Ii autem, quibus accedere non libuit*, inquit Julius in epistola ad eosdem, cum *presbyteros*, idest Julii legatos Elpidium, & Philoxenum detinuissent, *usque ad mensem Januarium*

JESU CHR. AN.342. anni labentis, epiſtolas querelarum plenas, ac Apoſtolicæ Sedi injurioſas tandem ad Julium miſerunt, quibus acceptis Julius Pontifex eaſdem *apud ſe retinuit ſperans eorum aliquos*, mutato conſilio, *venturos eſſe, nec epiſtola opus fore, quæ ſi palam prodiret, multos dolore afficeret*. Cum autem *annum, & menſes* Pag. 148. *ſex* Euſebianorum adventum Athanaſius fruſtra Romæ expectaſſet; tandem Julius Pontifex, coacta ſynodo, cui Epiſcopi *plus quinquaginta* adfuerunt, ex Italia, aliiſque provinciis, in ec- Pag. 140. cleſia, *ubi Vito Preſbyter conventus agebat*, audita Athanaſii defenſione, eumdem *ad communionem, & Agapem* admittendum eſſe ſtatuit. Attamen ante Romanam ſynodum eccleſiaſticæ Communionis participem fuiſſe Athanaſium, non dubitamus; namque in epiſtolis ſuis ante Romanam ſynodum Euſebiani inter cetera etiam conquerebantur, quod Athanaſium Antiochena ſynodo damnatum, in ſuam communionem Julius recepiſſet. Quocirca cum Athanaſius a Romana ſynodo ad communionem admiſſus dicitur, intelligendum eſt, tunc cauſa plenius cognita, ſynodali ſententia ad communionem fuiſſe receptum, reſciſſis omnibus, quæ adverſus illum in Tyrienſi, aut Antiochena ſynodo geſta fuerant, ita ut non ſolum in Romanæ, ſed & in totius Eccleſiæ communionem admitti poſſet. De geſtis in Romana ſynodo idem Athanaſius hæc litteris tradi- Epiſt ad Mon. Tom.1. p.352. dit: *Romæ vero coacti Epiſcopi plus minus quinquaginta, Euſebium, & ſocios utpote ſuſpectos, ac metuentes accedere, nequaquam receperunt, immo eorum reſcripta irrita fecerunt, nos autem admiſere, noſtramque communionem amplexi ſunt*.

Romanæ Eccleſiæ in judicando moderatio, & dignitas.

3. Hic porro admirari ſubit Romanæ Eccleſiæ in judicando gravitas; nimirum cum tot ſycophantiæ, ac perfidiæ argumenta adverſus Euſebianos extarent, nihilominus recepto in communionem Athanaſio, atque reſciſſis adverſus eum geſtis, in Euſebianos anathematis ſententiam Romani Patres non dixerunt; ſed tantummodo eoſdem a Romanæ Eccleſiæ communione ſuſpenſos declararunt, ſeu ut habet Athanaſius, *nequaquam* (in communionem) *receperunt*, ut eo modo iiſdem pœnitentiæ locum relinquerent. Eadem fere de Romana Synodo Socrat. l.2.15 Sozom. l.3.8. narrant Socrates, & Sozomenus, qui & addunt: *Julium Pontificem pro ſuæ Sedis prærogativa* Athanaſium, alioſque ab Euſebianis Epiſcopatu abdicatos, ſuis Sedibus reſtituiſſe, atque in Orientem remiſiſſe; nam uti Sozomenus præſertim adnotat: *Cum propter Sedis Romanæ dignitatem omnium cura ad ipſum*

ſpe-

spectaret, *suam cuique Ecclesiam restituit*. *Scripsit etiam Orientalibus Episcopis*, *reprehendens eos*, *quod in supradictorum causis non recte judicassent*, *& quod Ecclesiarum statum turbarent*, *& quod decretis Nicæni Concilii minimè acquiescerent*. Extat porro Julii Pontificis de hac re ad Orientales epistola. JESU CHR. AN. 342.

4. Athanasii causa coram Romana synodo pertractata, lectisque Eusebianorum epistolis, quas ad Julium Pontificem dederant, Episcopi congregati *vehementer adversus eos* (Eusebianos scilicet) *indignati Julium rogarunt*, *ut Eusebianis*, *qui ad se litteras miserant*, *rescriberet*, ait Athanasius. *Scripsit igitur Julius*, *& epistolam per Gabinianum Comitem misit*. Epistolæ autem hæc erat inscriptio: *Julius Danio*, seu, ut legendum putant Athanasii Editores, Theognio Nicænsi Episcopo, inter Arianos celeberrimo; alii cum Baronio Dianeo Cæsariensi Episcopo, quem Antiochenæ synodo adfuisse ex Sozomeno scimus. Itaque *Julius Danio*, *Flacillo*, *Narcisso*, *Eusebio*, *Mari*, *Macedonio*, *Theodoro*, *& sociis eorum*, *qui Antiochia nobis scripsere*, *delectis fratribus in Domino salutem*. Epistolæ autem initio Eusebianorum arrogantiam, qua eloquentiam ostentantes Julio scripserant, his verbis arguit.

Julii Pontificis epistola ad Orientales. *Athan. Apol. pag.* 140. 141. *Præf. in oper. Athan p.* 322. *Athan. vita p.* 38. *Sozom. l.* 3. 5. *Basil. vita p.* 61.

5. *Legi litteras a Presbyteris meis Elpidio*, *& Philoxeno mihi allatas*, *miratusque sum*, *cum nos ex dilectione*, *& veritatis conscientia scripsissemus*, *a vobis contentiose*, *& citra decorem*, *rescriptum esse*: *superbia enim*, *& arrogantia scribentium per epistolam sese prodebat*; quod ex eorum gestis, eorumque epistola probat. Hinc diu eam occultasse, ait, sperans eorum saltem aliquos esse venturos, rationemque gestorum reddituros. Cum vero nullo adveniente necesse fuit illam proferre, omnes admiratione captos fuisse addit, quod Orientales Episcopi ea ad Julium Pontificem scripserint, quæ sæcularem magis eloquentiam, quam ecclesiasticam saperent modestiam. *In rebus* enim *ecclesiasticis*, inquit, *non specimen eloquentiæ quærendum est*, *sed canones Apostolici*; *ac studendum*, *ut ne unus quidem ex pusillis*, *qui in Ecclesia sunt*, *scandalizetur*.

Eusebianorum superbiam Julius arguit. *Apud Coutan. pag.* 3. 54.

6. His generatim de eorumdem arrogantia, & affectata eloquentia prænotatis, ad ipsorum querelas sic respondet, eosdem præcipue arguens, quod ad synodum Romanam vocati, adesse recusassent: *Quid autem actum est dignum querela*, *aut quibusnam epistolæ meæ dictis vobis succensendum fuit*? *An quia hortati sumus*, *ut ad synodum accederetis*? *atqui illud cum gau-*

Eusebianorum querelis Julius respondet.

Jesu Chr. an. 342.

dio potius excipiendum fuit. Qui enim rebus a se gestis, aut ut ipsi ajunt, judicatis, non diffidunt, non indigne ferunt, si ab aliis judicium suum examinetur; sed fiduciam habent, quod quæ ipsi juste judicarunt, injusta nunquam fieri valeant. Quocirca Episcopi in magna synodo Nicæna congregati, non citra Dei consilium, prioris synodi acta, in alia synodo disquiri permiserunt, ut qui judicarent, præ oculis habentes secundum futurum esse judicium, cum omni cautela rem expenderent, & qui judicarentur crederent, se non ex priorum Judicum odio, & inimicitia, sed juste judicatos esse. Quod si hujusmodi consuetudinem antiquam sane, in magna Synodo memoratam, descriptamque, apud vos valere nolitis, indecora fuerit ejusmodi recusatio. Morem namque qui semel in Ecclesia obtinuit, & a synodis confirmatus est, minime consentaneum est a paucis abrogari.

Eusebiani Nicænæ Synodi Violatores declarantur.

7. Eorum etiam querelas manifestæ impudentiæ ex eo præcipue arguit, quod ipsi per suos Legatos Martyrium, & Hesychium causam Julio judicandam detulissent; atque ut Romæ synodum congregaret, enixe rogassent, ut ibidem pluribus Julius prosequitur: *Quapropter indignatio eorum, qui hoc ægre ferunt, proterva est*, inquit, *detrectatio vero eorum, qui venire noluere, inhonesta, & suspecta hinc deprehenditur*. Cumque Julium arguissent, quod spreta Antiochenæ synodi auctoritate, Athanasium in communionem suam admisisset; quando *quælibet synodus firmam habet auctoritatem, & contumeliose agitur cum judice, si ejus judicium ab alio examinetur*; adderent præterea Novati, & Pauli Samosateni exempla, qui a Romana, & Antiochena damnati synodis, eorum causa a nemine imposterum retractata fuerat; his merito respondebat Julius, *multo magis decuit, trecentorum Episcoporum decreta non irrita fieri, nec universalem Synodum*, Nicænam, *a paucis contemni*. Tum: *Considerate quæso, ait, dilecti quinam sunt, qui synodum inhonorant, & quinam aliorum judicata rescindunt*. An scilicet ipse, qui iniquam eorum sententiam Antiochiæ latam retractaverat; an ipsi, qui Alexandri, & Athanasii, ac Episcoporum Ægypti Alexandriæ congregatorum, & quod audacius erat, Nicænæ synodi sententiam violaverant; dum Arianos ab Alexandro, ab Athanasio, ab Ægyptiis Episcopis, & a Nicæna synodo anathemate perculsis, communioni Ecclesiæ restituerant, & Ecclesiis præfecerant; quorum temeritatem pluribus exagerans in sua epistola Julius, gravissime arguit, eo quod Athanasium gravissimis calumniis, aper-

apertisque mendaciis opprimere, ac perdere sæpissime tentassent. Quanta dein maturitate Athanasii causam pertractaverit, pluribus exponit, subditque: *Post tot tamen, tantaque a nobis gesta, nos criminati estis, quasi contra Canones egerimus. Perpendite igitur, quinam contra Canones agunt; nos ne, qui post tanta innocentiæ argumenta virum recepimus, an qui triginta sex mansionibus distantes Antiochiæ, extraneum quemdam Episcopum nominarunt* (idest Gregorium), *eumque Alexandriam miserunt militari manu stipatum*. Deinde de illegittima Gregorii ordinatione, & de spreta Romanæ Ecclesiæ sententia multa addit.

Gregorii ordinatio illegittima probatur.

8. *Primum enim si vere dicendum est, non oportuit, cum ad cogendam Synodum litteras misissemus, aliquos judicium Synodi prævertere; deinde non decuit hoc adversus Ecclesiam innovari. Qualis enim canon ecclesiasticus, aut qualis Apostolica traditio hoc præfert, ut pacem agente Ecclesia, ac tot Episcopis cum Athanasio Alexandriæ Episcopo consentientibus, Gregorius mittatur, externus homo, qui non illic est baptizatus, qui compluribus ignotus est, nec a Presbyteris, vel ab Episcopis, vel a plebe postulatus; sed in Antiochia ordinetur, Alexandriam vero, non cum Presbyteris, vel Diaconis Urbis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus transmittatur? Hoc namque haud sine querela ajebant, qui huc venere. Etiamsi enim post Synodum reus deprehensus fuisset Athanasius, non decuit sic præter jus, fasque, & contra ecclesiasticum canonem ordinari quempiam; sed in ipsa Ecclesia, ex ipso sacerdotali Ordine, ex ipso Clero, ab Episcopis provinciæ illius constitui oportuit, & nequaquam nunc Apostolorum canones violari. Si enim in quemquam vestrum tale quidpiam commissum esset, nonne clamassetis, nonne violatorum canonum vindictam postulassetis?* Post hæc commemorat, quæ in Gregorii introitu, ipsoque instante per Philagrium Præfectum gesta fuerant adversus Clerum, & Populum Alexandrinum, de quibus jam supra egimus, ex quibus magis magisque constabat, illegitimam fuisse Gregorii ordinationem. Ad ea vero, de quibus conquesti fuerant Orientales Episcopi, quod non omnibus, sed solis Eusebianis scripserit, ita respondet: *Miror autem hanc epistolæ vestræ partem, qua vel scribere ausi estis, me solis Eusebianis, & non omnibus vobis scripsisse: levitatem enim potius quam veritatem in expostulantibus invenire est. Mihi enim, qui non aliunde litteras contra* *Atha-*

JESU CHR. AN. 342. *Athanasium accepissem, quam a Martyrio, & Esychio, necesse fuit illis, qui contra eum scripserant, respondere. Oportuit igitur aut Eusebianos non solos, absque vobis omnibus scribere, aut vos, quibus non scripsi, non moleste ferre, si illis rescriptum sit, qui mihi scripserant. Nam si decuit epistola ad vos omnes mitti, par fuit etiam vos una cum illis scripsisse.* Deinde Orientales admonet ne commoverentur, aut mirarentur, quod solus, & suo nomine ad eosdem scripserit; nam testatur: *Non solum mei esse istam sententiam, sed & omnium, qui in Italia sunt, & qui in his partibus degunt Episcoporum.... Quapropter*, subdit, *dilecti, etiamsi solus scribo, omnium tamen hanc esse sententiam agnoscite.* Vanos quoque prætextus ab Orientalibus adductos, ex temporis scilicet angustia, & ex bello Persico petitos, unde se excusaverant, quod Romam ad Synodum non venerint, nullos esse demonstrat; nam cum perfidia sua Orientis Ecclesias turbaverint ipsi, *qui talia egerunt*, ait, *indicantur non temporis conditionem hujusce rei causam esse, sed accedere nolentium consilium.*

Marcellus Ancyræ, aliique innocentes dicti.

9. Hæc ad Orientales Julius Pontifex, quibus ea subdit, quæ in Marcelli Ancyrani, aliorumque Episcoporum causa gesta fuerant; isti nempe cum ab Arianis eamdem cum Athanasio persecutionem paterentur, ad Romanam Ecclesiam, tanquam ad tutissimum portum confugerant; hinc Julius eodem loco: *Non enim*, ait, *Athanasius dumtaxat, & Marcellus Episcopi huc se contulere, ac secum injuste actum esse conquesti sunt; sed etiam quamplurimi alii ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palestina, & una Presbyteri non pauci; atque alii quidam Alexandria, aliique ex aliis partibus ad Synodum hic coactam accessere, qui coram omnibus Episcopis congregatis, præter alia in medium prolata, conquesti sunt insuper Ecclesias vim injuriamque esse perpessas; ac in suis aliisque ecclesiis paria iis, quæ Alexandriæ gesta esse affirmarunt, non solum verbo, sed ex rebus ipsis. Ex Ægypto quoque, & Alexandria nuper cum litteris advenientes Presbyteri, haud sine querela, & gemitu testati sunt, Episcopos complures, ac Presbyteros, qui ad synodum se conferre vellent, prohibitos fuisse.* Iisque referentibus se accepisse addit post Athanasii discessum, Episcopos, aliosque Confessores plagis laniatos, alios in carcere detentos, ac antiquos præsules, qui multos annos in Episcopatu transegerant, ad ministeria publica traditos fuisse, omnesque fere Ecclesiæ Catho-

tholicæ Clericos, & Populos insidiis appeti, & persecutionem pati. Marcellum autem jure, & recte in communionem fe susceptisse, inde demonstrat: *Quod cum expostulassemus, ut fidem suam exponeret, tanta cum fiducia per se ipse respondit, ut nobis exploratum fuerit, eum nihil a veritate alienum profiteri, cujus rectam fidem testimonio suo confirmarunt Presbyteri quoque nostri, qui Nicænæ synodo adfuerant. Cum ergo*, subdit, *ille recte sentiret, & de recta ejus fide testimonium proferretur, quid quæso de illo nobis faciendum fuit, nisi ut eum pro Episcopo haberemus, ut & habuimus, & eum a nostra communione non abjiceremus?* JESU CHR. AN. 342.

10. Reliqui autem Episcopi, qui ab Arianis vexati Romam confugerant, fuere Lucius Hadrianopolitanus Arianorum ferro atque perfidia semel & iterum vinculis constrictus, Paulus Constantinopolitanus, Theodolus Trajanopolitanus, Olympius Æuorum ex Syria, Cymatius Palti, Cymatius alter Aradi, Cyrus Bæreæ, Carterius Antaradi, Ephranion Balneæ, ex Phœnicia Hellanicus Tripolitanus ab Arianis sæpe vexatus, aliique, quorum alibi Athanasius meminit, quos omnes utpote injuria ab Arianis affectos, sedibusque suis ejectos, Julius Pontifex cum Romana synodo communioni Ecclesiæ, ac sedibus suis restituit, etsi de Athanasio, & Marcello tantum in epistola sua id asserat; quorum causam præcipue ibidem agit. De aliis Episcopis ab Arianis vexatis. *Socrat. l. 2. 15* *Sozom. l. 3. 8.*

11. Tandem Eusebianos pluribus hortatus est Julius, ut ad saniora consilia redirent, atque ab Ecclesiarum perturbatione cessarent: *Operam date*, ait, *ut viscera misericordiæ habentes, ea corrigantur, uti supra dixi, quæ contra Canonem gesta sunt, ut si quid mali antevertit, id vestro studio emendetur*. Et post aliqua, quibus Romanæ Ecclesiæ primatus supra omnes Ecclesias mirifice commendatur: *Sufficiunt enim, quæ facta sunt*; addit, *sufficit quoque præsentibus Episcopis Episcopos in exilium actos esse. Qua de re non est prolixior sermo habendus, ne gravari videantur, qui tum adfuere. Nam si vere dicendum, minime decuit ad hæc usque facinora procedere, aut eousque has dissensiones progredi. Esto, sint Athanasius, & Marcellus, uti scribitis, a suis Sedibus moti; sed quid de aliis dicatur cum Episcopis, tum Presbyteris, qui ex diversis locis, quemadmodum dixi, huc se contulere? Nam isti quoque se abreptos, & istiusmodi calamitatibus afflictos esse testati sunt &c.* Quare si aliqua eorum culpa fuit, juxta Ecclesiasticum Canonem rem judicari Julii Pontificis ad Eusebianos exhortatio.

JESU CHR. AN. 342. cari decebat, ac omnibus rescripsisse, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur.

Sine Romani Episcopi consensu Episcopi exauctorari non debent. 12. *Cur autem de Alexandrina potissimum Ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc, quod justum est decernatur? Sane si aliqua hujusmodi suspicio in illius Urbis Episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam illud rescribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, posteaquam quod libuit, egere, nos quibus ea crimina explorata non sunt, sibi suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non hæc Patres tradiderunt; sed aliena est ista forma, novum hoc institutum &c.* Hæc aliaque Julius Papa in epistola ad Orientales, quam integram fere Annalibus inseruimus, quod multa complectatur, quibus hujus temporis historia illustratur, & Romanæ Ecclesiæ dignitas, & jura mirifice comprobentur.

De appellatione Episcoporum ad Romanum Pont. *Basnagii ad an. 342.* 13. Quæ de Romanæ Ecclesiæ dignitate, & præstantia ad Orientales Julius scribebat, alieno sensu, & absurda interpretatione Basnagius quidem exponit: Et ubinam gentium, inquit, reperitur mos ille a Julio laudatus, ut de litibus Orientis ad Romanum Pontificem scriberetur? Ita ut ad eum tanquam ad supremum Ecclesiæ Judicem ex toto orbe Christiano confugerent Episcopi, ad quem ideo Athanasius, & Marcellus, aliique appellaverant. Jamvero Julio Romano Pontifici rem publi-*Socrat. l. 2. 15.* ce profitenti atque Eusebianis exprobranti, Socrates, & Sozomenus etsi Græci scriptores concinunt; de eadem Athanasii causa agentes hæc ad rem adnotant: *Cum Julio Romanæ Urbis Episcopo causam suam exposuissent* Athanasius, Marcellus, aliique, ait Socrates, *ille, quæ est Romanæ Ecclesiæ prærogativa, liberioribus litteris eos communitos in Orientem remisit, singulis Sedem suam restituens, simulque perstringens illos,* (idest Eusebianos) *qui supradictos Episcopos temere deposuissent*; & *Cap. 17.* iterum, narratis his, quæ Antiochiæ contra Athanasium, aliosque gesta fuerant, eadem irrita fecisse Julium Pontificem, his verbis adnotat: *Rescribens*, Julius, *Episcopis, qui Antiochiæ convenerant, graviter conquestus est, primum quidem de acerbitate epistolæ ipsorum, deinde quod contra Canones ipsum ad synodum non vocassent, cum Ecclesiastica regula*, seu, ut ajebat Julius, Ecclesiæ consuetudine *interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesia decernatur.* In *Sozom. lib. 3. 8* eamdem rem audiatur Sozomenus: *Cum Athanasius*, inquit, Mar-

Marcellus, Paulus, Asclepas, aliique Episcopi profugi Romam convenissent: *Julius Romanus Episcopus cum singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicænæ Fidei doctrinam consentientes reperiisset, in communionem recepit; & quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit. Scripsit etiam Orientalibus Episcopis reprehendens eos, quod in supradictorum causis non recte judicassent, & quod Ecclesiarum statum turbassent*; & iterum de eadem controversia: *Ad Episcopos, qui Antiochiæ convenerant, scripsit Julius litteras quibus eos accusabat, quod Nicæni Concilii Fidem clanculo innovarent, & quod præter Ecclesiæ leges simul ad synodum non vocassent; legem enim esse Pontificiam, ut pro irritis habeantur; quæ præter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta*. Hactenus de his Socrates, & Sozomenus, qui sane Basnagium docere poterant, ubinam gentium mos ille a Julio laudatus reperiretur; ut cum de abdicatione Episcoporum agitur, ex Oriente etiam ad Romanum Pontificem appellaretur. Quare si Julio Pontifici, utpote de suæ Ecclesiæ privilegiis scribenti, fidem habere noluit; Socrati, & Sozomeno, quos Romanis Aulicis accensere non poterat, utpote Ecclesiæ Græcæ Scriptoribus, fidem sane poterat adhibere. Eumdem præterea morem ex Canone sexto Nicænæ Synodi educi commode posse adnotarunt viri doctissimi; confirmarunt etiam Sardicenses Patres Canone quarto, & quinto, de quibus infra suo loco nonnulla adnotabimus. Cum vero, uti egregie Augustinus statuit, ea, quæ semper, & ubique in Ecclesia servata sunt, nec concilio aliquo statuta fuisse constat, ex Apostolica traditione ea derivare quidem oporteat; facilis hinc moris origo patere poterat Basnagio. Quod si ad privilegia Petro ejusque successoribus divinitus conlata animum vel paullo advertisset, cognosceret utique oppugnatum ab se morem ipsius Christi auctoritate niti, quem constat Petro dixisse: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; &: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; & iterum: *Pasce Agnos meos, pasce oves meas*; aliaque his similima, quibus Petri supra ceteros Apostolos privilegia continentur. Sed de his hactenus.

14. Interea hoc eodem ineunte anno, Eusebius Arianæ factionis facile princeps, qui ex Berythensi Sede ad Nicomediensem, atque paulo post ex ea ad Constantinopolitanam transierat, vivere desiit, vir tantæ perfidiæ, ac ambitionis, ut digni-

[Margin notes: JESU CHR. AN. 342. — Cap. 10. — De Marca Concord. Sacerd. & Imp. l. 5. cap. 12. n. 3. Harduin. T. 1. pag. 640. — Eusebii obitus, cui Macedonius succedit.]

JESU CHR. AN. 342.

dignitatem Episcopalem ex Urbium celebritate tantummodo metiretur. Ipso sublato, *Populus Constantinopolitanus*, qui Nicænæ Fidei adhærebat; *Paulum denuo in Ecclesiam introduxit*, teste Socrate: *Ariani vero eodem tempore in Ecclesia, quæ ad Paulum dicitur, Macedonium ordinarunt Episcopum*. Cumque ea de causa cum Arianis Catholici dissiderent, Constantius Imperator, qui tum Antiochiæ morabatur, Hermogeni magistro militum jussit ut Paulum Ecclesia exturbaret. Verum Hermogenes Constantinopolim ingressus totam civitatem commovit; etenim cum Paulum militari manu expellere conaretur, exacerbata populi multitudo, uti in talibus fieri solet, violento impetu in illum ruit, domoque ejus incensa, pedibus tractum interemerunt. *Gesta sunt hæc duobus Augustis Constantio, & Constante iterum*, idest hoc anno. Hermogenis casum his verbis Idacius in Fastis commemorat *Tractatus Hermogenis*.

Socrat. l. 2. 12. 13.

Constantinopolitani ob seditionem a Constantio mulctati.

15. Constantius Imperator, audita Hermogenis cæde, statim Antiochia digressus, Constantinopolim petiit, & Paulum quidem urbe expulit; ipsam vero civitatem multavit ex annona diurna, quam Pater ejus Constantinopolitanis donaverat, adimens plusquam quadraginta millia modiorum, antea enim octoginta millia civibus erogabantur; Macedonium porro civitatis Episcopum designare distulit, quippe infensus erat etiam illi, non solum eo, quod præter ejus sententiam ordinatus fuisset, verum etiam eo quod ob seditiones inter ipsum, & Paulum excitatas, tum alii multi, tum magister militum Hermogenes interfecti essent. Passus ergo illum plebem colligere in Ecclesia, in qua fuerat ordinatus, rursus Antiochiam contendit. Macedonius porro, quem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum Ariani ordinarunt, non solum Arianæ hæresis patronus, sed & Macedonianæ auctor fuit, ut suo loco videbimus. Paulus Constantii jussu: *ferreis catenis vinctus Singaris Mesopotamiæ exulavit, illinc postea Emesam translatus*, ait Athanasius. In tanta autem temporum acerbitate, tantoque Arianorum furore, quoniam periculosum fuisset in Orientem, aut in Ægyptum redire, Romæ substitit Athanasius, cujus hoc tempore gesta penitus ignorantur.

Sozom. l. 3. 7.

Athan. epist. ad Monachos de hær. Arian. Tom. 1. p. 348.

JESU

Jesu Chr. an. 343.

JESU CHRISTI an. 343. Julii Papæ 7.
Costantii, et Constantis Imp. 7.
Coss. M. Moecio Mennio Furio Placido, et Fl. Pisidio.
Olymp. 280. an. 3. Urbis an. 1096.

1. Post debellatos anno superiore Francos, hoc in Britanniam Constans transierat, & quidem sæviente hyeme, ut Britannorum motus comprimeret, teste Marcellino. Julius vero Firmicus addit, eum ob Idola destructa victoriam adversus Barbaros reportasse: *Post excidia templorum*, ob legem anno 341. latam, qua Idolorum templa claudi jusserat: *Post excidia templorum, in majus Dei estis virtute provecti. Vicistis hostes, propagastis Imperium, & ut virtutibus vestris gloria major accederet, mutato ac contempto temporum ordine, hyeme, quod nec fiet, tumentes, ac sævientes undas calcastis Oceani sub remis vestris. Incogniti jam nobis pene maris unda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expavit.*

Constantis expeditio in Britannos.
Amm. Marcell. lib. 27. 8.
Jul. Firm. de errorib. prof. relig.
Leg. cod. de Paganis.

2. Audeorum hæresim quarto sæculo ineunte in Orbem irrupisse certum est: quo autem potissimum anno, dissidentibus scriptoribus, definiri non potest. Ad Arii tempora ejus initia Epiphanius alligat: *Hujus sectæ conditor fuit Audius sub Arii tempora.* Theodoretus, Valentiniani Imperio Audeum floruisse tradit: Hieronymus vero in Chronico ad annum 341. de Audeo, ejusque hæresi hæc adnotat: *Audeus in Syria clarus habetur, a quo hæresis Audiana.*

De hæresi Audeorum.
Epiph. hær. 70. n. 1.
Theod. hist. lib. 4. 10.

3. De hac agens Epiphanius Audeum sectæ auctorem, magnifico exornat elogio, quem & rectæ fidei, & sanctissimis moribus exornatum fuisse prædicat; ac ab Ecclesia recessisse addit, quod cum depravatos Episcoporum, aliorumque Clericorum mores mordaci stylo redargueret, ideoque flagellis, carcere, aliisque contumeliis ea de causa exagitaretur, una cum Episcopo, qui ob easdem contentiones ab Ecclesia defecerat, sibi quoque discedendum ab ipsa esse constituit. Quare apud Imperatorem accusatus, quod dictis, & exemplo schisma in Ecclesia excitasset, in Scythiam relegatus est; ubi inter Monachos præcipue ejusdem secta propagata est, quos optimis alioquin legibus erudiverat; ex Scythia ad intima Gothiæ progressus, *Gothorum plurimos ad fidem convertit.* Ab eoque ut narrat Epiphanius: *Multa monasteria in eadem Gothia facta sunt, & re-*

De Audeo hæresis auctore.
Epiph. hær. 70.
Epiph. ut sup.

Jesu Chr. an. 343. *& recte vitæ conversatio est instituta, virginitasque, ac exercitatio pietatis non vulgaris; est enim revera hic Ordo in valde admiranda conversatione, & omnia in ipsorum monasteriis recte se habent, exceptis his contentionibus.*

De Audeorum erroribus Theod. l. 4. 10

4. Multa porro a Catholica Fide aliena docuisse Audeum ejusque asseclas, auctor est Theodoretus, quos præcipue in Antropomorphitarum luto hæsisse affirmat. *Per id tempus Audeus quidam natione Syrus & lingua, novorum dogmatum inventor extitit, qui cum pravæ doctrinæ fœtum jam dudum parere cepisset, tunc primum in notitiam omnium venit.* Stulte quippe interpretatus hæc verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* Deum humana forma præditum fuisse docuit, & corporeis membris circumdatum. His alia adjunxit ex Manetis deliriis, ac Deum hujus Universi, nec ignis, nec tenebrarum conditorem esse docebat. Hæc tamen & alia id genus sectatores ejus occultabant, mentientes se ab ecclesiasticis conventibus segregatos agere, quod quidam ex Catholicis detestandas usuras exigant, quidam vero cum mulieribus, non legitimo matrimonio sibi sociatis, turpiter vivebant: *Est autem hic prætextus plenus superbia, ex Pharisæorum doctrina manans.*

Audæorum successio. Epiph. hær. 70

5. Mortuo Audeo, Audiana hæresis non est extincta; narrat enim Epiphanius, post illius obitum ejusdem sectæ Episcopos fuisse Uranium in Mesopotamia, & Silvanum in Gothia. Hisce tamen Episcopis fato functis, valde imminuta fuit Audiorum congregatio, cum præsertim persecutio in Christianos excitata fuisset. Ejus auctor fuit Rex, Romanis, & Christianis simul infensus Athanaricus, de quo infra sermo redibit. Audiani itaque e Gothia fugati *multi in nostris partibus delati cohabitant ab annis quatuor* (subdit Epiphanius), qui eorumdem numerum ita imminutum fuisse scribit; ut plura jam de ipsorum reliquiis addere pigeat. Hos ætate sua extinctos prorsus fuisse tradit Facundus, qui eos Basianos appellat: *Ut omittamus eos*, inquit, *quorum nomina abolita sunt cum hæresibus suis, idest Basianos, quos Antropomorphitas dicimus.* Augustinus etiam eosdem Uadianos dicit; sed de his hactenus.

Facund. lib. 8. August. hær. 50.

JESU

JESU CHRISTI An. 344. Julii Papæ 8.
Constantii, et Constantis Imp. 8.
Coss. Leontio, et Salustio.
Olymp. 280. an. 4. Urbis an. 1097.

Jesu Chr. an. 344.

1. Duplex eodem tempore Sapor Perfarum Rex bellum gerebat, adverfus Romanos fcilicet, & adverfus Chriftianos, quorum numerus ob longam pacem, quæ toto Conftantini Imperio viguerat, in immenfum excreverat. De utroque nunc agendum; & quod ad primum pertinet, aliquot jam antea annos cæptum, tamdiu viguit, quamdiu Conftantius imperavit; quin & fub Juliani Imperio prorogatum, aut reftauratum fuit, uti fuo loco videbitur. De variis porro iftius belli cafibus Scriptores diffident; cum alii Conftantii victorias celebrent, alii clades enarrent. Hæc nos cum Eutropio adnotabimus: *Diverfa Conftantii fortuna fuit. A Perfis enim multa, & varia perpeffus, fæpe captis opibus, obfeffis Urbibus, cæfis exercitibus, nullum ei contra Saporem profperum prælium fuit.* Quibus hæc Rufus addit in Breviario: *Conftantius in Perfas vario, ac magis difficili pugnavit eventu, præter leves excubantium in littore congreffiones, majori Marte novies decertatum eft, per duces fuos fepties, ipfe præfens bis adfuit.* Circa annum 342. exarfiffe bellum, ex eo fcimus, quod Orientales Epifcopi Julio fcripferant, fe Romanæ Synodo adefse non poffe, ob ingruens Perficum bellum, quam excufationem futilem, ac a propofito alienam fuifse Athanafius fcribit.

Belli Perfici diuturnitas, variique cafus. *Liban. orat. 3.*

Ammian. Marcell. l. 19. 20. 21. &c. Tillem. Tom. 4. hift. Imp.

2. Saporis perfecutionem ad Conftantini tempora referunt Sozomenus, & Theodoretus, cum de Conftantini epiftola ad Saporem agunt, qua Chriftianos Imperio fuo fubditos commendavit. Ad Conftantii tamen ætatem revocandam effe extra dubium eft; quin ejus initia Hieronymus, & Theophanes ad annum Conftantii feptimum alligant; atque inter cetera ita de ipfa fcribit Sozomenus: *Poftquam fucceffu temporis Chriftianorum numerus in Perfide accrevit, & per Ecclefias congregari, Sacerdotefque, ac Diaconos habere cœperunt, ea res non mediocriter offendit animos Magorum, qui velut gens quædam facerdotalis, per fucceffionem generis Perfarum religionem ab origine adminiftrant. Offendit etiam Judæos, qui præ invidia ipfis infita, natura quodammodo hoftes funt Chriftianæ Religionis.* Accu-

De Chriftianorum perfecutione in Perfide. *Sozom. l. 2. 9. Theodor. lib. 1. 24.*

JESU CHR. AN. 344. *Accusant igitur apud Saporem, qui tum temporis in Perside regnabat Simeonem Archiepiscopum Seleuciæ, & Ctesiphontis, quæ Urbes sunt Persidis nobilissimæ, ut qui amicus esset Imperatori Romanorum, eique res Persarum indicaret.* Quare Sapores primum quidem Pharaonis exemplo, gravissimis tributis Christianos oppressit, eorumque exactioni crudeles viros præfecit, eo consilio, ut Christiani penuria facultatum, & exactorum atrocitate obtriti, a Religione deficerent. Postea vero sacerdotes, ac ministros Dei gladio obtruncari, Ecclesias funditus everti; earum autem vasa, atque instrumenta Fisco applicari jussit. Simeonem vero quasi proditorem Regni, ac Religionis, variis modis, ut Solem adoraret tentatum, cum nec minis, aut promissis inflecti potuisset, *in vinculis aliquandiu detineri jussit, ratus, ut verisimile est, fore ut ipsum sui consilii pœniteret.*

Usthazadis pœnitentia.

3. Interea accidit, ut cum e palatio ad carcerem Simeon duceretur, Usthazades quidam senex eunuchus, nutritor Saporis, & præpositus Domus regiæ, assurgens eum salutaret, quem Simeon objurgavit, aversoque vultu præteriit. Nam cum Christianus esset, ut Saporis gratiam retineret, paulo antea Solem adoraverat; at ut se a Simeone præteritum vidit, statim flens, atque ejulans, candidam vestem, qua indutus erat, deposuit, atrisque sumptis vestibus, ante regiam consedit, cum lamentis, ac gemitu dicens: *Væh mihi! qualem sperare decet erga me fore Deum, quem negavi, quando ob hanc causam Simeon, olim familiaris meus, ne alloquio quidem me dignatus, sic jam refugit, atque aversatus est.*

Usthazadis confessio fidei & Martyrium

4. Hæc cum audiisset Sapores, accitum ad se Usthazadem causam luctus interrogavit, & utrum aliqua calamitas in ejus familia contigisset; cui respondit Usthazades: *Nulla, o Rex, calamitas in hac terrena familia mihi contigit. Utinam pro eo quod mihi accidit, in quasvis alias calamitates incidissem, melius utique mihi esset. Nunc autem lugeo, quod adhuc vivam, & qui dudum mori debueram, adhuc Solem video, quem tibi morem gerens, non ex animi mei sententia adorare visus sum. Itaque duplici nomine mortem promerui, tum quod proditor fuerim Christi, tum quod te deceperim.* Post quæ, impostreum sententiam minime mutaturum constantissime affirmavit. Itaque ob Eunuchi mutationem, graviore adhuc iracundia adversus Christianos exarsit Sapor, ac pro misericordia, quam erga senem affectus erat, omni studio curavit ut eum a proposito dimo-

dimoveret. Sed cum nihil proficeret, capite damnavit. Antequam vero plecteretur, Saporem rogavit Usthazades, ut pro officiis, quæ eidem ejusque patri præstiterat, Præconem clamare juberet, Usthazadem, non ut Regi infidelem, aut perduellem, sed uti Christianum capite plecti. *Sapores vero juxta petitionem Usthazadis præconem proclamare jussit; sic enim existimabat, reliquos omnes a Christiana Religione facile discessuros, si attenderent, nemini Christiano eum parciturum esse, qui senem nutritorem, & fidelem famulum interemisset. Verum Usthazades causam supplicii sui publice per præconem pronunciari idcirco expetiit, quod cogitabat se tunc, cum præ metu Solem adoravisset, multis Christianorum pavorem injecisse; nunc vero postquam didicissent, ipsum pro Christiana Religione interfectum esse, multos suæ virtutis imitatores futuros.*

Jesu Chr. an. 344.

5. *Hunc in modum Usthazades gloriosissimo exitu migravit e vita* (subdit Sozomenus). *Quod cum Simeones in carcere accepisset, gratias pro illo persolvit Deo, postera autem die, qui erat sexta feria ante festum Resurrectionis, Rex Simeonem quoque gladio obtruncari præcepit.* Perductus enim ad regiam, constanter admodum de Religione Christiana coram Sapore disputavit. Eademque die una cum Simeone centum quoque alii, ex quibus Episcopi plurimi, aut Presbyteri, diversorumque ordinum Clerici, quos Simeones proxime adstans, ut forti animo essent hortabatur, capitis obtruncatione martyrii palmam adepti sunt, ac tandem Simeon ipse capite truncatus est, & cum eo Abdecalas, & Ananias ejusdem Ecclesiæ Presbyteri.

Simeon Martyrium subiit, & cum eo centum alii. *Sozom. l.2.10*

6. Dum hæc fierent Pusices Præfectus fabrorum, conspicatus Ananiam trementem, cum pararetur ad necem: *Paululum temporis*, inquit, *o Senex, claude oculos tuos, & bono animo esto; mox enim videbis lumen Christi.* Quæ cum dixisset, illico comprehensus ad Regem perducitur; cumque se Christianum fassus fuisset, de doctrina Christianorum, & de Martyribus liberius locutus, novo & crudelissimo mortis genere jubetur occidi. Perfossa enim ejus cervice circa tendinem, spiculatores linguam ejus illac evulserunt. Eodem tempore *filia quoque ejus virgo Deo consecrata, delatione quorumdam comprehensa interficitur*, ait Sozomenus. Reliqua sequenti anno reservamus, quo facta sunt, nam subdit, *sequenti anno &c.* Horum Martyrum passionem ad annum usque 349. differendam esse censet cum Henschenio Pagius; aliorum vero, quos sequenti

Martyrium Pusices, & ejus filiæ virginis. *Sozom. l.2.11*

Pag. ad an. 343.n.3.

JESU CHR. AN. 344. quenti anno passos narrat Sozomenus ad annum 350., ea ratione potissimum, quod in Mœneis die 12., aut 22. Aprilis, ut in Romano Martyrologio, eorum memoria celebretur, quos feria sexta ante Paschatis festum passos fuisse tradit Sozomenus. Hinc cum Pascha eo anno 359. in diem 23. Aprilis inciderit, feria sexta cum die 21. optime concurrit. At cum Sozmenus diem quidem passionis indicet, feriam scilicet sextam ante Resurrectionis festum, annum vero reticuerit; nil prohibet, quin eosdem hoc anno passos dicamus die decimatertia Aprilis, quæ Parasceve erat: cum præsertim inverosimile sit, persecutione superiori, aut currenti anno excitata, quod & Pagius ibidem fatetur; tamdiu dilatum fuisse Simeonis, aliorumque martyrium, ita ut ab exortá persecutione, integro quinquennio Christianorum sanguini pepercerit Sapores, cum e contra testetur Sozomenus, persecutionis initia Usthazadis, Simeonis, aliorumque sanguine cruentata fuisse, uti a Ruinartio adnotatum est; & Evodio Assemanno.

Ruinart. acta Martyr. pag. 633. Evod. Assem. acta Mart. Orient. Tom. 1.

Neocæsarea terræmotu concussa; Gregorii Ecclesia remanet *Hier. Chron. Tom. 8. p. Greg. Nissen. vita Greg. Thaum. 2.*

7. *Eodem anno Constantii, & Constantis septimo*: qui cum præsenti concurrit: *Neocæsarea in Ponto subversa est terræmotu, excepta Ecclesia, ac Episcopo*, seu Episcopio, *ceterisque, qui ibidem reperti sunt*; ait Hieronymus, ideſt excepta Ecclesia ubi corpus s. Gregorii Thaumaturgi sepultum fuerat; quam inconcussam stetisse testatur etiam Gregorius Nyssenus: *Cum gravissimus aliquando civitati nostris temporibus terræmotus accidisset, atque omnes propemodum funditus periissent, omnibus tam publicis, quam privatis ædificiis collapsis, disjectis, ac desolatis, solum illud templum illæsum, & inconcussum mansit.*

JESU CHRISTI AN. 345. JULII PAPÆ 9.
CONSTANTII, ET CONSTANTIS IMP. 9.
COSS. AMANTIO, ET ALBINO.
OLYMP. 281. AN. 1. URBIS AN. 1098.

Antiochena synodus Arianorum, eorumque professio Fidei. *Athan. de syn. Tom. 1. p. 738.*

1. Hoc anno, coacto iterum ab Arianis Antiochiæ concilio, novam ibidem Fidei professionem ediderunt: *Post tres annos*, inquit Athanasius, *quasi horum pœniteret*, quæ hactenus gesserant, *rursus concilium suum coegerunt, miseruntque Eudoxium, Martyrium, & Macedonium in Cilicia Episcopum, cum iisque alios quosdam in Italiam, qui Fidei formulam plurimis conscriptam deferrent, multisque additamentis auctiorem, quam*

quam superiores ; non quasi recentiora quædam excogitassent, hæc secum attulere. Hæc fidei formula etsi ceteris longior esset, in eaque de dignitate, & excellentia Filii Dei supra ceteras res creatas multa congesserint, vix tamen melior, aut ad purgandum ab hæresis suspicione aptior erat ; quin fidem suam tanta verborum ambiguitate complexi sunt, ut incautos facile fallere possent, ac hæresis suspicionem, qua laborabant, avertere. Hinc ajunt: *Hæc coacti sumus post fidem compendio antehac editam fusius explicare, non superflua ambitione impulsi, sed ut alienam omnem de fide nostra suspicionem levaremus, eorum maxime, qui rerum nostrarum imperiti sunt, utque Occidentales omnes, cum adversariorum sycophantiæ imprudentiam, tum Orientalium Ecclesiasticam in Domino sententiam exploratam habeant, sinceroque divinitus inspiratarum Scripturarum testimonio confirmatam apud eos, qui mente minime perversa sunt.* Hæc Ariani; ipsa tamen fidei formula, quæ prima fronte orthodoxa videri potest, multa continet, quæ auctores suos Arianos prodit, quippe cum Filium Dei Patri consubstantialem cum Nicænis Patribus dicere recusarint. *Athan. de synod. pag. 741*

2. Insuper etsi de Dei Filio magnifica prædicare videantur, cum tamen natura Dei Filium esse aperte negant, ac Patris arbitrio, & voluntate genitum fuisse scribunt ; ita ut contingentem Filii Dei existentiam, non necessariam fuisse, ex eorum opinione sequatur. Hujusmodi Fide exposita Anathema dicunt in eos, qui Dei Filium ante incarnationem non fuisse docebant ; cujusmodi sunt *Sectatores Marcelli, & Scotini*, seu Photini, *qui Christi ante sæcula existentiam, & divinitatem, ejusque perpetuum Regnum cum Judæis inficiantur.* Ab Ecclesiæ quoque communione eos alienos judicant, *qui apud Latinos Patropassiani, apud nos Sabelliani vocantur.* Eadem de Arianorum conciliabulo tradunt Sozomenus, & Socrates : *Elapsis tribus annis, rursus Orientales Episcopi aliam Fidei formulam ad Occidentis Episcopos miserunt*, seu ut ait Socrates, *per Italiam missa est*, ac Episcopis Mediolani congregatis exhibita, ut anno sequenti videbimus. Triennium tamen, quo elapso, iterum hoc anno Antiochiæ Ariani Episcopi congregati sunt, vel ab anno 341., quo primum ibidem congregati aliam Fidei formulam ediderant, initium habuit ; vel ab anno 342., quo eamdem Fidei formulam per Legatos suos Constanti Imperatori exhibuerunt ; nam utrumque uno contextu ibidem narratur. Sed *Fidei formula hæresis suspecta. Sozom. l.3.11*

JESU CHR. AN. 346. *Valef. not. in Socrat. l. 2. 41* *Pag. not. ad an. 344.* *Basnag. an. 341*

five ab anno 341., five ab anno 342. hujus triennii initium sumatur, labenti 345. hæc secunda Arianorum Antiochena Synodus recte alligatur; cum integrum triennium ab anno 341. ad hunc excurrerit. Vero tamen fimilius est, illud triennium ab anno 342. computandum esse, ut Valesius, Pagius, Basnagius adnotant.

De Photino, ejusque hæresi. *Sulpic. hist. l. 2.* *Socrat. l. 2. 18. in fin.*

3. De Photino, quem Constantini temporibus damnatum fuisse falso tradit, ejusque hæresim incepisse memorat Socrates: *Cum inter Occidentales, & Orientales adhuc esset indiscreta communio*; ideft, cum Orientales Episcopi Arii partibus addicti, apertum schisma nondum ab Ecclesia fecissent; quod Sardicensis Concilii tempore postea contigit. Cum itaque mutua adhuc communione sociarentur: *Sirmii, quæ civitas est Illyrici, alia hæresis exorta est, nam Photinus ex minore Galatia, & Marcelli ejus, qui Episcopatu dejectus fuerat*, ab Arianis scilicet in synodo Constantinopolitana, *olim discipulus, magistri sui insistens vestigiis, Filium Dei nudum, ac simplicem hominem esse prædicavit*. Quid de Marcello dicendum sit, quem hoc loco Socrates ejusdem impietatis cum Photino accusat, videbimus infra anno 347., quo ejus causa in concilio Sardicensi examinata fuit; Photinus vero hoc tempore cum errores suos disseminare cœpisset, ab Arianis hoc anno in Atiochena Synodo damnatus fuit.

De Christianorum persecutione sub Sapore, ejusque edictis. *Sozom. l. 2. 11.*

4. Christianorum persecutio in Perside anno elapso excitata, currente sævior evasit: *Sequenti anno*, ait Sozomenus, *eo ipso die, quo Passionis quidem Christi memoria celebrabatur*, ideft feria sexta, *Resurrectionis vero expectabatur festivitas, crudelissimum edictum Saporis per universam Persarum ditionem propositum est, cuncti qui se Christianos confessi essent, mortis supplicio addicebantur*: *Quo quidem tempore ajunt innumerabilem Christianorum multitudinem gladio cæsam esse*. Magi enim per urbes, & vicos circumeuntes eos investigabant, qui se occultaverant; cum vero Christiani absque ulla miseratione trucidarentur, multi in ipso palatio necati sunt. Inter hos Azadas Eunuchus Regi longe carissimus, quem cum Sapores peremptum accepisset, incredibili dolore perculsus, generalem Christianorum cædem compressit, ac solos Christianæ legis doctores supplicio afficiendos imperavit.

Tarbulæ Virginis, & sociarum martyrium.

5. Inter ceteros hujusce persecutionis Martyres, Tarbula virgo cum duabus sociis maleficii accusata, pro Christi fide, & vir-

virginitate servanda, duplicem Martyrii coronam promeruit; Jesu Chr. an. 345.
nam cum Saporis uxor in morbum eo tempore incidisset, accusata est Tarbula virgo s. Simeonis Episcopi soror, quod maleficiis eam appetiisset, ut fratris necem ulcisceretur: quare una cum duabus ancillis, quarum una in virginitate consenuerat, altera post viri obitum in viduitate perseveraverat, comprehensa, capitali supplicio, bifariam dissectæ damnatæ sunt; Tarbula vero virgo, utpote decora admodum a Magis sæpe ad stuprum aut ad matrimonium, oblata pecunia & promissa incolumitate, tentata, cum in fidei, & virginitatis servandæ proposito perseverasset, glorioso martyrio victrix evasit; ut ejusdem Acta narrant apud Ruinartium, ac fusius apud Evodium Asemanum.

Sozom. l.2.11.

Ruinart. act. Marty. p. 642. Boll. die 22. Aprilis Evod. Assemen. acta n. Marty. T. 1

6. Cum itaque Saporis edicto Episcopi præsertim, ceterique clerici impeterentur, *Magi, & eorum Principes regionem Persarum circumeuntes, omni studio perquisitos Episcopos, & Presbyteros divexarunt, ac præcipue in partibus Adiabenorum. Hæc Persidis regio est, & ex maxima parte a Christianis habitata*. Ex his autem, qui pro fide certantes martyrii coronam meruerunt, Acepsimas Episcopus recensetur, qui cum clericis suis in carcerem conjectus, crudis primo loris verberatus, cum Solem adorare recusasset, Martyr occubuit; eodemque tempore Aithalas quoque, & Jacobus Presbyteri, & Azadanes, atque Abdiesus diaconi, ob doctrinam Christi a Magis crudelissime flagris cæsi, præter omnium opinionem in vita manserunt; atque in pristina sententia perseverantes, iterum in vincula conjecti sunt, ex quibus fuit etiam Aithalas: *Qui cum inter verberandum distenderetur, præ nimia extensione brachia ei ab humeris divulsa sunt, manus mortuas ac pendulas deinceps circumtulit, ita ut alii cibos ori illius admoverent*. De reliquis vero, qui in eadem persecutione pro Fide certantes martyrii coronam obtinuerunt, summatim hæc narrat Sozomenus:

Martyrium Acepsimæ Episcopi, aliorumque ex clero.

Sozom. hist. l.2.13.

7. *Sub eodem Principatu innumerabilis multitudo presbyterorum, diaconorum, monachorum, & sacrarum virginum, & aliorum, qui in Ecclesiis ministrabant, & pro doctrina fidei laborabant, martyrio consumpta est*. Inter Episcopos numerantur Barbasymes, Paulus, Gaddiabes, Sabinus, Mareas, Mocius, Joannes, Hormisda, Papias, Jacobus, Romas, Maures, Agas, Bochres, Abdas, Abdiesus, Joannes, & Abramius, Agdelas, Sapores, Isaac, & Dausas, qui quidem captivus

Martyrium Dausæ cum aliis 250.

Sozom l.2.13.

JESU CHR. AN. 345.

a Persis abductus fuerat ex loco quodam, qui Zabdæus dicitur. Tunc temporis vero pro Fidei doctrina occisus est una cum Mareabde chorepiscopo, & clericis suis ducentis circiter, & quinquaginta, qui omnes simul cum illo capti fuerant a Persis.

Millii Episcopi martyrium, aliorumque sexdecim millium. Sozom. l. 2. 14

8. De ceteris vero, quorum numerus & nomina ignorantur, hæc tandem addit: *Sub idem tempus Milles quoque martyrio perfunctus est. Hic initio quidem apud Persas militaverat; postea vero relicta militia, Apostolicam vivendi rationem æmulatus est. Cum autem Persicæ cujusdam civitatis ordinatus esset Episcopus, multa sæpe numero passus esse dicitur, & verbera, tractusque membrorum sustinuisse. Sed cum nemini illic persuadere potuisset: ut Christianus fieret, moleste id ferens, malum imprecatus est civitati, & alio migravit. Nec multo post, cum primores illius urbis in Regem deliquissent, immissus in eos exercitus cum trecentis elephantis urbem eorum subvertit, & aratrum solo impingens, velut in arvo sementem fecit. Milles vero peram dumtaxat gestans, in qua sacrum Evangeliorum codicem reconditum habebat, Jerosolymam orationis causa profectus est; atque inde in Ægyptum perrexit, ut monachos ibi degentes videret.* Ceterum quæ ea persecutione vigente contigerunt, aut quæ quantave suppliciorum genera Christiani toleraverint, neminem exponere posse addit; ac cunctos ejus temporis Martyres, tam viros, quam mulieres, quorum nomina recoluntur, sexdecies mille numero fuisse, ceterorum vero ne numerum quidem iniri posse.

Acta s. Sadoth Episcopi aliorumque 128. Martyr. Rom.

9. His addi possunt Sadoth Episcopus cum aliis centum viginti octo, quorum memoria die 20. Febr. recensetur, qui uti in Actis legitur, *sub Sapore Rege Persarum cum Solem adorare renuissent, crudeli nece præclaras sibi coronas pararunt*; quorum Acta ex Bollando Ruiuartius collectioni suæ inseruit.

Boll. 20. Febr. Ruinart. Acta Marty. p. 642

Etenim cum Sadoth in locum Simeonis Episcopi, & Martyris successisset in Sede Seleuciæ, seu Salec, & Ctesiphontis, a Simeone in visione admonitus fuit, ut se ad martyrium præpararet. Itaque cum carnificem expectaret: *Altero persecutionis anno*, ex quo Simeon coronatus fuerat, *prædictam ad urbem Salec, & Ctesiphontem venit Rex Sabosius (seu Sapor) ad quem delatus est Atleta laureatus Sadoth Episcopus. Missis ergo Rex Satellitibus, ipsum una cum ejus Clero, aliisque finitimæ Regionis Clericis, nec non Monachis, & Monialibus centum viginti octo comprehendit, atque omnes simul catenis fer-*

ferreis vincli, in carcere loco obscuro, & molesto ad menses quinque conclusi sunt, graves ærumnas, variasque difficultates tollerantes. Scelerati enim illi, & impii tibias funibus vincientes, & lumbos, humerosque lignis compingentes, ita eos extendere, ut ipsorum ossa non secus, ac lignorum fasces constricti striderent. Inter torquendum autem instabant verbis: Adorate Solem, & Regis voluntatem adimplete, & vivetis. Sanctus vero Sadoth, velut omnium ore respondens: Nos, inquit, in unam fidem, & unam potentiam, & veritatem pariter unam credimus, & in idem testimonium conspiramus, & unum Deum Cæli, Terræque conditorem adoramus, ipsique ex tota anima, totaque nostra virtute servimus: Solem vero, cum ipsius opus sit, non adoramus. Sed neque ignem veneramur; qui enim hæc condidit, ipse hominibus ea nobis ad obsequium concessit. Tentati iterum, cum in confessione persisterent, gladio percussi Martyres evaserunt: *consummati sunt autem hi 128. Martyres vigesimo mensis Februarij; Athletam vero Victorem, & Episcopum Sadoth, in aliam regionem Bethusam dictam, in urbem Bethlapar vinctum duxerunt; ibique caput ejus amputarunt.* Hactenus de Sadoth, sociorumque martyrio, quorum Acta etsi originalia non sint; eam tamen sibi auctoritatem vindicant, itaut inter acta sincera Ruinartius admemoranda existimaverit.

JESU CHR. AN. 345.

10. Hactenus dictis de Persica persecutione, ea Martyrum acta addi possent, quæ ex Oriente Romam asportata a viro eruditione, & doctrina clarissimo Josepho Assemano Vaticanæ Bibliothecæ custode, Stephanus Evodius Assemanus Archiepiscopus Apameæ, ejusdem Bibliothecæ post Josephum avunculum custos, Romæ vulgavit anno 1748. in nova collectione Actorum Martyrum Orientalium, & Occidentalium. Hujus collectionis auctorem Maruthar Tigridis, seu Martyropolis Episcopum fuisse scribit, quem sub Theodosio juniore claruisse scimus ex Socrate lib. 6. 15., & 7. 8. Tantæque Auctoritatis eam judicavit inter ceteros eruditissimus Orsius, ut eam collectioni Eusebii de Martyribus Palæstinæ æquari, aut epistolis Smirnensis Ecclesiæ de Polycarpi Martyrio, aut Ecclesiarum Lugdunensis, & Viennensis comparari, aut præferri etiam posse putaverit.

Alia multa Martyrum acta vulgata ab Assemano. *Acta Mrtyr. Orient. tom.1.*

Præf. in acta Mart. Orl ut Tom.1. Orf. hist. eccles. Tom.5. p.370.

JESU

Jesu Chr. an. 346.

JESU CHRISTI an. 346. Julii Papæ 10.
Constantii, et Constantis Imp. 10.
Coss. Constantio Aug. IV., et Constante Aug. III.
Olymp. 281. an. 2. Urbis an. 1099.

De Synodo Mediolanensi cui Orientales Fidei professionem exhibent.
Athan. de synod. p. 738.
Coutan. p. 425

1. Longiorem Fidei formulam ab Arianis Antiochiæ multa verborum ambiguitate conceptam, annoque elapso vulgatam, *per Eudoxium, Martyrium, Macedonium in Cilicia Episcopum, & cum iis alios quosdam in Italiam miserunt*, ait Athanasius; atque Mediolanensi Synodo obtulerunt, ut ex Liberii epistola ad Constantium data scimus: *Significant Orientales paci nostræ velle conjungi; quæ est pax, clementissime Imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi Demophylus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius* Arianorum Legati in Italiam missi, qui ante annos octo, ut subdit Liberius Papa: *Cum apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de Concilio animis iratis exierunt*.

Occidentales Episcopi Arianorum fidei formulam rejiciunt.
Socrat. l. 2. 20
Sozom. l. 3. 11.

2. Cum itaque Arianorum Legati Arii sententiam damnare noluissent, Occidentis Episcopi Mediolani congregati eorum Fidei formulam admittere recusarunt: *Occidentales Episcopi*, ait Socrates, *tum quod Græci sermonis ignari essent, tum quod ea minime intelligerent, nequaquam admiserunt* (Fidei formulam), *Nicænam fidem sufficere, nec quidquam amplius curiose inquirendum esse asseverantes*. Sozomenus vero: *Hanc Fidei expositionem, cum Eudoxius Episcopus Germanicæ, & Martyrius, ac Macedonius in Occidentem detulissent, Occidentis Sacerdotes suscipere noluerunt; Decretis enim Synodi Nicænæ se contentos esse dicebant*.

Athanasius, aliique Episcopi Mediolani congregati.

3. Mediolanensem Synodum Constantis Imperatoris jussu congregatam fuisse, ad eamque se quoque ab Imperatore vocatum scribit Athanasius. Quartus excurrerat annus, quo sua Sede pulsus, Romæ cum aliis quampluribus Episcopis, suis item sedibus pulsis exulabat; etenim etsi a Romana Synodo innocentes declarati fuissent, Arianorum tamen perfidia ad sua redire prohibebantur. Itaque cum hoc anno Constans Mediolanum advenisset, Episcopis plurimis postulantibus consensit, ut in Synodo ex Orientalibus Episcopis & Occidentalibus coacta, exulum Episcoporum causa retractaretur; & ut Sardicæ Episcopi anno sequenti congregarentur. Interea cum Mediolani Athanasius

sius hoc anno esset, atrociorem adversus eum calumniam Ariani, quasi adversus Constantium Constantem excitasset, quorum mendacia dum apud Constantium confutat, de Mediolanensi Synodo, & tempore, quo habita est, atque de illustrioribus Episcopis illuc congregatis, hæc habet: *Cum Ecclesiasticis Conventibus* (Romæ) *vacabam triennio exacto, quarto anno, missis litteris me accivit; quo tempore Mediolani ille* (idest Constans Imperator) *versabatur. Ego vero sciscitabor quid causæ esset, quod accerserer, non noram enim, testis mihi Dominus est. Didicique quosdam Episcopos, qui eo concesserant, rogasse illum, ut tuæ pietati pro Synodo cogenda scriberet. Crede mihi, Imperator, sic gesta res est, neque mentior. Mediolanum igitur cum accessissem, magnam ejus expertus sum humanitatem; me quippe dignatus est ad conspectum admittere suum, indicavitque mihi se scripsisse, & ad te misisse; rogasseque, ut Synodus convocaretur.* Quo autem abierit, deinde narrat: *Me autem postea in supradicta urbe degentem iterum misit in Gallias, eo enim Pater quoque Osius concesserat, ut una inde Sardicam peteremus anno sequenti.*

De illustribus Episcopis Mediolani congregatis.

4. Præcipuos vero Episcopos Mediolani tunc congregatos his verbis recenset; atque se cum iisdem Constantem adiisse narrat: *Nunquam enim fratrem tuum solum vidi*, ajebat ad Constantium, *nec me ille unquam solum est alloquutus, sed semper Comite urbis, in qua tunc degebam, aliisque, qui tunc forte aderant ipsum adii, iis inquam comitibus accessi. Hujusce rei testis est Fortunatianus Aquilejæ Episcopus. Hoc ipsum potest Patris Osii testimonio confirmari; testis item Crispinus Patavii, Lucillus Veronæ, Dionisius Leidi, & Vincentius in Campania Episcopus; & quia defuncti sunt Maximinus Trevirensis, & Protasius Mediolanensis, potest idipsum testificari Eugenius tunc Magister, qui quoniam pro limine tunc stabat, cum postulata nostra, tum quæ nobis ille dignatus est dare responsa, audire potuit.* Sed de Mediolanensi synodo hactenus, cujus exitus fuit, ut Sardicæ anno sequenti major synodus convocaretur.

De synodo Agrippinæ habita. Labb. T. 2. 617 Harduin. T. 1 pag. 631.

5. Coloniæ Agrippinæ alteram Synodum hoc anno habitam fuisse, in Conciliorum collectionibus legitur: *Post Consulatum Amantii, & Albini quarto Idus Majas.* In ea Euphratas Coloniensis Episcopus, eo quod Christi Divinitatem negaret, Episcopatu dejectus, Ecclesiastica etiam communione privatus est.

Syno-

JESU CHR. AN. 346. synodo ex variis Galliarum, & Germaniæ provinciis Episcopi quatuordecim adfuerunt, quibus Maximus Trevirensis præerat; si actis fides habenda, quæ ceterum impostoris opus esse multa suadent: *Perlegentes ejus Synodi acta*, ait Baronius, *& quæ ipsam præcessisse, atque subsecuta esse dicuntur, eadem omnia imposturæ suspicione vehementer laborare cognovimus*. Non levia sunt suppositionis argumenta: illud vero inter cetera, quod gravissimum ex Sardicensis Concilii historia constat, Euphratam Coloniensem Episcopum, & Vincentium Capuæ legatos a Sardicensibus Patribus missos fuisse ad Constantium Imperatorem, *ut Episcopos, quos ipse ejecerat, in suas Ecclesias reverti concederet*. Quare vix credibile est, in tanto Episcoporum numero, Euphratam a fide apostatam, sua sede, & Ecclesiæ communione dejectum, legationis principem fuisse destinatum; nec cum Pagio fingi potest, duos Euphratas Coloniæ Episcopos fuisse, quorum alter alteri successerit; itaut Euphratæ hoc anno, ob Arianam hæresim dejecto, alter successerit, qui sequenti anno ad Constantium legationem obierit. Hæc, inquam, Pagium juvare non possunt, cum ea quæ quisque sibi fingit, nec difficultates solvant, nec historiam illustrent; quin si fides vitæ Servatii Tungrensis Episcopi habenda sit, unde hæc historia de Euphratis abdicatione sumpta est, Euphratæ non successit alter Euphrata, sed Severinus; reliquas suppositionis notas præterimus; quam enim explicavimus satis superque esse arbitramur.

Bar. an. 346. Dupin. Secul. 4. p. 1145. Nat. Alex. sec. 4. Basnag. annal. 346. n. 4. Athan epist. ad Monach. de Ariana hæresi p. 355.

Pag. nota an. 346. n. 6.

Harduin. ut sup.

JESU CHRISTI AN. 347. JULII PAPÆ II.
CONSTANTII, ET CONSTANTIS IMP. II.
COSS. EUSEBIO, ET RUFINO.
OLYMP. 281. AN. 3. URBIS AN. 1100.

Sardicensis synodus celebratur.

I. Hoc tandem anno componendis Ecclesiæ dissidiis Sardicæ Synodus est congregata; cui ex utroque Imperio Episcoporum plurimi convenere. Erat autem Sardica urbs nobilissima, utpote inter utrumque Imperium posita in confinio Illirici, Mœsiæ, & Thraciæ, a Philipopoli intermedio monte divisa, ut narrat Strabo, quæ ad Constantis ditionem spectabat, uti adnotat Muratorius, non vero ad Constantii imperium, uti Baronius, & Basnagius tradunt. Cur congregata Sardicensis synodus fuerit, epistola encyclica his verbis aperit: *Dei gratia opitulante, ipsi reli-*

Strabo l. 2. 18. Murator. an. 347. Bar. 341. n. 2. Basnag. 347. num. 1. Athan. tom. 1. 162.

religiosissimi Imperatores nos ex diversis provinciis, ac civitatibus in unum coegerunt, & sanctum hanc Synodum in civitate Sardica celebrari concesserunt, ut amoto quovis dissidio, ac omni prava fide eliminata, sola erga Christum pietas apud omnes servetur. Venerunt enim Orientales quoque Episcopi hortantibus piissimis Imperatoribus, ad ea potissimum, quae pluries jactitarunt de dilectis fratribus, & comministris nostris Athanasio Episcopo Alexandriae, & Marcello Ancyrae disquirenda. Athanasius vero addit: post Romanam synodum, *cum rursus Eusebiani imprudenter se gererent, ac Ecclesias perturbarent; de iis certiores facti religiosissimi Imperatores Constantius, & Constans, jusserunt Occidentis, & Orientis Episcopos Sardicam convenire.* Eadem Socrates, & Sozomenus: *Indicitur ergo generale concilium apud Sardicam, quae urbs est Illirici, idque de sententia duorum Imperatorum, quorum alter hoc per litteras flagitaverat* (idest Constans), *alter vero Orientis scilicet Imperator libenter adnuerat. Annus tunc agebatur undecimus ab obitu parentis duorum Augustorum; Consules autem erant Ruffinus, & Eusebius.* Sozomenus vero post aliqua: *Porro haec Synodus congregata est Ruffino, & Eusebio Coss. anno undecimo post obitum Constantini.* Hanc Sardicensis concilii epocham tot testibus, & argumentis confirmatam, vir clarissimus Dominicus Mansi, ob novam Conciliorum, & Annalium Cadinalis Baronii editionem notus, subvertere conatus est, innixus auctoritate ignoti Scriptoris, cujus fragmentum ex Archivio Veronensis Capituli vulgaverat Marchio Maffejus tom. 3. observationum litterariarum, & iterum in Appendice ad Historiam theologicam. Ex eo itaque Mansius Sardicensis Concilii epocham anno 344. adtribuit, aliaque ab Athanasio gesta susdeque evertit; qua de causa meritas doctissimo viro Thomae Mamachio poenas dedit, qui adversus Mansianam Chronologiam epistolis quatuor, quarum titulus est *de ratione temporum Athanasiorum*, stylum acuit. Hasce consulat, qui plura velit.

JESU CHR. AN. 347.

Athan. Apol. pag. 154.

Socrat. l. 2. 20

Sozom. l. 3. 11.

2. Sardicensi autem concilio Osius cum Arcidamno, & Philoxeno Presbyteris, ac Leone Diacono Julii Pontificis Legatis praefuit, ut ex epistolae inscriptione constat: *Hosius ab Hispania, Julius Romae per Archidamnum, & Philoxenum presbyteros, Protegenes Sardicae &c.* Osium etiam primo loco synodicae subscripsisse testatur Athanasius: *Osius Episcopus subscripsi, & sic omnes*, quod & alibi confirmat, *Occidentales autem Epi-*

Quis synodo praefuit.

Athan. Apol. pag. 167.

JESU CHR. AN. 347. *Epist. ad Mon. pag. 353.* *scopi soli erant secum habentes Patrem Osium*, & post reliqua, *statim namque sacra Synodus, cujus præses erat magnus Osius, hæc aperte illis rescripsit*. Id testautur & Orientales Episcopi, qui Sardica, aufugientes, Philippopoli convenerant, his verbis: *Quoniam catholicam, & Apostolicam fidem voluerunt infringere,* *Harduin. concil. T. 1. p. 671* *qui cum Osio erunt &c.* Cur autem Osius synodo præfuerit, primusque synodicæ epistolæ subscripserit, non alia occurrit ratio, nisi quod vices ipse, & legationem Julii Romani Pontificis gereret, ut a viris doctis adnotatum est.

De Episcoporum numero. 3. Ex quamplurimis Imperii provinciis Episcopos Sardicam confluxisse, synodica testatur epistola, *sancta synodus per* *Athan. Apol. pag. 155.* *Dei gratiam Sardicæ congregata*, ex urbe Roma, ex Hispaniis Galliis, Italia, Campania, Calabria, Apulia, Africa, Sardinia, Pannoniis, Mysiis, Dacia, Norico, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaja, ex Epiris, Thracia, Rhodope, Palæstina, Arabia, Creta, & Ægyto; quot autem fuerint, ob scriptorum varietatem incertum est: *Ex Occidentis partibus,* *Socrat. l. 2. 20.* ait Socrates, *tercenti circiter convenerunt Episcopi, ut scribit Athanasius, ab Oriente vero septuaginta sex tantum fuisse, refert* *Theod. l. 2. 7.* *Sabinus*. Theodoretus vero: *Sardicam ducenti & quinquaginta convenerunt Episcopi, sicuti antiqua monumenta testantur*. His addendi sunt Orientales, qui schismate facto Philippopolim transierant octoginta circiter; Sardicæ autem vix centum septua- *Athan. epist. ad Monachos p. 352.* ginta consederunt, ut Athanasius, qui Sardicæ adfuit, scribit. *Conveniunt cum ex Oriente, tum ex Occidente in Sardica urbe Episcopi plus minus centum septuaginta, Occidentales autem Episcopi soli erant, secum habentes Patrem Osium, Orientales vero pedagogos, advocatosque secum adducebant, Musonianum Comitem, & Hesychium Castrensem, quorum ope freti alacri animo accessere, rati se omnia deinceps eorum potentia acturos*. Alibi tamen idem Athanasius Sardicensi Synodo tercentum quadraginta quatuor Episcopos subscripsisse adnotat, quorum cata- *Athan. Apol. pag. 169.* logum per Provincias distinctos enumerans subdit: *Hi sunt, qui etiam ante hanc synodum nostri gratia scripsere; ex Asia scilicet, Phrygia, & Isauria, quorum nomina in propriis eorum epistolis circumferuntur prope sexaginta tres, una omnes trecenti quadraginta quatuor*. Hinc tercentum circiter Episcopos Sardicæ convenisse apud plurimos opinio invaluit; at hoc loco Athanasius non eos tantum, qui præsentes Sardicæ subscripsere, sed & eos, qui post Synodum eidem subscripserant, ac suæ inno-

cen-

centiæ suffragati fuerant, enumerat; quot vero Sardicæ convenerint alibi tradit, in epistola nempe ad Solitarios, ubi centum septuaginta circiter, tum ex Oriente, tum ex Occidente adfuisse scribit.

JESU CHR. AN. 347.

4. Cum in unum convenissent Episcopi, Orientales, qui Arianæ favebant hæresi, *perculsi sua conscientia consternati sunt*, ait Athanasius, ecclesiasticum ibi futurum judicium absque comite, vel militibus prævidentes, ac ex singulis Ecclesiis, urbibusque accusatores adesse cum paratis adversum se documentis; hinc intra Palatium inclusi invicem colloquentes dicebant: *Ad alia venimus, alia conspicimus; accessimus cum Comitibus, & absque comitibus judicium redditur, damnabimur haud dubie. Quid itaque moramur? quid comperendinamur? causas comminiscamur ad secedendum, ne hic manentes damnemur. Satius est fugientes erubescere, quam sycophantas deprehensos affici pudore. Si fugiamus, qualicumque modo possumus hæresi patrocinari, quod si nos fugientes damnarint, haud deerit patronus; Imperator scilicet, qui non sinet, nos ex Ecclesiis a populis exturbari*.

De gestis in Sardicensi Synodo, Orientalium dissidia, & schisma. *Athan. apol. pag. 154. Pag. 352.*

5. Hæc illi invicem colloquentes, Osius, totaque synodus repetitis precibus, ut synodo se sisterent, hortata est. At illi excusatione adducta, *quod Imperator litteris suis victoriam de Persis reportatam ipsis attulisset, fugam fecerunt, quam excusationem citra ullum pudorem per Eusthasium Sardicensis Ecclesiæ presbyterum synodo miserunt*; & licet Osius per epistolas eosdem monuerit, ut ad synodum venirent, ni damnari vellent, *illi, ne converso ad legatos vultu, velocius fugiebant*, & Philippopolim non longe a Sardica oppidum sese contulerunt, ex eo præcipue offensi, ut epistola sua testati sunt, quod Occidentales Athanasium, Marcellum, Asclepam a se antea damnatos, communioni, & synodo tamquam innocentes admisissent. Quid vero Philippopolim congregati Orientales egerint, quæve tentaverint, infra dicturi sumus. Nunc Sardicensium gesta prosequimur.

Orientales Sardica digressi, Philippopoli congregantur.

6. Recedentibus Orientalibus: *sacra synodus ex plus triginta provinciis coacta, animadversa Arianorum malignitate, Athanasium sociosque admisit, ut sese purgarent de allatis criminibus, quorum causa tot fuerunt calamitatibus afflicti*: quod ut illi perfecerunt, Athanasium, & Socios, *puros omnisque criminis expertes esse declararunt*; *adversarios vero* illo-

Sardicenses Patres Athanasium, aliosque absolvunt; damnant Orientales. *Athan. ad Mon. p. 353. Apol. p. 155.*

Jesu Chr. an. 347. *illorum Sychophantas, facinorosos, ac quidvis potius, quam Christianos*, omnique anathemate dignos: inter eos nominatim veluti totius factionis, & Arianæ hæresis patronos, Theodorum Heracleæ Episcopum, Narcissum Nerodiadis, Acacium Cæsareæ, Stephanum Antiochiæ, Ursacium, & Valentem in Pannonia Episcopos, Menophantium Ephesi, & Georgium Laodiciæ. Gregorium vero Alexandriam ab Imperatore missum, ita proscripserunt, quasi nunquam Episcopus fuisset, nec Christianus nominandus.

Athan. ut sup.

Sardicensium Patrum epistolæ ad Episcopos.

7. Ea de causa *scripserunt omnibus ubique terrarum Episcopis, & ad singulas eorum parœcias*. Quas vero ad Clerum, & populum Alexandrinum, ad Episcopos, & Clerum Lybiæ, & Ægypti, una cum encyclica ad totius Orbis Episcopos dederunt epistolas, in sua contra Arianos Apologia, & in historia Arianorum ad Monachos recitat Athanasius. Ad Imperatores quoque eos scripsisse ex Hilario, & ex epistola ad Episcopos Lybiæ, & Ægypti, & ad Clerum Alexandrinum, constat, qua habent: *Quocirca hæc retulimus ad piissimos, & Dei amantissimos Imperatores, rogantes eorum humanitatem, ut eos, qui adhuc vexantur, & affliguntur, dimitti jubeant*. Epistolæ ad Julium Pontificem Sozomenus, & Hilarius meminerunt; eaque suum erga Romanam sedem obsequium Orientales Episcopi testantur, rogantque, ut Italiæ, & Sardiniæ Episcopis, quæ gesta fuerant, denunciet: *Tu itaque*, inquiunt, *dilectissime Frater corpore separatus, mente concordi, ac voluntate adfuisti*; ac aliqua de Romanæ Sedis præstantia: *Hoc enim optimum, & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, idest ad Petri Apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes. Quoniam ergo universa, quæ gesta sunt, quæ acta, quæ constituta, & chartæ continent, & vivæ voces; carissimorum fratrum, & compresbyterorum nostrorum Archydamni, & Philoxeni, carissimi filii nostri Leonis diaconi verissime, & fideliter exponere poterunt; pene supervacuum videbatur, eadem his inferri litteris, quæ patuerunt apud omnes, qui convenerunt ex partibus Orientis; qui se appellant Episcopos, quamquam sint ex his certi auctores, quorum sacrilegas mentes Ariana hæresis pestifero tinxit veneno, diu tergiversatos propter diffidentiam, ad judicium venire noluisse, tamque & nostram reprehendisse communionem, quæ nullam habebat culpam; quia non solum octoginta Episcopis testantibus de innocen-*

Athan. Apol. pag. 155. 159. & 162. Pag. 354. Hilar. frag. Tom. 2. p. 630. 151., & 158

Sozom. l. 3. 12 Hilar. frag. tom. 2. p. 630. edit. Veron.

Sardicensium Patrum epistola ad Julium Romanum Pont.

centia Athanasii pariter credidimus. Deinde post aliqua: *Tua excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, qui in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt, & quæ definita cognoscant, & ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias &c.* Jesu Chr. an. 347.

8. Tribus autem de causis se Sardicam convenisse indicant, ut scilicet de fide, quam Ariani violaverant, inquirerent; de personis, seu Episcopis iniquo judicio dejectis, utrum in eos lata sententia confirmanda, vel irritanda foret; tandem de injuriis, vexationibus, & cœdibus, quibus Catholicos Ariani vexaverant. Ursacium, & Valentem inter Arianos audacissimos nominatim perstringunt; quorum alter idest Valens, propria relicta Ecclesia, cum aliam invadere voluisset, seditionem Aquilejæ commoverat, cujus occasione Viator Episcopus obrutus, & conculcatus, ibidem die tertia occubuerat. Nomina deinde eorum, qui dejecti, & excommunicati fuerant, subjiciunt; idest Ursacii, Valentis, Narcissi, Stephani, Menophanti, & Georgii; subscripti vero leguntur Episcopi numero 59., inter quos primus *Osius ab Spannia Cordobensis*, deinde ceteri: sed de epistola ad Julium hactenus. De tribus causis in Sardicensi synodo agitatis.

9. De epistolis ad Alex. clerum, & ad Lybiæ, & Ægypti Episcopos pauca nunc addenda, cum utrarumque idem argumentum, eadem sint fere verba. Inter cætera narrant, Orientalium plurimos, qui Philippopolim transierant, synodale judicium, *condemnante eos conscientia, turpibus usos tergiversationibus declinasse*; Athanasium vero, quem Julius Romanus Pontifex innocentem antea declaraverat, communionique suæ admiserat, Ecclesiastica non solum profitentur communione dignum, *ei omnes ubique Episcopi communionem firmam, statamque fecisse affirmant*. Quapropter eosdem hortantur, ut revertentem cum gaudio suscipiant; unaque cum eo Aphthonium, Athanasium Capitonis filium, Paulum, & Plutionem, quos Eusebiani, aut in exilium miserant, aut mortis metu ad fugam coegerant: tandem de Gregorii pseudo Episcopi Alexandrini communione devitanda eosdem admonent, *quem universæ sacræ synodi judicio condemnatum, depositumque fuisse testantur*. De epistolis ad Alex. Clerum, & Ægyptios Episcopos. *Athan. Apol. Tom. 1. p. 159.* *Pag. 156.*

10. In epistola vero encyclica, quæ ad omnes ubique Episcopos data est, non solum Athanasii innocentiæ suffragantur, sed & Marcelli Ancyræ in Galatia Episcopi, & Ascle- De epistola encyclica ad universos Episcopos.

pæ

JESU CHR. AN. 347. Pag. 167. pæ Gazensis, quos suis sedibus, & communioni Ecclesiæ restitutos fuisse narrant. *Cum iis vero, qui luporum instar, eorum ecclesias invaserant, idest Gregorio Alexandriæ, Basilio Ancyræ,* Quintiano Gazæ nullam communionem habendam, neve litteras ab iis accipiendas admonent. Theodorum autem Narcissum, Acacium, Stephanum, Ursacium, Valentem, & Menophantem, nec non Gregorium, utpote Arianæ perfidiæ sectatores, synodi sententia non solum Episcopatu dejectos fuisse narrant; sed etiam Fidelium communione omnino indignos, utpote gravissimorum criminum reos, qui neque Julii, & Romanæ synodi sententiæ acquieverint, Romanæ synodo adesse recusaverint, ac Sardicense judicium declinaverint. Calumnias deinde in Athanasium vulgatas recensent, ac tandem gravissimam in Catholicos excitatam persecutionem: *Non solum autem ob suam adversus illos sycophantiam fugam fecere, sed etiam quod præsto viderent, qui se de variis criminibus accusarent, illic enim vincula, & ferrum, illic viri ab exilio reversi comparebant. Ab iis autem, qui adhuc in exilio detinebantur, missi sunt quidam e comministris nostris eorum cognati, accesserunt itidem quorumdam amici, qui fuerant Arianis auctoribus interempti. Quodque gravissimum est, aderant Episcopi, quorum unus ferrum, & catenas protulit.* Is erat Lucius Adrianopolis Episcopus, quem post synodum, ut ait Athanasius, *catenis ferreis iterum, quod jam prius egerant, collo, & manibus vinciri fecerunt, & in exilium miserunt*, ubi defunctus est. Horum similia Arianorum scelera addunt, quæ longum esset exponere. Synodicæ Epistolæ subscripserunt Episcopi ducenti octoginta quatuor; non quod tot ibidem subscripserint, cum vix centum præsentes essent, ut supra diximus; sed præter eos, qui Sardicæ convenerant, alii plurimi eorum sententiæ subscripserunt, quorum nomina ibidem legi possunt. Summa autem hæc est: ex Oriente Episcopi 78.: ex Galliis 34.: ex Africa 36.: ex Ægypto 94.: ex Italia 15., ex Cypro 12.: ex Palæstina 15.: *Hi sunt, qui Synodi Decretis subscripsere*, ait Athanasius.

Arianorum facinora in synodo improbata. *Athan. Apol. pag. 163.*

Athan. ad Monachos T. 1. pag. 355.

Sardicensis synodus nullam Fidei formulam edidit. *Socrat. l. 2. 20 Sozom. l. 3. 12 Theod. l. 2. 8.*

11. Præter hactenus recensitas epistolas, Fidei quoque formulam Sardicensi synodo attribuunt Socrates, Sozomenus, & Theodoretus, qui eamdem historiæ suæ inseruit. Falli tamen ipsos, extra dubium est; nam, teste Athanasio, scimus, propositam quidem fuisse a nonnullis Episcopis Fidei formulam, at eam

eam a Patribus rejectam fuisse: *Quam igitur nonnulli jactant, tabellam, quasi in Sardicensi Synodo de fide compositam, ne legi quidem omnino, aut proferri sinatis, nihil quippe ejusmodi definivit synodus. Quamvis enim nonnulli postularint, ut quædam de fide scriberentur, quasi aliquod Nicænæ Fidei deesset, atque id obtinere temere conati fuerint; synodus tamen Sardicæ coacta, rem indigne tulit, sancivitque; ut nullum ultra de Fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides a Patribus Nicææ promulgata, quippe quæ in nullo deficeret, sed plena pietatis esset.* Hæc pluribus prosequitur Natalis Alexander.

JESU CHR. AN. 347. *Athan. Tom. I pag. 777.*

Nat. Alex. sæc. IV. diss. 29

12. Personarum causa discussa, & innocentibus absolutis, reisque damnatis, canones XXI. ad Ecclesiæ disciplinam spectantes editi sunt, quorum hæc est summa. Primo, ne cui Episcopo liceat de una civitate in aliam transire, eo quod avaritiæ ardore, aut ambitionis gratia ut plurimum id fieret: *Cum nullus inventus sit Episcopus, qui de majore civitate, ad minorem transierit*; qui id tentaverit, ne laica quidem communione dignus habeatur. Secundo, eamdem sententiam ei subeundam fore, qui populi litteris vocatus, relicta propria Ecclesia, ad aliam transisset. Eusebii exemplum recens adhuc erat, qui Berytho Nicomediam transierat, eaque Ecclesia relicta, Constantinopolitanam Sedem invaserat.

Concilii Sardicensis Canones n. XXI.

Harduin. Concil. tom. I. pag. 638.

Episcoporum translationes, & peregrinationes extra Provinciam vetantur.

13. Tertio, ne Episcopi extra provinciam vagentur, nisi vocati fuerint. Deinde: *si Episcoporum aliquis judicatus fuerit in aliqua causa, & putat, se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo, (ejusque successoribus) ut si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, & det Judices. Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt; quæ decreverit confirmata erunt.* Quarto canone cavetur, ut appellatione ad Romanam sedem pendente, nullus Episcopus in dejecti locum substituatur.

Ad Romanam Sedem Episcopis appellare liceat.

14. Quinto, si in provincia contingat unum tantum remanere Episcopum, isque alios, ubi opus fuerit, ordinare recuset, viciniæ Provinciæ Episcopi ejus negligentiam suppleant. Sexto in vicis, aut civitate modica Episcopus non ordinetur, *ne Episcopi nomen, & auctoritas vilescat.* Si Episcopus a Comprovincialibus Episcopis dejectus fuerit, isque ad Romanam sedem appellaverit, *si justum putaverit* Romanus Episcopus, *ut re-*

Regulæ in Episcoporum Ordinationibus servandæ.

De Appellationibus ad Romanam sedem iterum agitur.

JESU CHR. AN. 347.

renovetur judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant; quod si is, qui causam suam iterum audiri rogat, deprecatione sua moverit Romanum Episcopum, ut de latere suo Presbyterum mittat; faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit, vel causam coram legato suo retractetur, vel provinciæ Episcopi negotio terminum imponant.

Ad Comitatum, nisi necessitate coacti, Episcopi non pergant.

Can. 11. 12.

Ducang. Gloss. verbo Canalis

15. Canone octavo, suggerente Grato Carthaginensi Episcopo, cautum est, ne Episcopi comitatum, & Imperatoris aulam adeant, nisi pia aliqua causa id suadeat, vel Imperatoris litteris vocati, vel invitati fuerint; ut vero per Diaconos negotia gerant, canone nono decernitur. Ut qui Romam venerint, peregrinationis causas Romano Pontifici dijudicandas exponant, habet canon decimus. Qui contra hæc fecerit, Episcopatus honorem amittat. Episcopus autem, qui ad Comitatum pergit, ab Episcopis, qui in canali sunt (idest in itinere, quo ad Comitatum itur) interrogetur, an justas eundi causas habeat; alioquin nec litteris ejus subscribatur, nec ad communionem admittatur. Quod si Episcopus, quæ in synodo decreta sunt, ignorans, subito ad civitates eas, quæ in canali sunt, veniat, Episcopus loci eum admonere, & instruere debeat, ut ex loco Diaconum suum mittat; ipse vero ad Parœciam suam redeat.

Neophyti ad Episcopatum non promoveantur.

Cap. 13.

Can. 14. 15.

16. Si dives, aut Scholasticus de foro, vel administrator, Episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi Lectoris, Diaconi, aut Presbyteri munere perfunctus fuerit. Episcopus extra Diœcesim, aut Provinciam suam ultra tres hebdomadas non vagetur, nisi necessitas aliud suadeat. Si possessiones in aliena Diocesi habeat, & ibidem morari contingat, in prædiis suis potius habitet, quam in Civitate, ubi Episcopus sedem habet.

De excomunicatis in aliena Diœcesi non recipiendis, nec ordinandis ab alieno Episcopo.

Can. 18. 19. 20. 21.

17. Canone 16., & 17. cavetur, ne Presbyterum, Diaconum, vel Clericum a proprio Episcopo excommunicatum, Episcopus alter ad communionem admittat. Quod si injuste se depositum, aut excommunicatum fuisse conqueratur, audiri poterit in Episcoporum Concilio, ut Episcopi sententia, vel probetur a plurimis, vel emendetur. Ante sententiam tamen cum excommunicato nemo communicet. Nullus Episcopus alterius Diœcesis ministrum ordinet, ut in sua Ecclesia mini-

niſtret; ſi quis id tentaverit, irrita ſit ejus ordinatio. Quæ de Epiſcoporum reſidentia canone 15. ſtatuta fuerant, eadem canone ultimo Presbyteris, & Diaconibus imperantur, ita ut ultra tres hebdomadas a ſuis Eccleſiis abeſſe non poſsint. Si quis tamen *vim perpeſſus, & inique expulſus pro diſciplina, vel Catholica confeſſione, vel pro defenſione veritatis, fugiens pericula, innocens, & devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire poſſit, aut injuria ejus remedium acceperit.* Hactenus Canones Sardicenſes juxta Dionyſii verſionem; nam eorum alius eſt ordo in Iſidori verſione, alius etiam in textu græco, uti apud Labbeum, aut Harduinum videri poteſt.

18. Multa quidem de Sardicenſium Patrum decretis dicenda eſsent, ſi per otium liceret; nobis tamen ad alia properantibus adnotaſſe ſufficiet, canonem tertium, & ſeptimum, quibus de appellationibus ad Romanam ſedem agitur, deque ejuſdem Eccleſiæ dignitate & privilegiis, multam ſcribendi materiam dediſſe hæterodoxis, æque ac catholicis ſcriptoribus, iis præcipue, qui inconcuſſa Romanæ Eccleſiæ privilegia pro ingenio ſuo minuere conati ſunt, Richerio nempe, Dupinio, de Marcha, Febronio, aliiſque pluribus. Priſcorum diſciplinam Sardicenſe Concilium ſuis decretis turbaſſe Baſnagius queritur, ſed immerito; alii vero tunc primum ad Romanam Sedem Epiſcoporum appellationes inductas comminiſcuntur: quin reviſionis tantum jus, non vero appellationis hiſce canonibus Romano Pontifici adſertum fuiſſe de Marca, & Dupinius ſcribunt. At prærogativa hæc, qua Romanus Pontifex gaudet, ut ad eum ex toto Orbe majores cauſæ deferantur, ad eumque Epiſcopi injuriam paſſi appellationem interponant, tantum abeſt ut ex Sardicenſi, aut alia eccleſiaſtica lege dimanarit, ut omnino Primatus jure contineatur, Petro ejuſque in Romana Cathedra ſucceſſoribus a Jeſu Chriſto collato, cum Eccleſiarum omnium ſollicitudo eidem commiſſa eſt: & ſane longe ante Sardicenſem ſynodum, ad Romanum Pontificem Epiſcopos appellaſſe multis exemplis conſtat; quæ ne longe petamus, præſto eſt Athanaſius, qui antequam Sardicenſi ſynodo adeſſet, Sede ſua ab Arianis dejectus, ad Julium confugerat, atque una cum ipſo Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazenſis Epiſcopus, aliique eamdem injuriam paſſi; quorum cauſa in Romana Synodo cum iterum agitatata fuiſſet, ſuis Sedibus ſunt reſtituti, quocirca

Appellationes ad Rom. Eccleſiam, ante Sardicenſem ſynodum in uſu fuiſſe probatur.

Baſnag. an. 347. 11.

De Marca concord. Sacerd. & Imp. lib. 7. cap. 3. Dupin. diſſert. 2. de antiq. Eccleſ. diſciplina

Jesu Chr. an. 347. *Athan. Tom. I pag. 449.*

ante Sardicensem synodum ad Orientales scribebat Julius, pendente appellatione ad Romanam Ecclesiam, non debuisse Orientales in Athanasii Sedem alium, idest Gregorium, substituere: *Si vere dicendum est*, ajebat, *non oportuit, cum ad cogendam synodum litteras misissemus, aliquos judicium synodi pervertere*. Et post multa: *Si ut dictis aliqua fuit eorum culpa, non eo pacto oportuit rem judicari, sed omnibus nobis rescripsisse oportuit; Episcopi enim erant, qui patiebantur. Cur autem de Alexandrina potissimum Ecclesia nil nobis scriptum est. An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc quod justum est, decernatur &c.* Quare adnotat vere Socrates pro Sedis suæ prærogativa Julium Pontificem liberioribus litteris Orientales commonuisse, atque dejectos Episcopos suis sedibus restituisse. Sozomenus præterea de iisdem agens admonet: cum singulorum causas Julius cognovisset, atque una secum in Nicæna fide consentientes invenisset, *quoniam propter Sedis dignitatem, omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam singulis restituisse*. Sed de his satis, de quibus plura præsertim apud Lupum de appellationibus, & Natalem Alexandrum sæculo IV. dissertatione 28., & nuper Febronii oppugnatores videri poterunt.

Socrat. l. 2. 15. *Sozom. l. 2. 8.*

De gestis ab Orientalibus Philippopoli congregatis.

19. Expositis iis, quæ a Catholicis Sardicæ gesta sunt, de illis modo agendum, quæ Orientales, seu Ariani Philippopolim profugi gessere; qui cum fere Catholicorum numerum æquarent, octoginta enim erant, tamquam in scæna ludentes, concilium illic, quod vere malignantium synagoga dici potest, celebrarunt; in eoque, ut adversariis, a quibus excommunicati fuerant, vicem redderent, non solum Athanasium, Marcellum, Asclepam, aliosque anathemate ferierunt; sed quod hactenus intentatum fuerat, una cum iis Julium Romanum Pontificem, Osium Cordubensem, Maximinum Trevirensem, Protogenem Sardicensem, aliosque. Nova deinde fidei professione edita, Ariana factione digna, de impietate sua triumphum agentes, recesserunt: *Orientales Philippopoli, Urbe Thraciæ concilio seorsim habito, vocem quidem Consubstantialis palam anathemate damnarunt*, ait Socrates, aut præterierunt, uti narrat Sozomenus.

Socrat. l. 2. 20. *Sozom. l. 3. 11*

Orientales Julium Rom. Pont. aliosque damnant.

20. *Orientales postquam ea, quæ contra Athanasium, Paulum, Marcellum, & Asclepam gesserant, confirmassent, Julium Romanæ Urbis Episcopum deposuerunt; eo quod primus cum*

cum illis communicasset, auctorque illis fuisset redeundi Constantinopolim, quodque Episcopos, qui ex Orientis partibus in Gallias venerant, a communione sua removisset. Præter hos deposuerunt etiam Protogenem Episcopum Sardicæ, & Gaudentium. Illum quidem, quod Marcello suffragaretur, quem antea condemnaverat: Gaudentium vero, quod adversus Cyriacum Decessorem suum contraria omnia molitus fuisset, & eos foveret, qui ab ipsis depositi fuerant. Hæc vero cunctis ubique Episcopis per litteras significarunt; ut neque ad communionem illos admitterent, nec ab iisdem litteras acciperent. His Fidei etiam formulam addiderunt, in qua Consubstantialis quidem nulla fiebat mentio; alieni vero ab Ecclesia pronunciabantur ii, qui dicerent, tres esse Deos, & Christum non esse Deum, aut eumdem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, aut Filium esse ingenitum; aut tempus, vel seculum aliquando fuisse, cum non esset. Hanc fidei professionem libro suo de synodis Hilarius inseruit; eamque benigne interpretatus, ab omni erroris suspicione liberavit, in eaque *ex omni parte, qua se circumagere sollicitudo potuit, Hæreticorum ingeniis aditum obstructum fuisse scribit*. Quod cum & de aliis Orientalium formulis de Ariana hæresi æque suspectis fecerit, Arianis plus justo Hilarium favisse, vel falsam Sardicensem synodum pro vera habuisse, vel Semiarianorum doctrinam minus perspectam ipsi fuisse nonnulli suspicati sunt; qua de causa breve apologeticum scribere coactus est, ut rationem redderet, cur eas formulas Catholico sensu esset interpretatus; de quibus in præfatione ad librum de Synodis plura adnotant Maurini editores.

Præf. in lib. de synod. Hilar Tom. 2. pag. 451. edit. Veron.

Hilar. p. 522.

21. Fidei professioni encyclicam epistolam addidere, falsa inscriptione insignitam, tamquam Sardicæ convenissent, cum revera eam Philippopoli ediderint, in hæc verba: *Sancta synodus in Sardica congregata ex diversis Provinciis Orientalium partium*, ex Thebaida scilicet, Ægypto, Palæstina, Arabia, Phœnice, Syria Cele, Mesopotamia, Cilicia, Cappadocia, Ponto, Paphlagonia, Galatia, Bythinia, Helesponto, Asia, Frigiis duabus, Pisidia Cicladum Insularum, Pamphilia, Caria, Lydia, Europa, Thracia, Emimonto, Misia, Pannoniis duabus &c. Data autem erat Episcopis Alexandriæ, Nicomediæ, Carthaginis, Donato, Donatistarum antesignano; nam Catholicorum erat Gratus, qui Sardicæ cum Occidentalibus adfuit; Episcopis etiam Campaniæ, Neapolis, Salonarum, Dalmatiæ, Amphioni, Do-

Orientalium epistola Encyclica. *Hilar. de syn. pag. 482.*

Harduin. T. 1. concil. p. 671.

Jesu Chr. An. 347.

Donato, Desiderio, Fortunato, Eutychio, Maximo, Sympe-ronti, & omnibus per Orbem terrarum consacerdotibus, qui sub cælo sunt in Ecclesia sancta Catholica. Nihil magis sibi in votis esse testantur, quam ut Ecclesia Catholica, *dissensionibus, & schismatibus carens, unitatem spiritus, & vinculum caritatis ubique conservet*; *secundo ut Ecclesiæ regula, sanctaque parentum traditio, atque judicia in perpetuum firma, solidaque permaneant*: bella verba, si dictis facta consensissent. Deinde Marcellum Ancyræ Episcopum, utpote multarum hæresum, & Sabellianæ præsertim adsertorem, in synodo Constantinopolitana merito dejectum tradunt; Athanasium vero multis criminibus convictum affirmant, quod nempe calicem confregerit, mensam subverterit, domumque Dei; quod sacerdotem *Narchem* nomine custodiæ militari tradiderit; præterea de cæde Episcopi, Arsenii scilicet, cujus causa Cæsareæ primum, deinde Tyri Episcopatu dejectum fuisse addunt, atque a Constantino exilio damnatum; demum culpæ eidem vertunt, quod sua sponte Alexandrinam sedem, ejecto Gregorio tyrannico more, *per vim, per cædem, per bellum* occupare tentaverit. Neque minora sunt, quæ Paulo Constantinopolitano Episcopo objecta sunt, *quæ si quis audierit, perhorrescet*, addunt viri pacifici; eademque de Asclepa Gazæ Episcopo, & Lucio Adrianopolitano: his addunt Athanasium, aliosque ad Julium Romanum Episcopum, ac nonnullos Occidentales harum rerum ignaros confugisse, a quibus in communionem cum præpostere recepti essent, se Imperatoris jussu ad eorum retractandam causam Sardicam convenisse: *Quo cum venissemus, didicimus in media Ecclesia Athanasium, Marcellum, omnes sceleratos, concilii sententia pulsos, cum Hosio, Protogene sedere simul, & disputare, & quod est deterius, divina Mysteria celebrare*. Quare subdunt: *Mandavimus illis, qui cum Protogene, & Hosio fuerunt, ut de suo cœtu damnatos excluderent, neque peccatoribus communicarent; deinde una nobiscum audirent ea, quæ a Patribus nostris contra ipsos fuerunt judicata. At illi contra resistebant, nec se voluerunt ab eorum communione secernere*.

Quid contineat Orientalium epistola.

Orientalium querelæ adversus Sardicenses Patres

22. *His cognitis, nos octoginta Episcopi, qui propter Ecclesiæ pacem Sardicam veneramus, illos iterum, atque iterum rogabamus, ne firma, solidaque concuterent, ne jura divina turbarent*; ne scilicet Orientalium judicia ab Occidentalibus refor-

formarentur: *At illi despicientes hæc nobis minabantur, & se Athanasium, & ceteros sceleratos vindicaturos pollicebantur*. Post multa vero anathematis sententiam in Athanasium, & Marcellum olim latam confirmant; unaque cum iis, & alios olim eadem pœna damnatos, eosque suscipientes merito ab se damnari scribunt. *Ne quis itaque vestrum*, tandem concludunt, *ab aliquo circumventus, aliquando communicet Osio, Protogeni, Athanasio, Marcello, Asclepæ, Paulo, Julio; sed ne cuiquam damnatorum de Ecclesia sancta rejectis neque soliis ipsorum*; quibus infra Gaudentium, & Maximinum Trevirensem adjungunt, *Julium quidem Urbis Romæ ut Principem, & ducem malorum traducunt, qui prius januam communionis sceleratis, atque damnatis aperuit, ceterisque aditum fecit ad solvenda jura Divina, defendebatque Athanasium*; dum scilicet in Romam synodo eum, aliosque, injuria ab Arianis dejectos, communioni Ecclesiæ, suisque sedibus restituit. Eadem fere Maximino, aliisque objecerunt crimina, quæ longum esset excribere. Hic porro Fidei confessionem addidere, quam subscriptiones Episcoporum septuaginta trium excipiunt, quorum primus est Stephanus Antiochiæ Syriæ Episcopus, sequuntur deinde cæteri, ex eo tantum fere illustres, quod Arianæ factionis aut principes essent, aut sectatores. Sed de ea encyclica epistola satis, quam si quis mendaciorum farraginem dixerit, a vero non aberrabit.

23. Ipsa enim inscriptio mendacium continet; dum qui Philippopoli convenerant, Sardicæ se convenisse mentiuntur; qua impostura factum est, ut vera Sardicensis Synodus aut ignota, aut suspecta plerisque fuerit. Hinc cum a Donatistis objecta fuisset Sardicensis synodi auctoritas, idest Philippopolitanæ, quæ ad Donatum, Donatistarum Principem, Carthagine tunc Episcopum scripserat, ita respondet Augustinus, ut non aliam, quam Arianorum synodum sibi notam fuisse indicet: *Disce ergo, ajebat ipse*, ad Cresconium, *quod nescis, Sardicense concilium Arianorum fuit contractum, maxime contra Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum*. Et iterum cum Fortunius Donatistarum Episcopus, Orientalium concilium, data ad Donatum epistola, ipsorum communionem exoptasse jactaret, Augustinus Sardicense concilium Arianorum fuisse respondit, idque ex eo vel maxime demonstravit, quod in ea epistola Julius Romanus Episcopus, & Athanasius Arianæ hæresis impugnatores, a communione Ecclesiæ excluderentur. De Orienta-

Sardicensis Concilii memoria vix nota.

August. contra Cresc. l. 3. 38. p. 454.

JESU CHR. AN. 347. talium Concilio vera narrabat Augustinus; at si verum a falso, Sardicense concilium a Philippopolitano distinxisset, respondere poterat, eam epistolam Sardicensis Concilii non esse, sed Episcoporum Orientalium, qui Sardica profugi Philippopolim convenerant. Sardicenses etiam canones Afris ignotos fuisse Augustini ætate suo loco videbimus, cum s. Zosimi Pontificis gesta persequemur.

Orientales ab Occidentalibus divisi. Socrat. l. 2. c. 22

24. Hac Episcoporum dissensione, seu potius Arianorum perfidia factum, ut cum Synodus sopiendis controversiis indicta fuisset; inde majus dissidium exarserit: *Exinde ab Oriente divulsus est Occidens, & communionis inter utrosque, limes fuit mons Succorum, qui Illyrios Thracasque disterminat. Ad hunc usque montem indiscreta, & promiscua erat omnium communio, licet in fide inter se dissentirent. Ulterius vero degentibus nequaquam communicabant.*

Qualis hoc tempore Ecclesiæ status. Sozom. l. 3. c. 13

25. Quis autem hac ætate Ecclesiæ status esset, quave ratione Romani Pontificis auctoritate, & vigilantia Nicænam Fidem quamplurimi in Oriente sequerentur, in Occidente vero integra vigeret, pluribus narrat Sozomenus: *Post hanc synodum*, inquit, *Orientales, & Occidentales non amplius inter se commixti sunt, tamquam idem sentientes de fide, neque invicem communicarunt*. Occidentis quippe Ecclesia, utpote quæ doctrinæ Majorum sincere insisteret, ab omni fere contentione, & rixa de hujusmodi rebus vacua erat. Nam etsi Auxentius Mediolanensis Episcopus, & Ursacius, ac Valens Pannonii, eam Imperii partem ad Arii opinionem traducere conarentur, eorum tamen conatus ex voto ipsis non successit; cum Romanus Episcopus obsisteret, aliique sacerdotes sollicite præcaverent, & hæreseos illius germina amputarent. Orientis autem Ecclesia, etsi post Antiochenam synodum tumultuari cœpisset, & a Nicæna fide palam discreparet, major tamen pars in eamdem adhuc conspirabat sententiam, ut Filium ex Patris substantia ortum confiteretur. Ceterum ex hac Orientalium cum Occidentalibus Episcopis dissensione id commodi derivatum est, ut cum hactenus plurimi Ariana labe infecti, communionis vinculo cum Catholicis sociati perseverassent, in posterum notiores facti, in duas quodammodo partes totus Orbis dissociaretur, ita ut quotquot Nicænæ Fidei subscriberent, Occidentalium communionem sequerentur, ceteri vero cum Orientalibus communicarent, idest cum Arianis.

25. Sy-

26. Synodo soluta, utraque pars legatos suos ad Constantium misit, Sardicenses quidem, ut Episcopos ab Arianis ejectos ad suas Ecclesias juxta synodi decreta redire pateretur; Orientales vero seu Ariani, ut nova, graviorique persecutione Catholicos vexaret. Catholicorum legati fuere Vincentius Capuæ Episcopus, & Euphrates Agrippinæ, iisque commendatitias ad fratrem epistolas Constans Imperator dederat. *Cum sacra synodus legatos Episcopos misisset*, ait Athanasius, *Vincentium Capuæ, quæ Metropolis est Campaniæ, Episcopum, & Euphratem Agrippinæ, quæ Metropolis est Galliæ superioris, ut prout decretum a Synodo fuerat, Imperator Episcopos in suas reverti Ecclesias concederet, quos expulisset ipse, & commendatitias pro Episcopis litteras misisset fratri suo piissimus Constans*. Nec solum commendatitias epistolas dedit; sed una cum iis *misit etiam Magistrum militum, Saliam nomine, virum pietate, ac justitia insignem*, ait Theodoretus, qui & subdit: *Litteræ autem ipsæ non hortationem solum, & suasionem, sed minas etiam continebant pio Imperatore dignas; scripsit enim ut Episcopis aures præberet, & Stephani, & ceterorum iniqua facinora cognosceret, utque Athanasium gregi suo restitueret. Deinde adjecit, nisi ille morem gereret, se Alexandriam profecturum, & Athanasium quidem plebi ipsum desideranti redditurum; inimicorum vero catervas expulsurum*. Earumdem epistolarum meminit & Socrates. Constantius his litteris acceptis, fratris voluntati facile obsecutus fuisset, ac Athanasium, aliosque exules suis Sedibus restituisset, nisi execrando, inauditoque facinore Ariani eum abalienassent, uti Theodoretus, & Athanasius narrant.

Utraque pars legatos ad Constantium mittit.

Athan. ad Monacho tom. 1. pag. 355.

Theod. l. 2. 8. in fine.

Socrat. l. 2. 22

27. Publicam namque Meretricem, ipsis sanctissimis Pascatis diebus, mercede conductam, noctu ad Euphratem nudatam miserunt, quæ dormientem hominem senem conspicata, *clamore statim edito vim sibi inferri conquerebatur*; quare Euphrates, qui in exteriore cubiculo dormiebat, ejus voce conturbatus, dæmonem primo suspicatus, qui mulieris vocem imitaretur, Servatorem Christum in auxilium vocavit; cumque is, qui mulierem introduxerat, cubiculum ingressus esset, Vincentius legatorum alter, qui in proximo cubiculo jacebat, horum vocibus excitatus, e lecto surrexit, vocatisque domesticis, forisque clausis, una cum scorto quinque alios, qui cum ea venerant, detentos custodiri jussit, ac die sequenti Vincentius, & Euphrates, magistrum militum, idest Saliam, adeuntes, de vio-

Insidiæ ab Arianis structæ legatis Catholicorum.

Athan. epist. ad Monach. p. 355.

Theod. l. 2. cap. 8. 9.

JESU CHR. AN. 347. violentia, & temeritate Stephani conquesti sunt. Magister vero militum tam indignum facinus execrans, non in synodali consessu, sed in publico judicio de falso crimine causam agendam esse censebat. Stephanus tamen, ut in Palatio causa ageretur, obtinuit, ac primum quidem interrogata mulier, quis eam introduxisset in diversorium Episcoporum, illa juvenem quemdam ad se venisse dixit, peregrinorum adventum, cupidinemque indicasse, vespertino autem tempore in domum ab eodem introductam se fuisse addidit, ac cubiculum ingressam Episcopum cubantem & dormientem invenisse. His ab ea dictis, Judices natu minimum eorum, qui comprehensi fuerant, induci jusserunt; qui vim, ac necessitatem verberum præveniens, compositam facinoris sceuam detexit, & Onagrum cuncta hæc patrasse confessus est. Inductus ergo Onager, Stephanum ista sibi præcepisse dixit. Ita cum improbitatem Stephani didicissent, præsentibus Episcopis mandarunt, ut eum deponerent, & Ecclesia ejicerent.

Stephanus Antiochiæ Episc. deponitur, cui Leontius succedit. *Athan. hist. Arian. ad Mon Tom. 1. p. 360. Athan. p. 356 360.*

28. Stephano itaque Antiochena sede dejecto, Leontius quidam natione Phryx, ingenio autem subdolus, *saxisque in mari latentibus similis*, uti inquit Theodoretus, in ejus locum est ordinatus, vir revera non solum Episcopatu, sed ne laica quidem communione dignus, ut alibi docet Athanasius; idque ut Ariano Arianus succederet, ut idem habet Athanasius, *ne Arianæ hæresi patronus deesset*. Qui cum Eustolium quamdam adamaret, quæ se virginem esse dicebat, ac de turpi cum ea consuetudine accusaretur; ut turpius cum ea habitare posset, sese castraverat; ob quod facinus juxta Nicænum Canonem Episcopatu indignus erat. Ariani tamen hujuscemodi suæ sectæ Idolum tantæ sedi præficiendum curarunt.

Constantius presbyteros, & Diaconos Alexandriam redire permittit. *Athan. p. 356*

29. Ut autem insidias in Euphratem structas Constantius novit: *Paulisper compunctus ad se rediit*, ait Athanasius, *secum reputans, ejusmodi esse illorum adversus ceteros molimina, ac eos, qui Alexandria in Armeniam relegati fuerant, Presbyteros, Diaconosque continuo liberos dimitti jubet, publicasque Alexandriam litteras mittit, ut ne ultra vexarentur Athanasii Clerici, & populi*. Athanasium tamen nonnisi post decimum mensem Alexandriam redire jussit, cum jam Gregorius obiisset, anno scilicet sequenti.

Arianorum persecutio in Catholicos.

30. Continuo tamen in Catholicos iterum persecutio grassata est; nam Ariani Philippopoli vix digressi, *talia perpetrarunt*

runt scelera, ait Athanasius, *ut levia priora facinora iis collata viderentur. Nam cum Adrianopolitani communicari cum ipsis nollent, quod scilicet a synodo aufugissent, flagitiisque obnoxii essent, illos ad Imperatorem detulere, effeceruntque, ut ex Fabrica, ita dicta scilicet, decem laici capite truncarentur; hac in re ministro usi Philagrio, illic tum Comite. Horum monumenta ante urbem sita nos illac transeuntes vidimus.* JESU CHR. AN. 347.

31. Duos deinde Presbyteros, Diaconosque tres in Armeniam relegari curarunt; Arium vero, & Asterium, illum Petrarum in Palæstina, hunc in Arabia Episcopum, eo quod ab Arianis resiliissent contumeliis affectos, in superiorem Lybiam ejecerunt. Lucius autem Adrianopolis Episcopus, qui magna fiducia Arianos arguebat, catenis ferreis collo, & manibus vinctus in exilium ejectus est, atque illic laboribus, ærumnisque confectus obiit; Diodorum etiam Episcopum, ac Olympium Ænorum, Theodulumque Trajanopolis, Thraciæ Episcopos, cum hæresi suæ adverterent esse infensissimos, calumniati sunt; insuper auctores fuerunt, ut Constantius Imperator scripto significaret Alexandrinis judicibus, ut si Athanasius, vel alius ex designatis Presbyteris vel Alexandriam, vel Ægypti fines ingressus esset, absque mora capite truncaretur. Ita Judaica nova illa hæresis, *non modo Christum abnegat, sed etiam interficere didicit*, ait Athanasius,

Fidei confessores ab Arianis varie vexati.

32. De Marcelli Ancyrani orthodoxia, quem Sardicenses Patres sua communione dignum censerunt, veteres recentioresque diffident, eumque aliqui Hæreticis, alii cum Catholicis adcensendum existimant. Nos illorum sententiæ subscribimus, qui ejusdem Orthodoxiæ favent; cum Marcellus non solum in Nicæno concilio contra Arianos fortiter decertaverit, ut in epistola ad Orientales Julius testatur, sed & Asterii Sophistæ, Arianorumque Apologistæ librum confutaverit, Arianis eo in libro exagitatis, & præcipue duobus Eusebiis Cæsariensi, & Nicomediensi, qua de causa Arianorum iram in seipsum concitavit; ac de Sabelliana hæresi accusatus est, quasi personarum distinctionem tolleret, Trinitatemque everteret. Eusebius Cæsariensis Marcelli opus, *quod de subjectione Domini* inscripserat, uti habet Hilarius, confutavit; idemque Asterius, & Acacius in Cæsariensi Sede Eusebii successores fecere. Acacii adversus Marcellum fragmenta aliqua apud Epiphanium leguntur: Eusebii vero Cæsariensis contra Marcellum Commentaria pro maxima par-

De Orthodoxia Marcelli Ancyrani.

Athan. Apol. pag. Coutan. p. 379
Socrat. l. 1. 36
Hilar. Fragm. 2. T. 2. p. 640. edit. Veron.
Hier. de Vir. illustr. cap. 86 in Asterio.
Epiph. hær. 72

JESU CHR. AN. 347. *Montfauc. collect. PP. Græc. Tom.*

parte adhuc superſunt, in quibus tum ſcriptoris malignitas, & Arianæ doctrinæ ſtudium elucet. Marcellum itaque Ariani tanquam Sabellianæ hæreſis reum in Hieroſolimytana ſynodo accuſatum, deinde in Conſtantinopolitana Epiſcopatu privarunt: *Baſilium vero ejus loco Ancyram miſerunt*, Socrate auctore.

Marcellus ab hæreſi excuſatur. *Socrat. l. 2. 15. 20. Athan. Apol. p. 141. Epiſt. ad Mon. p. 347. Athan. Apol. p. 141. 150. Ad Monach. p. 347.*

33. Poſt Conſtantini obitum, cum epiſcopi exules ad ſua rediiſſent, Marcellus Ancyram rediit. At Arianorum factione iterum exulare coactus, ad Julium Pontificem confugit; a quo rogatus, ut fidem ſuam exponeret, edita fidei profeſſione, Catholicum ſe eſſe probavit; quare a Romana ſynodo Communioni Eccleſiæ, ſuæque Sedi fuit reſtitutus, ut in ſua epiſtola ad Orientales Julius Pontifex narrat. Athanaſius etiam ejuſdem innocentiæ ſuffragatur: *De Marcello autem Galatiæ Epiſcopo*, ait, *ſuperfluum fortaſſè fuerit, mentionem facere; omnibus enim compertum eſt, Chriſtianos ab eo antea impietatis accuſatos, eum viciſſim accuſaſſe, eorumque opera ſenem illum exulaſſe. Ille autem Romam profectus ſeſe purgavit, fidemque ſuam illis exigentibus ſcripto tradidit; quam Sardienſis ipſa ſynodus approbavit*. Fidei profeſſionem a Marcello Romanæ ſynodo exhibitam, atque a Sardicenſi poſtea probatam, in qua inter cetera annum integrum, menſeſque tres Romæ ſubſtitiſſe tradit, ut accuſatores ſuos expectaret, adfert Epiphanius, a quo hæc ſubjunguntur: *Qua ex defenſione, & libello nonnulla eum præter ſinceram fidem ſenſiſſe apparebit; etenim ſi nihil ab illa diverſum ſenſiſſet, cujus rei gratia hanc illam ſui purgationem inſtitueret?* Verum animadvertiſſe Epiphanium oportebat, non ideo Fidei expoſitionem a Marcello oblatam eſſe, quod hactenus minus recte ſenſiſſet, ſed quo ab illatis calumniis ſeſe purgaret; alioquin & Athanaſius, qui apologiam pro ſe ſcripſit, & magnus Dionyſius, olim Alexandriæ Epiſcopus, qui & ipſe accuſatus, quod non recte ſentiret, apologiam ad Romanum Pontificem miſit, & Hieronymus, aliique plurimi, qui ſuam fidem editis ſcriptis tueri coacti ſunt, fas eſſet hæreticis adnumerare.

Quinam Marcellum hæreticum judicaverint.

34. Poſt Romanæ, & Sardicenſis ſynodi ſententiam, qua Marcellus ab hæreſis labe immunis eſt declaratus, de ejuſdem Orthodoxia non ultra dubitari poſſe videbatur. Res tamen aliter accidit; nam non ſolum Orientales Epiſcopi, ſeu Ariani Philippopoli congregati, ſed viri etiam graviſſimi, neque Arianæ factionis ſuſpecti, conceptam de eo opinionem retinuerunt,

runt, eumque Sabellianæ hæresis & infectum fuisse scribere non dubitarunt; exemplo sint ea, quæ Basilius ad Athanasium scribit: *Requiritur & illud a nonnullis, qui hic sunt, & necessario quidem ut etiam nobis ipsis videtur, ut ipsi*, idest Occidentales, *Marcelli hæresim velut perniciosam, & noxiam, & a sana fide alienam exterminent; nam hactenus in omnibus, quas scribunt litteris, Arium quidem infausti nominis virum, susque deque anathemate ferire, & ab ecclesiis relegare non cessant. Marcello vero, qui impietatem ei ex diametro oppositam protulit, & in ipsam divinitatis Unigeniti existentiam impius fuit, & Verbi appellationem prave accepit, nullum videntur intulisse vituperium*: eadem de Marcelli hæresi, alibi Basilius repetit; atque inter cætera, *ausus est*, inquit, *Marcellus, cum in Domini nostri Jesu Christi Hypostasim esset impius, ipsumque nudum Verbum esse statueret, inde ansam principiorum statuere, Consubstantialis notionem male exponere*, & alibi: *Scitis enim, fratres maxime colendi, spem nostram omnem everti Marcelli dogmate, quod neque Filium in propria hypostasi confitetur, sed prolatum esse, & rursus reversus ad eum, ex quo processerat, neque Paraclitum hypostasim propriam habere concedit, quare non aberraverit, qui a Christianismo penitus alienam hæresin pronunciaverit, ac Judaismum corruptum dixerit*. Hæc ad Occidentales Basilius de Marcelli hæresi. Hilarius etiam de Marcello scribit, Athanasium, ejus impietate cognita, ab ipsius communione recessisse, quod ut ille audivit, ab ecclesiæ ingressu sponte se abstinuit: *nam negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese ecclesiæ Marcellus abstinuit*. Gemina ex Hilario historiæ suæ Sulpicius inseruit. Epiphanius rursum adnotat, quod cum Athanasium aliquando interrogasset, quid de Marcello sentiret: *Ille neque purgavit hominem, neque vero asperius notavit, sed leniter arridens, non multum ab improbitate abhorruisse significavit, & in eorum loco, qui se purgassent, habuit*: quæ quidem etsi contra Marcellum Epiphanius interpretetur, Marcelli tamen Apologiam continere videntur; nam cum eum ex iis habuerit, qui se purgaverint, jam constat, Athanasium de Marcelli fide nullatenus dubitasse. Cum porro Athanasius, uti ex ejus historia constat, ad obitum usque Marcelli fidem laudaverit, in ejusque communione adeo perseveraverit, ut nec Basilii auctoritate removeri ab ea potuerit; patet utique minus vere scriptum,

JESU CHR. AN. 347.
Basilius epist. 69.
Epiph. hær. 52
Hieron. de viris illust. cap.
Theod. hær.
Subul. lib. 2. 10.

Basil. epist. 125.

Epist. 263.

Hilarius T. 2. de Trinit. l. 7. cap. 3.
Fragment. 2. p. 640. Tom. 2. edit. Veron. Maurin.
Sulpic. Sever. hist. l. 2.
Epiph. hær. 72 4.

JESU CHR. AN. 347. Bar. 347. 60. Pag. not. 3. 4. ibid. Petav. in Epiph. hær. 72. Theol. Dogm. Tom. 2. Basnag. 347. 23. Montfaucon. collection. PP. Græc. tom. 2. opusc. primum Nat. Alex. diss. 30. sæc. 4. Dupin. sæc. 4. Tom. 1. p. 277. Tillem. hist. Tom. 1. p. 277. Tillem. hist. T. 7. in Marcell.

Athanasium a sua communione Marcellum repulisse; quamobrem etsi Basilius, Hilarius, Epiphanius, quibus recentiorum aliqui consentiunt, Marcellum ab orthodoxa fide aberrasse existimaverint, nos tamen de illo secus omnino opinandum arbitramur, & cum Romana, ac Sardicensi synodo eum a Sabelliana hæresi innoxium dicere malumus, freti præterea ejusdem fidei professione, quam eruditissimus Montfoconius edidit in sua Patrum Græcorum collectione, quamque Marcellus una cum Ancyræ Clero ad Athanasium misit per Eugenium Diaconum; in hac enim se Filii, & Spiritus Sancti consubstantialitatem tenere, cumque Nicænis Patribus Omousion profiteri, aperte testatur, ac nominatim Photini, Sabelliique hæresim damnat. Hæc porro fidei confessio tunc a Marcello edita forte creditur, cum in eum Basilius totum Orbem commovere tentasset, ut ejusdem epistolæ indicant, ad Athanasium præsertim, & ad Occidentales datæ, eaque fidei professione se a Sabellianæ hæresis crimine purgare curavit; uti pluribus ostendunt eruditi Viri, qui ejusdem Orthodoxiam vindicare aggressi sunt.

Mediolanensis synodus Photinum condemnat. Athan. de syn. pag. 741. Petav. de Photin. damnat. Dissert. tom. 2 Theol. dogm. Epiph. hær. 71. 1. Vide not. ad hunc Hilarii locum. Pag. 347. n. 8. ad 17. Basnag. 347. n. 15. Villem. hist. Tom. 8. p. 132.

35. Antiochena Arianorum synodus cum Marcello Ancyrano Photinum etiam Sirmii Episcopum damnaverat anno 345. Eumdem in Constantinopolitana synodo anno 336. habita damnatum & sede sua dejectum scribit Petavius, atque hujusmodi sententiam a Sardicensi concilio confirmatam memorat Epiphanius. Cum nulla tamen in Sardicensi synodo Photini mentio occurat, nihil de hisce statuimus. Hoc unum, Hilario teste, certo scimus, in Mediolanensi synodo Photinum hoc anno dejectum fuisse. *Igitur ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex provinciis plurimis congregantur Sacerdotes*, anno scilicet 349; ubi iterum Mediolani aut Romæ (utrumque enim traditur) Episcopi convenerant; at populi factione ejici sua Sede haud potuit, cui usque ad Sirmiensem synodum anno 351. habitam insedit, uti testatur Hilarius fragmento secundo num. 21. pag. 639.

JESU

JESU CHRISTI AN. 348. JULII PAPÆ 12.
CONSTANTII, ET CONSTANTIS IMP. 12.
COSS. PHILIPPO ET SALIA.
OLYMP. 281. AN. 4. URBIS AN. 1101.

1. Ubi insidias a Stephano Antiocheno Episcopo adversus Euphratem, & Vincentium Sardicensis Concilii legatos structas novit Constantius, *paulisper compunctus ad se rediit*, ait Athanasius, & Presbyteros, Diaconosque pro fide exules *liberos dimitti*; *& ne ultra vexarentur Athanasii Clerici*, *vel populi*, datis ad Alexandrinos epistolis jussit, ut anno proximo diximus. *Deinde*, *post decem circiter menses*, *defuncto Gregorio*, *Athanasium cum summo honore acci vit*, *cui non unas*, *aut binas*, *sed ternas misit litteras amicitiæ plenas*, *quibus hortabatur illum*, *ut cum fiducia accederet*. His addit Socrates, *Constantium accersitis haud paucis Orientis Episcopis*, *quidnam faciendum esset interrogasse*. *Illi satius esse dixerunt*, *ut Athanasio concederentur Ecclesiæ*, *quam ut civile bellum susciperetur*; quod ei Constans minatus fuerat, nisi Athanasium Sedi suæ restituisset. Quamobrem Presbyterum, & Diaconum ad eum misit, ut cum securitate rediret. Scripsit etiam fratri suo Constanti, ut eum ad remigrandum cohortaretur; affirmabat enim se anno integro Athanasium expectasse, neque concessisse, ut quidpiam novi, aut ordinatio aliqua fieret, quod Athanasio Episcopo suas Ecclesias servare vellet. Nec solum ipse multis eum verbis cohortatus est; sed Comites quoque suos jussit ad illum scribere, Polemium, Datianum, Talassium, Bardionem, & Florentium, quibus præcipue habenda fides erat; utpote qui Catholicæ fidei assertores essent, & Athanasio amicissimi.

Athanasius ab exilio revocatur.
Athan. hist. Aria. ad Mon. pag. 356.
Socrat. l. 2. 23.

2. Itaque Athanasius certior factus, se tuto redire posse, Alexandriam anno sequenti petiit; nam, ut diximus anno superiori, Arianorum insidiæ in Vincentium, & Euphratam detectæ sunt, circa Paschatis festum: post decem menses, idest circa Februarium labentis anni, defuncto Gregorio, ter, quaterve ad Athanasium, ut Alexandriam rediret, scripsit Constantius, ita ut annum integrum Antiochiæ eum expectaverit, usque ad annum proximum, quo tandem viæ se Athanasius commisit; sed de ejusdem reditu anno proximo. Frequen-

Constantii epistolæ ad Athanasium.

JESU CHR. AN. 348.

Athan Apol. pag. 170. Socrat. l. 2. 25

quentes autem ad Athanasium datæ epistolæ multam in eum benevolentiam præseferunt, atque inter cetera: *Diutius te immanibus maris fluctibus, procellisque jactari nostræ clementiæ humanitas non permisit; te scilicet patriis Penatibus nudatum, tuisque spoliatum, in inviis ferarum locis errantem non neglexit indefessa nostra pietas. Nam etsi diu distuli mentis meæ propositum litteris tibi significare, eo quod te ultro accessurum, laboribusque tuis remedium rogaturum expectarem, tamen quia fortasse metus impedimento fuit, ne propositum exequerere tuum, ideo litteras munificentiæ nostræ plenissimas ad tuam constantiam misimus, ut absque metu quamprimum conspectui nostro te præsentem sistere cures, quo voti tui compos effectus, nostramque humanitatem expertus, tuis restituaris. Hac enim de causa dominum meum, & fratrem Constantem Victorem Augustum pro te rogavi, ut tibi veniendi daret facultatem, quo utriusque nostrum nutu patriæ restituaris, hocque gratiæ nostræ pignus assequare*. Epistola vero altera hæc in eamdem rem occurrunt: *Etsi id in primis superioribus litteris significavimus, ut absque metu ad nostrum comitatum te conferres, quod summopere cupiamus, te ad propria remittere, tamen etiam nunc has litteras ad tuam constantiam misimus, quibus adhortamur, ut citra diffidentiam, aut metum publica vehicula conscendas, & ad nos properes, ut optatis frui valeas*. Tandem epistola tertia: *Cum Edessæ*, ait, *degeremus, præsentibus tuis presbyteris, placuit, ut misso ad te presbytero, ad nostrum comitatum properares, ut ubi vultum nostrum conspexisses, quamprimum Alexandriam proficiscerere; sed quia multum temporis effluxit, ex quo litteris nostris acceptis non venisti, eapropter te jam quoque impense hortamur, ut vel nunc saltem quam celerrime nobis te sistas, quo & patriæ restitui, & voti compos effici queas. Ut autem res tibi fusius, & plenius enarretur, Achitam Diaconum misimus, ex quo tibi ediscere licebit, & mentis nostræ propositum, & te quæ optas assequi posse*. Hactenus ad Athanasium Constantius, cujus litteras Aquilejæ se accepisse, Athanasius testatur:

Athan. p. 171.

Has litteras scripsit Imperator, quibus acceptis Romam redii Ecclesiæ, & Episcopo valedicturus; nam Aquilejæ degebam, quo tempore mihi hæc scripta sunt.

Athanasii peregrinationes in Occidente.

3. In Apologia vero, Constantio Imperatori oblata, de rebus suis in Occidente gestis toto sexennio, quo exulavit, hæc adnotat, quibus hactenus dicta confirmantur: *Alexandriæ pro-*

profectus, ut Romam peterem .... Triennio exacto, quarto anno me accivit, quo tempore Constantius Mediolani versabatur ..... me autem postea in eadem urbe (Mediolano) *degentem misit in Gallias, ut inde cum Osio Sardicam peteremus. Post peractam verò synodum litteras mihi tum Naisso degenti misit; atque hinc profectus Aquilejæ postea commoratus sum, ubi mihi redditæ sunt litteræ hæ pietatis; accitus inde a beatæ memoriæ viro* (*idest Constante*) *in Gallias iter institui.* Quo tempore Aquileja Romam rediit, *Ecclesiæ*, & Episcopo valedicturus, ut ipse tradit; *hincque demum* (idest ex Gallia) *tuam adii pietatem*, ut anno sequenti videbimus, quo Antiochiam Constantium adiit, Alexandriam versus iter agens.

JESU CHR. AN. 348.

Athan. Apol. ad Imp. Const. num. 3. 4. 5.

Apol. p. 171. Ad Const. Apol Tom. p. 298.

4. Interea cum Donatistarum furor per Africanas provincias in dies augeretur, ad leniendos eorum animos, atque ad concordiam, unitatemque revocandos, Paulum, & Macarium in Africam Constans Imperator hoc anno misit; quibus id præcipue curæ fuit, ut profusis largitionibus pauperum inopiam sublevarent. Ad id operis exequendum, a Grato Carthaginensi Episcopo excitatum fuisse Constantem, non immerito scribit Baronius, qui e Sardicensi Concilio in Africam rediens, Imperatorem adiit, eique luctuosum Africanæ Ecclesiæ statum, diro Donatistarum Schismate, ac Circumcellionum tyrannide vexatæ exposuit; quare, ut remedium aliquod afferret, amplissimos viros Paulum, & Macarium tantæ rei executores delegit, atque in Africam misit. Hæc autem hoc, vel sequenti anno contigisse, ex Canone quinto Concilii Carthaginensis, post Synodum Sardicensem celebrati constat.

Constans Imperator legatos in Africam, ad pacem fovendam mittit.

Baron. an. 348 19.

5. Verum Legationis exitus conceptæ spei nequaquam respondit; nam Gratus oblata munera cum gaudio, & gratiarum actione accepit, atque pauperibus distribuit; at Donatus cum fastu, & arrogantia respuit dicens: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* & de fonte levitatis suæ multa maledicta effudit, Optato teste. Cumque *qui missi fuerant, dicerent, se ire per provincias singulas, & accipere volentibus se daturos; ille* (idest Donatus) *dixit, ubique litteras, se præmisisse, ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur.* Ceterum eleemosinas elargiendo, ad unitatem cum Catholicis servandam, neminem Paulus, & Macarius cogebant, sed muneribus alliciebant. *Veniebant Paulus*, addit Optatus, *& Macarius, qui pauperes ubique dispungerent, & ad unitatem singulos adhortaren-*

Legationis exitus quis fuerit.

Optat. lib. 3.

Optat. contra Parmen. l. 3.

JESU CHR. AN. 348.

rentur. Obcæcato autem furore Imperatoris munera, & dona respuebant Donatistæ, ne scilicet aliqualem cum Catholicis communionem habere viderentur.

Quid contra legato. Imperatoris tentaverint Donatistæ.

6. Sed majori adhuc temeritate Paulo, & Macario restitit Donatus alter Bagajensis Episcopus; nam, uti narrat idem Optatus: *Cum ad Bagajensem civitatem proximarent, tunc alter Donatus ejusdem Civitatis Episcopus, impedimentum unitati, & obicem venientibus supramemoratis* (Paulo, & Macario) *opponere cupiens, præcones per vicina loca, per omnes Nundinas misit, Circumcelliones Agonesticos nuncupans ad prædictum locum, ut currerent, invitavit, & eorum illo tempore concursus est flagitatus, quorum dementia paulo ante ab ipsis Episcopis impie videbatur esse succensa*. Circumcellionum vero flagitiis descriptis, ita prosequitur Optatus: *Sic invenit Donatus Bagajensis, unde contra Macarium furiosam conduceret turbam. Ex ipso genere fuerunt, qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant; inde etiam illi, qui ex altorum montium cuminibus viles animas projicientes, sese præcipites dabant. Ecce ex quali numero sibi Episcopus alter Donatus cohortes effecerat. Hoc metu deterriti illi* (nempe Paulus, & Macarius) *armatum militem a Silvestro Comite postulare coacti sunt*: non ut vim facerent, sed ut vim repellerent. Itaque cum metatores præcessissent, non solum admissi non sunt, sed variis modis vexati, quare ad suos reversi, ob injurias acceptas commoti milites Donatistarum nonnullos interemerunt; quod ad odium invidiamque adversus Catholicos excitandam, in immensum Donatistas exagerasse narrat Optatus, quasi unitatis causa persecutionem, eamque gravissimam sustinuissent. Falso tamen hæc hisque similia catholicis tribuisse probat, unde post aliqua.

Donatistarum turbæ contra Catholicos excitatæ

Donatistarum injustæ querelæ.

7. *Querelam per ordinem disponitis sub Leontio, sub Ursacio injuriatos esse quamplurimos, sub Paulo, & Macario aliquos necatos a sequentibus, nescio quos ad tempus esse proscriptos: quid ad Ecclesiam Catholicam pertinet? quod objecistis, vos fecistis*; dum scilicet circumcelliones advocarunt, dum primi injuriam militibus fecerunt; dum uterque Donatus legatis a Constante missis superbe resistentes eleemosinas distribui, & a suis recipi prohibuerunt; *Unde constat Donatum omnium malorum fuisse causam, quidquid itaque in unitate facienda, aspere potuit geri, vides frater Parmeniane, cui debeat imputari. A nobis*

bis Catholicis petitum militem esse dicis. Si ita est, quare in provincia Proconsulari tunc nullus armatum militem vidit? ubi nempe per armatos circumcelliones nil erat metuendum; at in Numidia, uti diximus, per armatum militem Donatistæ reprimere necesse fuit. Jesu Chr. an. 348.

8. Cum autem Martyribus eos adcensuissent Donatistæ, qui justas temeritatis suæ pœnas dederant, atque inter ceteros Marculum, & Donatum, inepte prorsus de martyrio istorum Donatistas gloriari, ita egregie admonet Optatus: *Invitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo nominum facere mentionem, vos inter Martyres ponitis, per quos tamquam per unicam religionem vestræ communionis homines jurant, quos quidem vellem silentio præterire, sed ratio veritatis se sileri non patitur, & ex ipsis nominibus contra unitatem inconsiderate latrat invidia, & aspernantes aliqui, accusandam, aut fugiendam æstimant unitatem, quod Marculus, & Donatus dicantur occisi, & mortui; quasi omnino in vindictam Dei nullus mereatur occidi. Nemo erat lædendus ab operariis unitatis; sed nec ab Episcopis mandata divina contemni debuerant, quibus præceptum est; quære pacem, & consequeris eam &c.* Donatistarum falsi Martyres, Marculus, & Donatus. *Optatus lib. 3.*

9. Marculi acta apud Donatistas celeberrima Mabillonius edidit, quibus habetur eumdem ex foro ad Presbyteratum evocatum fuisse, quo ordine cum ingenuus esset: *Ecce subito de Constantis Regis tyrannica domo, & de palatii ejus arce, pollutum Macarianæ persecutionis murmur increbuit, & duabus bestiis ad Africam missis, eodem scilicet Macario, & Paulo, execrandum prorsus, ac dirum Ecclesiæ certamen indictum est, ut populus Christianus ad unionem cum Traditoribus faciendam, nudatis militum gladiis, & draconum præsentibus signis, & turbarum vocibus cogeretur.* Scilicet cum in Numidiam pervenisset Macarius, decem ad eum Donatistarum Episcopi missi sunt, ut eum ab unitate procuranda averterent; ubi vero in quadam possessione, cui Vægeselæ nomen erat, eum convenere Donatistarum legati, atque inter eos Marculus, eos Macarius, si auctori Donatistæ fides præstanda, ad columnas vinctos non solum acerbissime flagellis subdidit; sed Marculum ad Castellum novæ Petræ ductum, & e rupis cacumine præcipitem dari jussit. Marculi memoria in Usuardi Martyrologio die sexta Kalendas Decembris his verbis recensetur: *In Nicomedia B. Marculi Sacerdotis, & Martyris, qui temporibus Constantis ty-* Marculi acta recensentur. *Mabil. anal. Tom. 4. p. 105.* *Mabill. p. 118 T. 4. Analect.*

JESU CHR. AN 348.

Baron. Martyr. Rom. 26. Novembr.

tyranni persecutiones maximas protulit, ad extremum ab alta rupe præcipitatus est; ubi loco *Nicomedia*, in *Numidia* legendum esse Mabillonius adnotat. Baronius tamen Marculum in Marcellum mutandum censuit, quem Nicomediæ sub Constantio ab Arianis e rupe præcipitatum, martyrio occubuisse tradit. An autem Marculus Pauli, & Macarii sententia præcipitatus e rupe, obierit; an se ipsum sponte præcipitaverit, quod Donatistas sæpe fecisse novimus, se nescire, aut dubitare scribit Augustinus; nam de Marculo agens, quem præcipitatum fuisse Donatistæ dicebant, subdit: *Atque utinam sicut illa, vel falsa, vel transacta sunt &c.* Et iterum: *Nam de Marculo, quod se ipse præcipitaverit, audivi, quod profecto est credibilius, quam hoc aliquam potestatem Romanam jubere potuisse, Romanis legibus nimis insolitum, cum hoc malum inter tot hæreses sub Christiano vocabulo errantes, proprium sit hæresis vestræ.* Aliquos tamen tunc occisos fuisse militari licentia, aut justa pœna damnatos, Optatus tradit; quin & Episcopos exilio pulsos eodem auctore scimus: *Fugerunt igitur*, inquit, *omnes Episcopi cum clericis suis, aliqui mortui sunt, qui fortiores fuerant, capti longe relegati sunt, & tamen horum omnium nihil actum est, cum voto nostro, nihil cum conscientia, nihil cum opere*; idest, ex Catholicæ Ecclesiæ consensu. Donatistarum Episcopi usque ad Constantii obitum exulantes, a Juliano deinde sedibus suis redditos, suo loco infra videbimus.

Augustin. contra litt. Petil l. 2. n. 195.

De Carthaginensi synodo, ejusque canonibus.

10. Interea Gratus Carthaginensis Episcopus, unionis procurandæ causa, synodum Carthagine congregavit, cui Episcopi decem cum Grato inscripti leguntur. In præfatione Deo primum, deinde Imperatori gratias agunt, quod Legatos in Africam, *ut votum gereret unitatis, mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paulum, & Macarium &c.* Canones vero quatuordecim Ecclesiæ disciplinam spectantes editi in ea sunt, quorum hæc summa. Primo, contra Donatistas Baptismatis unitas commendatur; ac in nomine Trinitatis baptizati rebaptizari prohibentur. Secundo, Martyrum memoriis honorem haberi jubetur, e Martyrum tamen catalogo eos expungendos esse decernitur, qui insania, aut furore acti se præcipites dabant, aut alia ratione sponte interibant, quod apud Donatistas non infrequens erat. Tertio, ad vitandas peccatorum occasiones, aut suspiciones, clericorum, & laicorum cum mulieribus extraneis familiaritas, & habitatio prohibetur. Quarto, eadem lex in

in viduos, vel viduas fertur. Quinto, privatus deinde Vigeselitanus Episcopus dixit, non licere Episcopo alienum Clericum, aut ordinare, aut apud se retinere: *Gratus Episcopus dixit; hæc observantia pacem custodivit; nam & memini in Concilio Sardicensi similiter statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet; si forte erit necessarius ordinationi, petat a Collega suo, & per consensum habeat.* Quo canone scimus, hanc synodum hoc, vel sequenti anno habitam fuisse post Sardicensem, cui Gratus interfuit. Sexto, ne Clericus domorum procurator, vel administrator sit, jubet. Septimo, ne Clericus, neque laicus in aliena plebe communicet sine litteris sui Episcopi. Octavo, ne procuratores, administratores, pupillorum tutores, nisi redditis rationibus, ordinentur, si ipsorum vita, & postulatio populi, ut ordinentur, id suadeat. Canone nono cavetur, ne Domini Clericos Apothecarios, vel ratiocinatores faciant. Decimo vero, ne Episcopi alienos fines usurpent; nec quilibet Episcopus collegam suum transcendat sine ejus licentia. Undecimo, Clerici superbi, aut contumaces, qui majoribus injuriam fecerint, si correcti non se emendaverint, severiori disciplinæ subduntur, idest deponuntur. Duodecimo canone, Antigonus Madaurensis coram synodo de illata sibi injuria ab Optantio collega questus est, dicens, *pactum mecum habuit, & divisimus plebem, manuscriptiones nostræ tenentur, & pittacia*; & contra hoc pactum, *circuit plebes mihi attributas, & usurpat populos, ut illum patrem, me vitricum nominet*. His auditis, Gratus cum universa synodo statuit, pacta esse servanda ab Optantio, alioquin ecclesiasticam sentiat disciplinam. Canone decimotertio: *Habetur quod in laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis debere prædamnari*. Clericis itaque fœnora exercere omnino prohibentur. Ultimo tandem, ut hactenus sancita observentur, & a singulis subscribantur, stricte cavetur. De hujusce synodi canonibus plura apud Schelestratum videri possunt. Grati vero Carthaginensis Episcopi, qui huic synodo præfuit, memoria die tertio nonas Maii celebratur in Kalendario Carthaginensi edito a Mabillonio, penes quem extat & sermo a Severino Episcopo in die natalis ejus habito.

JESU CHR. AN. 348.

Schelestr. de Eccl. Afric. dissert. 3. c. 3.

Mabill. iter. Ital. p. 13.

JESU CHR. AN. 346.

JESU CHRISTI AN. 349. JULII PAPÆ 13.
CONSTANTII, ET CONSTANTIS IMP. 13.
COSS. ULPIO LIMENIO, ET FABIO CATULINO,
OLYMP. 282. AN. 1. URBIS AN. 1102.

Athanasius Alexandriam rediit. *Athan. Apol. pag. 170. ad Monac. p. 356.*

1. Annus integer effluxerat, ex quo Constantius Athanasium rogaverat, ut ad se veniret; quare ad eum scribens: *Multum, inquit, temporis effluxit, ex quo litteris nostris acceptis non venisti, eapropter te jam quoque impense hortamur, ut vel nunc saltem quam celerrime nobis te sistas, quo & patriæ restitui, & voti compos effici queas*: tandem cum tertiam ea de re ab Imperatore accepisset epistolam, itineri sese Athanasius commisit, & Aquileja excedens, Romam rediit; inde in Gallias ad Constantem divertens, demum in Orientem ad Constantium, qui Antiochiæ morabatur, profectus est; *Aquilejæ mihi redditæ sunt tuæ pietatis litteræ; accitus inde a beatæ memoriæ viro*, ideft Constante, *in Gallias iter institui, hincque demum tuam adii pietatem*.

Apol. ad Con. p. 298.

Julii Pontificis epist. ad clerum, & populum Alexand. *Athan. Apol. p. 171. Socrat. l. 2. 23 Sozom. l. 3. 20*

2. Ob Athanasii reditum *Romana ecclesia ingenti gaudio perfusa est*; *Episcopus vero Julius reditui nostro congratulans ad Ecclesiam litteras misit*; ait Athanasius, ideft ad Clerum, & populum Alex: quam Julii Papæ epistolam apologiæ suæ inseruit, eamdem recitat & Socrates; atque: *Gratulor vobis*, inquit, *dilectissimi fratres, quod fructum fidei vestræ ob oculos demum conspicitis, illud enim ita revera se habere cuivis palam est, in fratre, & Coepiscopo meo Athanasio, quem propter vitæ puritatem, precesque vestras vobis Deus restituit*, & post aliqua, *gratulor itaque vobis, libet enim repetere, quod non solum in fide perseverantes fueritis; sed & in Athanasii desiderio, & benevolentia constantes*; ut imposterum etiam præstent, pluribus hortatur.

Constantii epist. ad clerum, & populum Alex. *pag. 171. 172.*

3. Nec solum Julius Pontifex cum his litteris Athanasium in suam ecclesiam deduxit: *sed quacumque transivimus*, inquit ipsemet Athanasius, *Episcopi cum pace deduxere, & advenientem me Imperator perhumaniter intuitus ad Patriam, ecclesiamque misit, cum his ad Episcopos, presbyteros, & populos litteris*. Hisce porro Athanasium impense Constantius commendabat, & ut redeuntem una cum iis, qui cum ipso erant, peramanter exciperent, rogabat. Ad Episcopos etiam, &

pre-

presbyteros Ecclesiæ Catholicæ in hæc verba scripsit Imperator: *Nequaquam destitutus Dei gratia est Reverendissimus Athanasius, sed licet ad breve tempus humanæ probationi subjectus fuerit; debitum tamen a providentia omnium rerum inspectrice retulit calculum, ac Dei voluntate, nostroque judicio patriæ simul, & Ecclesiæ, cui divino nutu præsidebat, est restitutus &c.*. Alia rursum Epistola. JESU CHR. AN. 349.

4. Populum Alexandrinum ut redeuntem Athanasium cum lætitia exciperet hortatus est: *Quamobrem vos iterum monemus, ut Episcopum, qui Dei sententia, nostroque decreto, ad vos missus est, libenter recipiatis, & tota anima, tota mente amplectendum existimetis, illud enim & vos decet, & clementiæ nostræ convenire constat &c.* Præterea, omnia quæcumque gesta hactenus contra Athanasium fuerant, de publicis tabulis deleri hoc rescripto mandavit: *Victor Constantius Augustus Nestorio, & sub eadem forma Præfectis Augustamnicæ Thebaidis, & Lybiarum &c. Si quid hactenus ad damnum, contameliamque eorum, qui cum Athanasio Episcopo communicaverunt, decretum repertum fuerit; id jam volumus deleri. Placet enim quam immunitatem ante hac clerici ejus habuerunt, ut eadem iterum fruantur. Hoc autem nostrum decretum observari jubemus, ut Athanasio ecclesiæ suæ restituto, qui cum eo communicant, eadem gaudeant immunitate, quam semper habuere, & qua ceteri fruuntur clerici, ut idipsum consecuti gaudeant.* Hæc pro Athanasii restitutione Constantius, qui ad Nestorium etiam Ægypti Præfectum alio rescripto præcepit, ut epistolæ contra Athanasium editæ e tabulario tollerentur. Inter hæc Athanasius Hadrianopoli transiens, eorum monumenta vidit, qui a Philagrio Præfecto capite damnati fuerant, quod cum Eusebianis Sardica recedentibus communicare recusassent: *Horum monumenta ante urbem sita nos illac transeuntes vidimus*, inquit Athanasius, qui cum Antiochiæ esset, atque apud Imperatorem de illatis sibi malis conquereretur, rogaretque, ne tam faciles imposterum adversariis suis aures præberet; non solum verbis id Athanasio promisit, sed & juramento firmavit; atque utinam promissis stetisset, nec tam facile, & cito adversus Athanasium iterum commotus fuisset. In quam rem, dignus qui audiatur Lucifer Calaritanus Episcopus: *Litteris tuis jurasti Alexandrinis, nihil mali facturum te deinceps Athanasio, & nunc quæris eum interficere.* Osius etiam ad Constantium scribens, eidem in memo-

In Athanasium gesta abrogari jubet Constantius. Athan. Tom. 1. p. 174. Socrat. l. 2. 23

Athan hist. ad Monach. p. 357.

Athan. ad Monac. p. 354 pag. 354.

Lucif. ad Constant. pro lib. 1 Biblioth. PP. Tom. 4.

JESU CHR. AN. 349. *Athan. ad Monac. p. 370 Apol. ad Constant. p. 298.*

moriam ea revocat, quæ Athanasio promiserat; quin ipsemet Athanasius eumdem compellans: *recordare quæso*, ait, *verborum, quæ tum tecum habui cum me vultum tuum subire dignatus es, primo Viminacii, secundo Cæsareæ Cappadociæ, tertio Antiochiæ.*

Athanasius Antiochiæ Leontii communionem refugit. *Sozom l. 3. 20.*

5. Cum autem aliquandiu Antiochiæ substitisset Athanasius: *ubi tunc temporis agebat Imperator, Leontius vero Episcopatum illum regebat*, post Stephanum scilicet, uti anno elapso diximus: *eum quidem utpote hæreticum aversatus est, cum iis vero qui Eusthatiani vocabantur communionem iniit, in privatis ædibus collectas celebrans*: Imperatorem vero, Arianorum instinctu, Ecclesiam pro Arianis, qui Alexandriæ erant, ab Athanasio beneficii loco postulantem, sagaci consilio ipsum, & Arianorum spem fefellit; respondit enim Imperatori: *Æquum omnino, imo necessarium est, præceptis tuis obtemperare, neque ego contradicam. Verum quoniam in hac quoque Antiochenorum urbe multi sunt, qui hæreticorum communionem refugiunt, simile quoque beneficium abs te peto, ut scilicet isti unam sibi habeant Ecclesiam, in quam libere possint convenire. Cumque Imperator justa esse censuisset, quæ ab Athanasio dicerentur, satius visum est Arianis quiete agere*. Intelligebant enim, vivente Athanasio, Arianam hæresim Alexandriæ vix progressum facturam esse; ac e contra deperdituram Antiochiæ, si catholicis liberum fuisset conventus agere.

Arianorum spem fallit.

Hierosolymitana synodus Athanasium excipit, ejusque epistola. *pag. 175.*

6. Itaque *Syriam peragrans, Episcopos Palæstinæ offendi*, ait Athanasius, *qui synodo Hierosolymis coacta, nos quoque perhumaniter exceperunt, & cum pace dimiserunt, data ad ecclesias, & Episcopos Ægypti, Lybiarum, clero, populoque Alexandrino* epistola, qua quamplurimas Deo pro Athanasii reditu gratias agunt, *quando Pastorem, & Dominum vestrum, comministrumque nostrum Athanasium vobis restituit. Quis enim speravit unquam ea se oculis visurum, quæ jam vos reipsa consequimini? Certe preces vestræ exauditæ sunt a rerum omnium Deo, qui ecclesiam curat suam, qui lacrymas vestras respicit, vestrosque gemitus*, ac ut cum gaudio tantum virum excipiant, proque pietate religiosorum Imperatorum orent, eosdem admonent; epistolæ autem subscripserunt Maximus Hierosolymorum Episcopus, Ætius, Arius, Theodorus, Germanus, Silvanus, Paulus, Patricius, Elpidius, Germanus, Eusebius, Zenobius, Paulus, Macrinus, Petrus, Claudius. Eo in itinere Lao-

Laodicæam transiisse Athanasium, & cum Apollinari Laodicenæ tunc Ecclesiæ Diacono communionem habuisse, narrat Sozomenus; cujus rei causa, a Georgio Laodiceno Episcopo Apollinaris gradu suo dejectus est, quasi immane admisisset facinus, cum Athanasio communicans.

JESU CHR. AN.349. Sozom. l.6.25

7. Triumpho similis pene fuit Athanasii in Ægyptum reditus, occurrebant quippe omnes, erantque ineffabili gaudio perfusi, non tantum quod suos præter spem incolumes reciperent, sed etiam quod ab hæreticis quasi a tyrannis, & rabidis canibus eriperentur. Ingens itaque lætitia populorum undique erat. Qui Athanasio hactenus adversati fuerant, ad ejus conspectum pudore affecti sunt, vel pœnitentia ducti, scripta gestaque adversus eum sua retractarunt; qui vero non sua sponte, sed vi ab Arianorum partibus stabant, noctu accedentes sese excusabant, hæresique damnata, sibi veniam dari rogabant.

Athanasii in Ægyptum reditus, quanta lætitia exceptus. Athanas. ad Monac. p.356

8. Mira præceteris & inopinata Ursacii, & Valentis pœnitentia fuit, qui in Mediolanensi synodo, primum oblato pœnitentiæ libello, in Athanasium hactenus gesta retractarunt, & Ario cum Satellitibus suis anathema dixerunt, eademque Romæ coram Julio Romano Pontifice confirmarunt: *Hæc cum viderent Ursacius, & Valens*, idest Athanasium tanta cum gloria suæ ecclesiæ restitutum, *sua se damnante conscientia, Romam sunt profecti, peccatumque suum pœnitentia ducti, confessi sunt, ac veniam postularunt; Julioque Romæ veteris Episcopo*, ad quem ita scripserunt: *Domino Beatissimo Papæ Julio Valens, & Ursacius*, sequuntur hæc eorum palinodia, & professio fidei, quibus hactenus in Athanasium gesta retractant, uti ibidem videre est. Ad Athanasium vero epistolas quoque dederunt, quibus suam erga eum benevolentiam testati, ejusdem communionem enixe expostulabant. *Dedit se occasio fratris, & compresbyteri nostri Moysetis venientis ad tuam dilectionem, frater carissime, per quem tibi salutem largissimam dicimus ex Aquilejensium civitate, & optamus, ut incolumis litteras nostras recenseas. Dederis enim fiduciam, si tu quoque rescribendo vicem nobis rependas. Sane habere nos locum tecum, & communionem ecclesiasticam his litteris scito, divina pietas te custodiat frater &c.*: Hæc de Ursacii, & Valentis pœnitentia Athanasius.

Episcopi plurimi Athanasio reconciliati ejus communionem expetunt. Athan. Apol. Hist. ad Mon. p.358. 359.

Valentis, & Ursacii epistolæ ad Athanasium. Athan. Apol. p.177. Hilar. frag.2 Tom.2. p.638.

9. Hilarius vero, in Romana synodo, Photini hæretici causa hoc anno congregata, Valentem, & Ursacium palinodiam cecinisse, ac in Ecclesiæ communionem a Julio Romano Pontifice ad-

Ursacius & Valens a Julio Pont. in communionem recepti.

Jesu Chr. An. 349. Hilar. frag. 2. pag. 735.

admissos fuisse prodit: *Eam opportunitatem nacti Ursacius, & Valens Romanae plebis Episcopum adeunt, recipi se in ecclesiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant; Julius ex consilio veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro catholicae Ecclesiae vires quoque detraheret Arianis, cum eos, qui unitatem ante turbaverant, consilii hujus, & audaciae poenitentes, in communionem catholicam per veniam reconciliatae pacis*. Subdit praeterea palinodiae libellum Julio oblatum, & epistolas Athanasio a Valente, & Ursacio datas, quas commemoravimus, de quibus ad eum Hilarii locum plura adnotant Maurini editores.

Variae Constantus leges. Gothfr. chron. cod. Theod. Cod. Theod. l. 2. de Sepul. Violat. tit. 3. Concil. Tolet. 4. can. 45.

10. De rebus Imperii adnotare sufficiet hoc anno, Constantem variis legibus Imperium suum nobilitasse. Inter caetera ad Limenium scribens, legum rigorem, quo violatores Sepulchrorum aut capite plectebantur, aut ad metalla addicebantur, mitigavit: *factum solitum sanguinis vindicari, multa inflictione corrigimus*. Ut scilicet, qui de monumentis marmora, columnas abstulerit, auri libram Fisco solvat: *Quod si Sepulchrum violaturus attigerit, viginti libras auri largitionibus nostris cogatur inferre*. Repetitis legibus opus fuit hoc tempore violatores sepulchrorum coercere, quod & Ecclesiae legibus confirmatum est, nam cum Idolorum templa passim destruerentur, in sepulchra quoque Gentilium, & monumenta passim saeviebatur. Altera lege Virginum, aut Viduarum raptores debita poena affici jussit, nimirum liberos gladio feriri, servos igne consumi.

JESU CHRISTI An. 350. Julii Papae 14.
Constantii, et Constantis Imp. 14.
Coss. Sergio, et Nigriniano.
Olymp. 282. an. 2. Urbis an. 1103.

Magnentius Constantem Imp. occidit, ac Imperium invadit.

1. Annum Ecclesiae, Imperioque infaustum ingredimur, ob Constantis Imperatoris interitum, inde enim civile bellum, inde strages, multaeque calamitates Imperio acciderunt: Ecclesiae vero idem infelicissimus fuit, quod sublato Constante, Ariana haeresis sub Constantii Imperio longe lateque propagata est, ut ex dicendis constabit. Itaque cum depulsis Barbaris Constans ludis, venationibusque vacaret, Magnentii perfidia periit. Conjurationis socii Augustoduni apud Marcellinum quemdam Fisci Praefectum collecti, ac convivio excepti, Magnentium pur-

purpura indutum Imperatorem salutarunt; qua re cognita, præcipiti se fugæ dedit Constans, sed a Gajona prope Helenam, oppidum Pireneis proximum, interceptus occisus est, uti plu ribus narrant Historici. *Sergio*, *&* *Nigriniano Coss.*, ait Idacius in fastis, *Constans occisus est in Galliis a Magnentio*, *&* *levatus est Magnentius die XV. Kal. Febr.*

JESU. CHR. AN. 350. *Idac. Fast. Zosim. lib. 2. 24. Socrat. l. 2. 25., aliique.*

2. Si Zosimo, aut Victori de Cæsaribus fides habenda, nil damni ex Constantis interitu Romana Respublica tulit; utpote a teterrimo Tyranno liberata. At de Constantis moribus secus longe judicat Athanasius, qui sane Zosimo, & Victori præferendus est, dum *beatæ æternæque memoriæ virum piissimum* dixit, quin & Martyrem appellavit, *quo factum est*, ait, *ut faustæ vir memoriæ martyrium sit consequutus*. Ejus porro interitum ubi Athanasius intellexit: *Vehementi sum horrore perfusus*, inquit, *insomnesque noctes ducens*, *cum obtrectatoribus concertabam*, *quasi tum illi coram fuissent*, *ac de repente ingentem clamorem edidi*, *statimque cum lacrymis*, *ac gemitibus Dominum rogavi*, *ut propitiæ mihi forent aures tuæ*. Quamobrem Magnentium Tyrannum, perduellem, & parricidam, sceleratissimum dæmonem, exitiosum diabolum, & alterum Cain appellat: quæ in Constantis laudem dicta epithaphii loco sint.

Constantis Imp. memoria vindicatur. *Athan. Apol. ad Constant. T. 1. p. 295. 298. p. 300. Tom. 1. pag. 299.*

3. Magnentinm Ethnicum fuisse, & dœmonum cultui addictum falso scripsit Philostorgius; nam ejusdem adhuc numismata extant cum Christi Cruce, neque Athanasius, qui in Magnentium pluribus invehitur, Idolorum cultum eidem exprobrat. At licet Christianus, barbarus tamen sicuti genere, ita moribus adeo erat, ut exitiosus dœmon ab Athanasio sit dictus; tunc enim primum auditum est, Christianum hominem adversus Imperatorem rebellasse, cum olim ne gregarius quidem miles, teste Tertulliano, inveniretur, qui adversus Imperatores Ethnicos, & Christianorum persecutores, aliquando ad Tyrannorum partes transierit. Itaque Christianam Religionem simulasse magis, quam induisse verosimile est, ut ea professione Constantis sibi gratiam promereretur. Et sane Imperio potitus, sacrificandi licentiam Ethnicis dedit, uti ex Constantii rescripto anno 353. dato constat, in quo habetur: *Aboleantur Sacrificia nocturna*, *Magnentio auctore permissa*, *&* *nefaria deinceps licentia repellatur*. Annis tribus, mensibus sex Galliis, Hispaniis, Italiæ, & Affricæ imperavit Magnentius, idest a die 18. Januarii currentis anni, quo purpuram induit, usque

Magnentii fides, & mores *Philost. l. 3. 36 Baron. an. 350. 2.*

JESU CHR. AN. 350. ad mensem Julium anni 353. quo a Constantio victus, sui carnifex effectus vitam amisit, & ut ait Athanasius: *Quasi victus, veluti Cain gemens, & tremebundus undique pulsus est, ut Judam in morte imitatus, suique ipse carnifex effectus, duplici supplicio, hic & in futuro Judicio plecteretur.*

Athan. Apol. ad Constant. p. 300.

Vetranio purpuram induit, qua post menses decem exuitur.

4. Post Constantis obitum *Vetranio magister Militum Imperium in Pannonia apud Mursam corripuit*, uti victor prodit in Epitome, cui congruit Idacius in fastis hisce verbis: *& Vetranio apud Sirmium Kal. Maii* (seu verius Kal. Martii) *eo anno elevatus est*. Chronicon Alexandrinum Kal. Martii elevatum Vetranionem tradit, sed in anno fallitur, dum sub Coss. anni præcedentis id narrat. Constantinæ autem Constantii sororis instinctu, purpuram induisse Vetranionem tradit Philostorgius: *Constantina, quæ vidua erat Hannibaliani, timens ne Magnentius Tyrannus universum Imperium sub potestatem suam redigeret, Vetranionem unum ex magistris militiæ Cæsarem renunciavit; Constantius vero his cognitis statim diadema misit ad Vetranionem, Imperatoriam ei dignitatem suffragio suo confirmans.* Id certum est, Constantium cum Vetranione societatem iniisse ad Magnentium debellandum, ne uno tempore cum duobus hostibus pugnare cogeretur; sed vix in Occidentem cum exercitu adversus Magnentium pugnaturus Constantius adfuit, Vetranionem quoque purpura exuit: *Nam sub obtentu colloquii, quod cum Vetranione amice inire voluerat, eo quod is defectionis suspicionem præbuisset, eum comprehendit, & Imperatoria veste exuit. Nullo tamen alio affectum incommodo, immo vero mensæ suæ adhibitum, Prusam Bithiniæ amandavit, amplos, ac magnificos sumptus ei constituens, providensque, ne quidquam eorum, quibus privatorum vita beate transigitur, ei deesset.* Hæc Pilostorgius de Vetranionis Imperio, quod per menses decem vix obtinuit. De quibus adeundus Aurelius victor in Cæsaribus, a quo additum, Constantium ad Vetranionis milites orationem habuisse, qua Constantini patris sui gloriam in memoriam revocans, ac de fide filiis suis servanda admonens, pollicitationibus etiam ad defectionem sollicitavit, qua oratione cum Vetranionis milites in Constantii partes transire cœpissent, ipse re cognita ex throno illico descendit purpuramque ultro deposuit, ne invitus ad id cogeretur, & a Constantio benigne exceptus, *qui grandævæ ætati non modo vitam, sed etiam voluptuarium otium concessit*,

Philost. l. 3. 22.

Philost. ut sup.

deinde

deinde vero Vetranionis militibus, exercitu suo aucto, fortior ad debellandum Magnentium Constantius evasit, & ad aggrediendum, nullo amplius resistente, promptior, uti anno sequenti videbimus.

5. Inter hæc quasi vacans, aut in direptionem datum esset Imperium, post Magnentium, & Vetranionem, Nepotianus Romæ Imperator est salutatus, cujus umbratile, ac per dies viginti septem fuit Imperium: *Eo anno*, quo Magnentius, & Vetranio Imperium usurparunt, *& Nepotianus tertio nonas Junias Romæ levatus est*, ait Idacius in fastis, *& pugna magna fuit cum Romanis, Magnentianis*; nam Magnentius, misso Marcellino cum exercitu, Nepotianum interfecit, unaque cum eo quotquot ex Romanis cum eo affinitate, & societate conjuncti erant; unde in ipsa Urbe maxima Senatus, Populique strages facta est. Hæc Nepotiani elevatio, *adeo plebi Romanæ, Patribusque exitio fuit, ut passim domus, fora, viæ, Templa cruore, ac cadaveribus opplerentur*, ait Victor de Cæsaribus, qui & addit, die vigesima septima ex quo purpuram induerat, interfectum fuisse, ejusque caput palo affixum per Urbem circumlatum. Cædis Romanorum tunc editæ, illorum præcipue, qui cum Constantini Familia juncti erant, testis est etiam Athanasius, dum meminit, hospites suos a Magnentio Romæ interfectos fuisse, ita ut ne Eutropiæ Nepotiani matri, & Constantis amitæ pepercerit. Ut enim se purgaret ab illata calumnia, qua Ariani dicebant, ipsum ad Magnentium litteras dedisse: *Quænam*, ait, *consuetudo ignoti cum sibi ignoto, aut quanam ductus occasione viro hujusmodi litteras misissem, & quod fecissem epistolæ ad talem virum mittendæ exordium, num illud: probe fecisti eum occidendo, qui me cum honore excipere solebat*, idest Constantem Imperatorem. Deinde de aliis Romæ crudelissime interfectis: *Te acceptissimum habeo, quod eos Romæ obtruncaris, a quibus perhumaniter exceptus fui; beatam nempe materteram tuam re, & nomine Eutropiam*, idest probis ornatam moribus; *Abuteriumque ingenuum illum, nec non Sperantium fidelissimum, aliosque frugi homines permultos*. Hæc Athanasius; Socrates vero de tribus Tyrannis hoc anno in Occidente exortis: *Dum in hoc statu res essent*, ait (idest, cum Constantius bello Persico detineretur) *in Occidentis partibus Magnentius quidam tyrannus exoritur, qui Constantem earum partium Imperatorem in Galliis tum degentem per insidias interemit. Quo facto, ingens bellum*

Nepotianus Romæ Imperium occupat, a Magnentio occiditur.

Athan. Apol. ad Const. p. 299

Socrat. l. 2. c. 5

Jesu Chr. an. 350. *lum civile conflatum est. Nam Magnentius quidam Tyrannus universa Italia potiebatur, Africam quoque sub ditionem suam redegerat, ipsasque adeo Gallias obtinebat. In Illyrico vero apud Urbem Sirmium, alter a militibus levatus est Tyrannus nomine Vetranio. Sed & in urbe Roma tumultus haud exiguus fuit. Nam Nepotianus sororis Constantini filius, Gladiatorum manu stipatus, Imperium arripuerat. Verum hunc quidem Magnentii duces peremere. Ipse vero Magnentius reliquas Occidentis provincias hostiliter invadens, universa vastabat.*

Magnentii legatio ad Constantium.

6. Ubi Imperium parricidio Magnentius obtinuit, perhonorificam ad Constantium destinavit legationem, quam illustres viri Clementius, & Valens obierunt, iisque duos totius Galliæ, tunc temporis celeberrimos, Episcopos addidit, ideft Servatium Tungrensem, & Maximinum Trevirensem, qui cum Alexandriam pervenissent, ab Athanasio perhonorifice excepti sunt; utpote non solum communione cum eo conjuncti, sed & amicitia. Eos namque, cum in Galliis esset, apprime noverat; unde Ariani Athanasium calumniati sunt, quasi cum tyranno Magnentio societatem iniisset, eique epistolas scripsisset, quam calumniam pluribus confutat in sua Apologia ad Constantium Imperatorem. Sed quid tunc egerit Athanasius, quibusve lacrymis Constantis obitum, & memoriam prosequutus fuerit, his verbis narrat: *Quod vero adtinet ad secundam calumniam, an scilicet litteras tyranno miserim . . . . . atrocitate calumniæ perculsus hæreo . . . .* Quod autem a Magnentio neque litteras acceperit, neque eidem dederit, Deum testem advocat, inquiens: *Ut rem diligenter exploras, cum potissimum testes habeas legatos ad te olim ab illo* (ideft Magnentio) *missos, Servatium scilicet, & Maximinum, cum comitibus suis, Clementium item, & Valentem. Disce quæso, num litteras ad me detulerint illi, quippe occasio mibi fuissent ad eum rescribendi.* Tandem testatur, se audito Constantis obitu, & conturbatum fuisse, & amare flevisse, tum ad adstantes: *Hæc solum protuli*, inquit, *oremus pro salute piissimi Augusti Constantii, omnisque populus una voce statim acclamavit, Christe auxiliare Constantio, & hæc precando diu perseveravi.* Hujusque rei testes, *qui tum aderant, Felicissimus olim Dux Ægypti, Ruffinus, & Stephanus, quorum ille Catholicus, hic magister ibi erat, Asterius item Comes, Palladius, qui fuit Palatii Magister, Antiochus, & Evagrius agentes in rebus.*

Athan. Apol. T.1. p.298.

Ha-

Hactenus Athanasius de gestis a se ipso, cum per Magnentii legatos Constantis interitum audivit. JESU CHR. AN. 350.

7. Edessæ in Syria Persico in bello implicatus erat Constantius, dum fratris interitum, & Magnentii, ac Vetranionis rebellionem accepit, ibique etiam Magnentii Legatos excepit; de pace tamen, aut societate cum eo ineunda, ne verbum audire voluit; eaque de causa munitis, armatisque castellis, ne se absente novi aliquid a Persis moliretur, exercitum sine mora in Occidentem deduxit; quem etiam pietate in Deum armatum voluit, & ut baptismate tingerentur, quotquot adhuc eo expertes erant, eleganti oratione excitavit. *Aliud præterea ejus* (idest Constantii) *facinus laude dignum commemorabo. Nam cum bellum gesturus esset adversus Magnentium, convocatis omnibus copiis, hortatus est milites, ut divini Baptismi sacramenta universi susciperent, semper quidem incertum esse, dicens, exitum vitæ, sed in bello maxime . . . . Quocirca unumquemque pretiosam illam stolam induere debere, qua maxime in futura vita opus habemus. Quod si quis*, inquit, *hanc vestem tunc differt accipere, hinc discedens revertatur domum. Non enim commilitones habere velim, qui non sint sacris initiati.* Hanc Theodoreti narrationem ex eo maxime suspectam habent eruditi viri, quod Constantius eo tempore de suscipiendo Baptismate, ne cogitaverit quidem, sed tunc tantum, cum adversus Julianum expeditionem suscepit; unde vix verosimile videtur, id a militibus suis exegisse, quod ipse non fecerat. At quis ignorat, facilius esse, saniora consilia aliis dare, quam exequi? Insuper alia militum, alia Imperatoris causa erat; militum periculum instans in bello erat; Imperatoris vero remotissimum, & maxime Constantii, qui etsi bella sæpius gesserit, hostium tamen faciem vix aliquando sustinuit.

Constantius ad bellum Magnentio inferendum se parat; Milites, ut baptismate abluantur, hortatur.

Theod. l. 3. 3.

8. Ut Constantis interitum audierat Athanasius, in lacrymas proruperat, instantes Ecclesiæ calamitates prævidens; & sane de instauranda in Athanasium persecutione minitabundi Ariani, eo vix interempto, rumores vulgaverant. At Constantius, qui alio tunc animum converterat, ad tyrannos scilicet conterendos, datis ad eum epistolis, periculo, & timore eripuit; quibus hæc inter cetera habet: *Votum meum semper fuisse, ut omnia quondam fratri meo Constanti ex sententia cederent, neque prudentiæ tuæ latere arbitror. Quem ubi a quibusdam sceleratissimis sublatum cognovissem, quanto mœrore affe-*

Constantii epistola ad Athanasium.

Athan. hist. Arian. ad Mon. T. 1. p. 358.

ctus

Jesu Chr. An. 351.

ctus sim, tua item prudentia æstimare valet. Ceterum quia nonnulli sunt, qui te tam luctuoso temporis decursu terrere conantur; ideo hasce litteras ad tuam constantiam mittere æquum existimavi: hortorque te, ut quemadmodum Episcopum decet, quæ ad divinam Religionem pertinent, populos doceas, ac cum illis de more precibus vaces: neque vanis rumoribus, quicumque tandem illi sint, fidem adhibeas. Firmum quippe se in animo propositum habere testatur, ut in sua perseveret Episcopali Sede. Hæc ad Athanasium Constantius. Biennio tamen vix elapso, Arianorum calumniis commotus, iterum iterumque vexavit, ac exulare coegit, ut suo loco videbimus.

JESU CHRISTI An. 351. Julii Papæ 15.
Constantii Imp. 15.
Coss. Magnentio, et Gaiso,
aut post
Coss. Sergii, et Nigriani.
Olymp. 282. an. 3. Urbis an. 1104.

Constantius Gallum Cæsarem creat. Marcell. lib. 14. 1. Zosim. l. 2. 45.

1. Anno elapso ad finem vergente Vetranionem purpura exuerat Constantius, uti ibidem diximus. Mursiæ deinde in Pannonia hyemaverat, de bello Magnentio inferendo maxime sollicitus, rebusque ad id necessariis parandis unice intentus. Antequam vero cum hoste manus consereret, cum hærede, aut collega careret, Gallum Patruelem, ex Constantio Magni Constantini fratre, & Galla natum, Cæsarem dixit, Imperiique Collegam fecit: *Post Coss. Sergii, & Nigriniani levatus est Constantius Cæsar idib. Martii*, ait Idacius in Fastis. Porro Constantius Cæsar idem est ac Gallus, cui Constantius cum Cæsarea dignitate nomen suum contulit; hinc Chronicon Alexandrinum hoc eodem anno: *Constantius Augustus sine Collega Imperator, Gallum Patruelem Consortem Imperii idibus Martii Cæsarem declaravit, & Constantii cognomentum indidit; Persisque ingruentibus Antiochiam in Orientem amandavit.* Ut autem Galli Cæsaris animum sibi Constantius magis, magisque conciliaret, Constantiam, sive Constantinam sororem suam, Hanniballiano Regi olim nuptam, matrimonio sociavit; cujus instinctu in fastum, & superbiam elatus, & ad crudelitatem impulsus, post annos quatuor immatura morte periit anno 355. ætatis suæ 29.

2. Ju-

2. Juliani Imperatoris, frater erat Gallus, qui in tanta consanguineorum strage a Constantio anno 338. edita, vix cum eo salvus evaserat. Julianus quidem, eo quod puer octennis tunc esset, Gallus eo quod morbo, quo tum laborabat, *propediem moriturus putabatur*, præter expectationem servati, *in Cappadocia degere jussi sunt in Macello*, idest in Villa publica ad Argeum montem sita: *Haud procul ab urbe Cæsarea*, ait Sozomenus, *ubi magnificum palatium erat, balnea, horti, & fontes perennes: ibi igitur & cultu, & educatione digna Principibus dignati sunt, ibi disciplinis, & exercitationibus illi ætati accommodatis instructi, ibi denique ab artis dicendi magistris, & sanctarum litterarum doctoribus ita instituti, ut in numerum Cleri adscriberentur, & libros Ecclesiasticos, & divinos populo perlegerent*, cum scilicet in Clerum cooptati, lectorum officio fungerentur. Grandior vero factus, cum unum vigesimum quartum ageret Gallus, insperato in spem Imperii deductus, ob Cæsaream dignitatem adeptam, *ultra terminos potestatis delatæ procurrens, asperitate nimia cuncta fœdabat*, ait Marcellinus, & Regiæ stirpis propinquitate elatus, in benefactorem quoque suum, idest Constantium, hostilia ausus esset, si licuisset, cui & stimulos addebat uxor ejus inter fœminas superbissima. Christianam tamen Fidem ad obitum usque tenuit, & pietatem coluit, ait Theodoretus, atque hæc de Galli Cæsaris educatione, moribus, aut gestis usque ad hunc annum satis sint.

Jesu Chr. an. 351. De Galli Cæsaris educatione, & moribus. Sozom. l. 5. 2. Marcel. l. 14. 1 Theod. l. 3. 3.

3. Ejus vero fratrem Julianum, qui communem cum eo educationem habuit, philosophicis disciplinis sub Macedonio magistro operam dedisse, ipsemet in Misopogone testatur, ubi ad Antiochenos ajebat: *Sæpe numero mihi adhuc puero dicebat Præceptor ille, ne finas, te a tuorum æqualium multitudine in Theatra induci, neque ulla ejus spectandi curiositate tenearis; Circenses desideras, apud Homerum eos elegantissime descriptos invenies*. Et post aliqua: *Is ab eo tempore, cum me ad magistros duceret, unicam bene vivendi viam esse mihi persuasit*. Eodem tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, quem *genere*, seu affinitate longius *attingebat*, ut ait Marcellinus *lib. 22.* Christianæ Fidei rudimenta didicit. At ab Ethnico philosopho ac præceptore seductus, Christianam Religionem deseruit, & ad Deorum cultum transiit; Constantii vigilantiam fraudans, *etsi adhibiti essent custodes diligenter observaturi, ne in Christiana fide vacillaret*.

Juliani studia, & educatio.

4. Quam

JESU CHR. AN. 351.

Juliani munera respuuntur.

4. Quam diversa amborum conditio futura esset, illustri exemplo Deus testatum voluit, ut narrat Nazianzenus oratione prima in Julianum. Cum enim ambo lectoris officio in Ecclesia fungerentur, ac divinos libros plebi lectitarent, & Ecclesias, Martyrumque sepulchra prætiosissimis donis exornarent: *Alter quidem*, ait Nazianzenus, *vere, & serio pietatem profitens, (tametsi enim natura acriori, ac frequentiori esset; verus tamen, ac sincerus pietatis cultor erat) hic autem* (idest Julianus) *occasionem captans, & redimens, fictaque pietatis specie, animi pravitatem occultabat*. Sed scrutator cordium Deus, illustri memorandoque prodigio, quam diversa utriusque voluntas esset, patefecit. Namque cum Templum in honorem Martyris Mamantis communibus impensis, & votis ædificandum suscepissent, Galli fratris natu majoris opus perficiebatur, Deo munus illud libenter admittente, ut sacrificium Abel; alterius autem, nempe Juliani, non secus ac oblatio Cain, Deus respuebat. Itaque ille quidem laborabat, sed terra, quod elaboratum fuerat, excutiebat. *Ille enixus contendebat, hæc imbecillis impietate hominis fundamenta capere detrectabat, velut terræmotum ob ipsius scelus eventurum clamans, atque impiissimi hominis dedecore Martyres exornans*. Deo in honorem Mamantis Martyris Templum Antiochiæ Gallum, & Iulianum ædificasse, auctor est etiam Sozomenus.

Sozom. l. 5. 2.

Julianus potiundi Imperii causa oracula consulit. Theodor. l. 3. 3

5. Itaque Julianus fratrem Gallum Cæsarea dignitate exornatum videns, ipse quoque in spem Imperii aliquando potiundi erectus est, atque oraculorum responsis confirmatus: *Cum Constantius Gallum Cæsarem renunciavit*, ait Theodoretus, *& Orienti præfecisset, tum Julianus utilem quidem, ac salutarem metum abjecit ex animo, assumpta autem majore quam debuerat fiducia, Imperii cupiditate exarsit*. Quare Græciam circumiens Vates, & Ariolos consuluit, num quandoque compos fieret votorum suorum. Cumque invenisset hominem, qui hæc se prædicturum polliceretur, in Idolorum templum eum perduxit, & in adyta ingredi jussit, seductores dæmones invocaturus; qui cum terribili specie apparuissent, metu compulsus, Crucis se signo munivit. Cujus virtute dæmones victi protinus evanuerunt; præstigiator vero, causa fugæ cognita, Julianum objurgavit. At ille & timorem suum ei aperuit, & virtutem Crucis magnopere mirari se dixit: at præstigiator, cave, inquit, hoc putes vir bone. Non enim timuerunt illi, ut

Crucis signo dæmones fugantur.

ut tu censes, sed factum tuum abominati, recesserunt. Hoc modo cum miserum illum decepisset, sacris initiavit, & nefario scelere implevit. *Ita cupiditas Imperii infelicissimum Julia n pietate spoliavit*, ait Theodoretus, eademque habet N anzenus.

JESU CHR. AN. 351. *Greg. Nazian. orat. 1. in Julianum T. 1.*

6. Galli Cæsaris in eo præcipue pietas inclaruit, dum s. Martyris Babylæ reliqnias in Daphnem prope Antiochiam transferri curavit. *Postquam Gallus frater Juliani a Constantio nuncupatus, sedem Antiochiæ fixit, cum esset Christianus, eosque, qui Religionis causa martyrium pertulerant, impense veneraretur, eum locum superstitione Gentilium, & intemperantium hominum flagitiis purgare constituit. Id autem se facile consecuturum arbitratus, si Ecclesiam illic exadverso templi Apollinis construxisset, loculum Babylæ Martyris, qui olim Ecclesiam Antiochenam summa cum laude rexerat, Daphnem transtulit. Ex eo tempore, ajunt, dæmonem more solito oracula reddere desiisse. Et initio quidem credebatur ideo obmutuisse, quod victimis, & cultu illo careret, quo prius observabatur. Verum ex iis, quæ secuta sunt, apparuit, Martyrem, qui in proximo collocatus erat, obstitisse, quominus responsa ederet.* Idque sub Juliani Imperio maxime patuit, uti suo loco adnotabimus. De hac translatione Martyris, ejusque virtute, qua factum est, ut Apollo-Daphniticus mutus evaderet, plura habet Chrysostomus coævus, & ocularis testis, utpote Antiochenus. Inter cetera: *Quomodo*, inquit, *idem Babylas & dæmonis potestatem extinxit! Primum quidem tum dæmonis inibi habitantis obsidionem, tum fabulæ noxam in iis ipsis, quas dixi, rebus inefficacem reddidit, deinde & dæmonem ipsum exegit.*

Corpus Babylæ Martyris Daphnem transfertur. *Zosim. l. 5. 19.*

Chrysost. orat. contra Gentiles. Tom. 1.

7. Vetranionis copiis sibi adjunctis, ceterisque ad præliandum paratis, adversus Magnentium hoc anno Constantius fidenti animo perrexit; nec minori fiducia Magnentius, transactis Alpibus in Pannonia Constantio occurrit; ubi post varios belli casus, Mursiæ tandem Constantii exercitus Magnentianos profligavit, ipsumque Magnentium expulit. *Magnentius apud Mursiam profligatus acie est*, ait Eutropius, *ac pene captus: ingentes Romani Imperii vires ea dimicatione consumptæ sunt ad quælibet bella externa idoneæ.* Pertinacem pugnam, cruentamque Constantii victoriam fuisse Zosimus narrat, in qua triginta millia ex Constantii militibus, triginta sex ex Magnentianis desiderata sunt, *His Coss. bellum Magnentii fuit Mursiæ die quarto*

Constantii victoria de Magnentio tyranno. *Zosim. l. 2. 15.*

JESU CHR. AN. 351. *Octobris*, ait Idacius in Fastis. Eadem hoc anno narrat Alexandrinum Chronicon: *Eadem hora, quam in Oriente Crux fulgens in Cælo apparuit*, de quibus infra, *eadem hora*, inquit, *etiam Constantio Augusto in Pannoniis, & copiis ejus visa est, cum in prælio contra Magnentium cœpisset vincere, & Magnentius cum Constantio confligeret, ad urbem Mursiam Magnentius victus cum paucis in Galliam evasit*.

Valentis Episcopi impostura. 8. Eam victoriam divinitus obtentam se agnovisse, testatus est, ac primus Constantio nunciavit Valens Mursiæ Episcopus Arianus, eaque impostura Principis animum adeo sibi devinxit, ut Arianorum partibus impensius faveret: *Die quarta Kal. Octobris totis viribus certatur; Constantius descendere in conspectum pugnæ non ausus, in Basilica Martyrum extra oppidum sita, Valente tunc ejus loci Episcopo in solatium assumpto, diversatus est. Ceterum Valens callide per suos disposuerat, ut, quis prælii esset eventus, primus cognosceret, vel gratiam Regis captans, si prior bonum nuncium detulisset, vel vitæ consulens, ante capturus fugiendi spatium, si quid contra accidisset. Itaque paucis, qui circa Regem erant, metu trepidis, Imperatore anxio, primus nunciat hostes fugere. Cum ille indicem ipsum intromitti posceret, Valens ut reverentiam sui adderet, Angelum sibi fuisse nuncium respondit. Facilis ad credendum Imperator palam postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus vicisse*. Hactenus de Valentis Ariani Episcopi impostura, ad fallendum levissimum Constantii animum. His gestis, Magnentius vix cum paucis in Gallias aufugit, ubi anno sequenti iterum a Constantio victus, desperatis rebus se ipsum interemit, ut Zosimus, Socrates, Sozomenus narrant, de quibus anno sequenti.

Sulpic. hist. l. 2.

Zosim. l. 2. 51. Socrat. l. 2. 23 Sozom. l. 4. 7.

Apparitio Crucis in cœlo supra Hierusalem. 9. Hoc eodem anno, quo Gallus *levatus est*, idest Cæsarea dignitate ornatus, ut habent Idacii Fasti: *Apparuit in Oriente signum Salvatoris die tertia Kal. Februaria luna 28.*, ut in iisdem Fastis legitur, ejusdemque portenti meminit Chronicon Alexandrinum: *Signum Crucis Christi Hierosolymis hoc ipso tempore sub horam tertiam, ipso die Pentecostes Nonis Maii in Cælo, velut lumen apparuit a Monte Oliveti, usque ad Golgotha, in quo loco Christus crucifixus est, extentum versus Orientem, unde Dominus in cælum assumptus est, corona, quæ Iridis speciem referebat, Crucem pretiosam, quæ apparuit, in orbem ambiente*. Eademque in Pannonia Constantium vidisse, nar-

narrat Philostorgius, ac ab utroque exercitu hæc visa fuisse, addit. De die tamen, qua Crux apparuit, ab Idacianis Fastis dissident Philostorgius, & Alexandrinum Chronicon, sed & Socrates alia die apparuisse adnotat: *Cum scilicet Gallus Cæsar Antiochiam ingrederetur, signum Salvatoris in Oriente apparuit: nam columna quædam effigiem Crucis gerens in Cælo visa, maximum stuporem videntibus incussit*. Sed hanc de die hujus apparitionis quæstionem Cyrillus Hierosolymorum tunc Episcopus solvet, cui præceteris, utpote oculato testi, credendum est: *in sacris Pentecostes diebus*, idest infra octavam Pentecostes, *nonis Maji circa horam tertiam*, apparuisse tradit epistola ea de re ad Constantium Imperatorem scripta, qua inter cetera habet: *Imperatori Deo dilectissimo, & pientissimo Constantio Augusto, Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in Domino S. Primas hasce ex Hierosolymis ad te Deo dilecte Imperator, mitto litterarum primitias, quas & te deceat accipere, & me dare, non verborum adulatione refertas, sed cælestium divina declarantes prodigia*; narrat deinde Constantini tempore salutare Crucis lignum Hierosolymis repertum fuisse: *Tempore vero tuo*, subdit, *Domine omnium pientissime Imperator, qui tua erga Deum pietati majori parentes tuos superasti, non jam amplius de terra, sed de cælis sunt prodigia; quoniam Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi Unigeniti Filii Dei, mortis devictæ trophæum, beata inquam Crux splendoribus luminis coruscans Hierosolymis apparuit. Sanctis enim hisce diebus sanctæ Pentecostes, circiter horam tertiam, omnium maxima Crux ex lumine constituta in cælo super sanctissimum montem Golgotham, & usque ad sanctum montem Olivarum extensa apparuit, non uni, aut alteri tantum visa, sed & universæ civitatis multitudini manifestissime ostensa; neque, ut aliquis forte putavit, celeriter secundum phantasiam percurrens, sed compluribus horis supra terram aperte conspecta, coruscis splendoribus radios superans solares; nam si ab illis superaretur, certe offuscaretur, & lateret; adeo excellentiores, quam sol emittebat fulgores, ut illico universa civitatis multitudo ad sanctam Ecclesiam concurreret, divini illius prodigii non sine lætitia concitata &c. Quare operæ pretium putavi, cælestes hasce & divinas ostensiones silentio non præterire, quin potius bonum nuncium tibi, divinamque ex his benignitatem per has litteras studui afferre &c.* Hæc, aliaque in eandem rem Cyril-

JESU CHR. AN. 352.

Philost. l. 3. 26.

Sozom. l. 2. 28

Sozom. l. 4. 5.

Cyrill. epist. ad Const. p. 351

JESU CHR. AN. 351.

lus ad Constantium, cui epistolarum suarum primitias offerre testatur: quem etiam ad laudandam Omousion, seu Consubstantialem Trinitatem, & ad ejurandam Arianam impietatem excitat. Hujus epistolæ meminit Sozomenus, dum eam apparitionem historiæ suæ inseruit, qui & ait: *De eo prodigio Imperator certior factus est, tum ex multorum aliorum relatione, tum ex litteris Cyrilli ad ipsum datis*. Deinde subdit: *Hoc quidem signum plurimos Gentiles, ac Judæos ad Religionem Christianam pertraxit*.

Sozom. l. 4. 5.

Cyrillus Maximo Hierosolymitano Episcopo succedit. Maximi elogium.

An. 349. n. 9.

10. In sua ad Constantium epistola, se primitias litterarum suarum eidem offerre ajebat Cyrillus, indicans tunc primum ejusdem Ecclesiæ Episcopum ordinatum fuisse, hoc scilicet anno, vel proxime elapso; nam anno 349. ut ibidem diximus. Maximus Ecclesiæ Hierosolymitanæ adhuc præerat, cum Athanasium excepit, eumque cum sua synodo, illic congregata, communionis suæ participem fecit. An autem Maximo e vivis sublato, aut Episcopatu dejecto successerit, in obscuro est, atque veteres, recentioresque scriptores dissident: *Acacius, & Patrophilus, pulso Maximo Hierosolymorum Episcopo, Cyrillum in ejus locum substituerunt*, ait Socrates, eademque Sozomenus, cui Theophanes consentit, & Auctor synodici, qui ait: *Impietatis Arianæ Antesignani synodum Hierosolymis hæreticam coegerunt, & confessorem quidem Maximum abjecerunt. Catechetem autem Cyrillum, tanquam Arianum, elegerunt*. Has autem depositionis Maximi causas habuisse Acacium Cæsariensem, & Patrophilum Scythopolitanum Arianos Episcopos; quod Maximus indicta Hierosolymis synodo Athanasium in communionem recepisset; & Acacio Palæstinæ Metropolitano inconsulto, Hierosolymis synodum indixisset, unde synodici Auctor subdit: *Acacius Cæsareæ Philippi Eusebii Pamphili discipulus, & successor propter Primatum, Maximum Sede hac exigit*. Hanc sententiam uti probabiliorem Basnagius tuetur; nos tamen Hieronymi, & Theodoreti opinionem præferimus, qua fertur, Maximo mortuo, Cyrillum successisse: *Quadragesimus Maximus post Macarium Hierosolymorum Episcopus moritur, post quem*, idest Cyrillum, *Ecclesiam Ariani invadunt*. Hæc Hieronymus, cui congruit Theodoretus his verbis: *Maximo ad immortalem vitam translato, Cyrillus Apostolicæ doctrinæ acerrimus propugnator, episcopalem gratiam promeruit*. E vivis itaque sublato Maximo, Cyrillus Hierosolymi-

Socrat l. 2. 38. Sozom. l. 4. 20.

Basnag. annal. an 351. n. 9. Hieron Chron T. 8. Op Hier. Tottè Differt. 1. cap. 5. de vita Cyrill. Valesf. in Sozom. l. 4. 20. Dupin. Tillem Tom. 8.

mitanam Sedem obtinuit. Maximi laudes celebrat Theodoretus: *Maximus post Macarium Hierosolymorum Sacerdotium suscepit, vir, qui pro pietatis defensione in persecutionum certaminibus inclaruerat. Nam & oculo dextro orbatus, & dextro poplite debilitatus fuerat.*

Theod. l. 2. 26.

II. De Cyrilli Hierosolimitani Episcopi ortu, genere, patria, monachatu, vix quidquam certi habetur, deque his omnibus adeundus, qui ejus Opera postremo edidit, P. Tuttæus e Congregatione S. Mauri. Id unum certo scimus, eum humanis, divinisque litteris excelluisse, atque in clerum cooptatum ordinatumque presbyterum a Maximo Episcopo, Catechumenis instituendis operam navasse, quo tempore sermones ad populum abs se habitos Maximo Episcopo præsente, ipsemet testatur. Qualis autem quantusque Cyrillus presbyter esset, ejusdem Catecheses declarant, quas ipsum in adolescentia composuisse, tradit Hieronymus. Harum pars maxima, idest decem & octo, pro *Illuminandis* inscribuntur, quod eas Cyrillus dixerit ad Catechumenos, qui Quadragesimæ initio nomen dederant, ut in pervigilio Paschatis Baptismi gratiam promererentur, ut sermone prævio admoneretur; ceteras vero quinque, quæ *Mystagogicæ* dicuntur, Fidelibus recens baptizatis habuit. Religionis nostræ dogmata mira simplicitate in omnibus Cyrillus exponit; mirificeque ostendit, quæ tunc Ecclesiæ Catholicæ Fides esset, in iis præcipue capitibus, in quibus nostræ ætatis Sectarii tantopere dissident; de Ecclesiæ scilicet unitate, de numero, & virtute Sacramentorum, de reali præsentia Jesu Christi in Eucharistiæ Sacramento, & panis, ac vini transsubstantiatione in verum Jesu Christi Corpus, & Sanguinem, de Crucis adoratione, Reliquiarum cultu & veneratione, cœlibatus, & virginitatis præstantia, aliisque hujuscemodi. Hinc factum, ut Calvinistarum Lutheranorumque plurimi, ne tanto testimonio opprimerentur, Cyrilli Catecheses vel ipsi abjudicandas esse dixerint, vel aliena manu corruptas, in iis maxime, in quibus ipsi a Catholica Ecclesia discrepant. Verum facile quisque intelligit perperam Novatores conniti adversus Hieronymi, & Theodoreti, ne ceteros memorem, testimonium, & contra manuscriptorum omnium fidem, levissimis conjecturis ex stylo aut Catechesum ordine petitis, quas non Catholici modo, sed Eterodoxorum etiam complures exsibilarunt, uti videre est apud Mosemium, Caveum, Basnagium, cujus potissimum hæc

De Cyrilli initiis, & fide

Tottè Differt. 1. de vita Cyrilli.

Cyrill. homil. in paraliticum num ult. p. 344. Hieron. de viris illust. c. 112

Rivet. lib. 3. crit. sac. 8. Oud. de script. Eccles. Tom. 1. pag. 460.

Hier. de vir. illust. in Cyril. Tillem. Tom. 8. Tottè Differ. 2. de Doctrina s. Cyrilli.

Caveus de Scrip. Eccl. in Cyril. Basnag. an. 387. 11. T. 3. p. 113.

JESU CHR. AN. 351. hæc verba sunt: *Catecheses omnes numero 23. pace eruditorum nonnullorum, Cyrillo non adscribere non possumus.*

Cyrillus Episcopus ordinatur, ejusdem Orthodoxia demonstratur. 12. Cum itaque pietate, & doctrina Cyrillus excelleret, defuncto Maximo, Hierosolymorum Episcopus est ordinatus, eique Ecclesiæ per annos plurimos præfuit, variis licet casibus obnoxius, & pluries Sede sua ejectus, ac restitutus, uti suo loco videbimus. Nunc adnotare sufficiet, Episcopatus sui initia illustri facinore consecrasse; etenim urgente gravissima fame, cum pecunia defecisset, thesauros Ecclesiæ, & sacra vasa distraxit, ut egentibus pretio subveniret. Non dissimulandum tamen Cyrilli fidem suspectam nonnullis fuisse, ex eo præcipue, quod ab Arianis, & ab Acacio Cæsariensi Palæstinæ Metropolitano ordinatus fuerit, quare Ruffinus, narrata ejusdem ordinatione post Maximum, subdit: *Sacerdotio suscepto, aliquando in fide, sæpius in communione variabat*; quasi aliquando Catholicam Fidem, aliquando Arianam hæresim prædicaret. Cyrillum tamen Arianæ hæresi unquam inhæsisse, ut a Hieronymo in Chronico traditum est, certe non constat; neque dicendum omnino videtur de viro, quem fidei puritate Theodoretus commendat, & inter Catholicæ Fidei acerrimos defensores numerat. Theodoreto autem accedit Orientale Concilium Constantinopoli celebratum, a quo in synodali epistola ad Damasum Romanum Pontificem, & ad Occidentales Episcopos data, Cyrilli ordinatio, ejusque gesta his verbis celebrantur: *Hierosolymitanæ Ecclesiæ, quæ mater est omnium Ecclesiarum*, origine scilicet, non dignitate, *reverendissimum, ac religiosissimum Cyrillum Episcopum esse indicamus, qui & canonice ab Episcopis provinciæ olim fuit ordinatus, & plurima variis in locis contra Arianos certamina subiit*. Sed de Cyrilli pro Catholica Fide certaminibus alio loco. Id solum addimus, ipsum ante & post ordinationem suam Catholicam Fidem docuisse, uti ex Catechesibus constat, & ex epistola ad Constantium hoc anno scripta, qua Imperatorem hortatus est, ut debitas Consubstantiali Trinitati gratias ageret. Sed de Cyrilli ordinatione, ejusque orthodoxia hactenus.

Sozom. l. 4. 25.

Ruffin. l. 1. 13.

Theod. l. 2. 26.

Theod. l. 5. 9.

De Pauli Constantinopolitani Episcopi exilio, & martyrio. 13. Pluries pro Catholica fide exulasse Paulum Constantinopolitanum Episcopum, Athanasius narrat; *& primum quidem*, ait, *a Constantino in Pontum relegatus est; secundo autem a Constantio ferreis catenis vinctus Singaris Mesopotamiæ exulavit, postea Emesam translatus*. Post Sardicense tamen Con-

Athan. epist. ad Monach. p. 348.

Concilium una cum Athanasio, aliisque Episcopis ad suam ecclesiam redierat; verum post Constantis obitum, cum adversus Catholicos persecutionem iterum Constantius instaurasset, in Paulum regiæ urbis Episcopum primo furens, eum Cucusi Cappadociæ ad deserta Tauri relegavit; ubi Arianorum perfidia *strangulatus obiit, uti renunciarunt, qui cum eo erant*, teste Athanasio. Ariani nihilominus morbo occubuisse vulgarunt: verum de illata Paulo vi omnibus adeo compertum fuit, ut Philagrius, qui tunc temporis eorum locorum Vicarius erat, Serapioni Episcopo aliisque retulerit Paulum in angusto, & tenebroso quodam loco inclusum fuisse, ut fame interiret; post vero sex dies, Arianos in eum adhuc spirantem irruentes strangulasse; præcipuam in horrendo facinore operam fuisse Philippi olim Præfecti traditam, qui debitas quidem tanti sceleris pœnas dedit. Namque anno nondum elapso, cum multo dedecore a Præfectura deturbatus, cum omnibus ludibrio esset, & mortis, vel exilii sententiam quotidie expectaret, paullo post vita functus est. De Pauli autem Martyrio ita Socrates meminit: *Primum quidem Constantinopoleos Episcopum Paulum deportari in exilium jubet; quem quidem hi, qui abducebant, in oppido Cappadociæ Cucuso strangularunt*. Ut autem sine plebis tumultu Philippus Præfectus Prætorio Imperat[illegible] executurus, sanctum virum in exilium pelleret, antequam præceptum Imperatoris evulgaretur, ad publicum Balneum amplum admodum, atque illustre, quod Zeuxippus dicitur, progressus; Paulum ad se accivit, quasi de negotiis publicis cum eo acturus; cumque ille statim advenisset, Imperatoris litteras ei ostendit, simulque clam per palatium, quod vicinum est balneo, eum ad mare deduci præcipit, & navigio impositum, Thessalonicam misit; seu potius Cucusum, ut ab Athanasio, & Theodoreto scribitur.

JESU CHR. AN. 351.

Socrat. l. 2. 16.

Athan. epist. ad Monachos p. 348. Theod. l. 2. 5.

14. Post annos triginta, idest anno 381., Theodosio imperante, Pauli Episcopi & Martyris reliquiæ multo cum honore Constantinopolim translatæ, ac in Ecclesia a Macedonio ædificata collocatæ fuerunt, quæ postea Pauli dicta est, uti Auctor vitæ ejus apud Photium testatur: *Imperator perferri curat magna cum reverentia reliquias S. Pauli Confessoris, & Episcopi, quot aderant, una cum Nectario, longe extra Chalcedonem obviam procedunt, multoque cantu, & comitatu suscipiunt, & per medium urbem corpus ferentes, collocarunt in ecclesia S.* Ire-

Pauli Reliquiæ Constantinop. translatæ.

Ducang. Constantinop. Chr. lib. 14.
Socrat. l. 5. 9.
Sozom. l. 7. 10
Phot. cap. 257

JESU CHR. AN.351. *Irenes, & totam noctem cantibus transigentes, mane iterum tota civitas æquali honore, & gloria in ecclesiam, quæ nunc ab illo cognominata est, omnibus Episcopis, & Clero, & ipso præsente Imperatore, sacro tumulo imponunt. Imperator certior factus de iis, quæ quondam Paulo Constantinopolitano Episcopo acciderant*, ait Sozomenus, *corpus ejus transferendum curavit, & in ecclesia sepelivit, quam Macedonius ejus persecutor ædificaverat, & quæ hactenus ipsius vocabulo insignita est* (ideft *Pauli*) *Ædes maxima, atque illustrissima. Quæ causa est, ut multi veritatem rei ignorantes, ac præsertim mulieres, & quamplurimi ex plebe, Paulum Apostolum illic conditum suspicentur.*

Macedonius CP. Sedem invadit. Strages in ejus intrusione facta. *Sozom. l.3. 9.*

15. Paulo amoto, atque in exilium pulso, Philippus *ex Prætorio egressus ad ecclesiam perrexit, secum in curru sedentem habens Macedonium*, ait Sozomenus; cumque ecclesiam immensa populi multitudo ex Arianis, & ex Pauli fautoribus occupasset, Præfectus una cum Macedonio ad fores ecclesiæ accedens, ingredi non poterat, quare milites arbitrati, plebem de industria resistere, plurimos gladiis obtruncarunt, multi etiam a se vicissim obtriti interierunt. *Tria igitur hominum millia, ac prætereà centum, & quinquaginta tunc occubuisse dicuntur*, auctore Socrate: *Et post tam præclara facinora Macedonius, qua[illegible] [illegible] ail gessisset, sed integer, vacuusque esset ab omni culpa, a Præfecto verius, quam per ecclesiasticam regulam in Episcopali Sede constituitur.* *Socrat. l.2.16.*

Macedonii persecutio in Catholicos. *Socrat. l.2.17*

16. De persecutione dein a Macedonio adversus Catholicos excitata, multa subdit Socrates, atque inter cetera: *Pellebantur*, inquit, *non modo ab Ecclesiis, verum etiam ex civitatibus quicumque Consubstantialis fidem asserebant*. Progrediente autem alterius malo, communicare sibi etiam invitos cogebat, quia verbera, tormenta, & omnis generis cruciatus iis admoveri jubebat; ita ut nonnulli in ipsis tormentis interierint; alii vero, dum ad exilium perducerentur, necati fuerint.

Macedonius hæresim propagare satagit: Catholicos, & Novatianos persequitur. *Socrat.l.2.38.*

17. Neque regiæ tantum urbis pomeriis Macedonii sævitia continere se potuit: *Sed vicinas præterea Constantinopoli civitates, ac provincias subvertit, ministros sceleris sui, quod contra Ecclesias designaverat, ad Sacerdotia promovens*, atque Eleusium quidem Cyzici ordinavit Episcopum; Nicomediæ vero Marathonium, qui prius quidem diaconus fuerat sub ipso Macedonio; cunctos deinde, qui idem cum ipso sentire noluerunt, innumeris malis affecit. Præter Catholicos, Novatianos etiam per-

perfecutus eft, gnarus eos quoque fidem, ac doctrinam confubftantialis amplecti. Hi ergo una cum illis vexati intolleranda perpeffi funt mala: illorum Epifcopus, nomine Agelius, fuga fibi confuluit; verum ejufdem fectæ plures, eo quod communicare cum illo recufarent, vario tormentorum genere affecti funt. Mulieres etiam, & parvulos abripiens, iterato Baptifmate polluebat; quod fi quis detrectaret, aut contradiceret, ftatim verbera, poft hæc vincula, & carceres, & alia atrocia fubfequebantur; eoque crudelitas progrefſa, ut mulierum, quæ communicare renuiffent, ubera in arca compreffa abfcindi, aut ferro, vel admotis ovis fupra modum ferventibus comburi juberet: *Tormenti genus, nec ab ipfis Gentilibus adverfus Chriftianos ufurpatum*, inquit Socrates, qui hæc ab Anxanonte viro admodum longævo accepiffe teftatur, additque Catholicorum, ac Novatianorum Ecclefias Conftantinopoli, & alibi non fine maxima plebis ftrage everfas fuiffe. Quæ omnia fingulatim perfequi longum effet, quare id tantum fubjungimus; etfi Socrates, Theodoretus, Sozomenus poft Pauli obitum, Macedonium in ejufdem locum ordinatum fuiffe fcribant, cum tamen non tunc primum Conftantinopolitanæ Cathedræ infediffe; uti enim fupra diximus, poft Nicomedienfis obitum, Arianorum factione ftipatus, eam Sedem invaferat; verum cum maxima populi pars Nicænæ fidei fubfcriberet, quamdiu Paulus vixit, cum parva Arianorum manu collectas egerat, eoque folum fublato, cum Ecclefias omnes occupaffet; tunc primum Conftantinopolitanam Ecclefiam adminiftrare vifus eft. *anno 342.*

18. Pluries damnatus fuerat Photinus, qui uti prodit Hilarius: *Corruptis moribus, ac difciplinis, turbare Evangelicam veritatem perfiftebat novis prædicationibus. Igitur ad tollendum ex Epifcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenfi fynodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur* iterum *Sacerdotes &c.* Mediolani, vel Sirmii, quemadmodum aliis placet, aut Romæ. Ab Orientalibus quoque Epifcopis femel, & iterum damnatum fuiffe Photinum admonet Athanafius. Hilarius vero: *Inter hæc*, inquit, *Sirmium convenitur, Photinus hæreticus comprehenfus olim reus pronunciatus, & a communione jam pridem unitatis abfciffus, nec tunc quidem per factionem populi potuit amoveri.* Hoc tamen anno Imperatoris juffu, ad quem ex Epifco-

Sirmienfis Synodus Photinum deponit.

Hilar. fragm. 2. p. 635. edit. Veron.

Athan. de Synod. p. 740. pag. 741. pag. 639.

Jesu Chr. An. 351.

porum ſententia Photinus confugerat, cum ex omnibus Orientalibus provinciis iterum Epiſcopi conveniſſent, diſputatione a Baſilio Ancyræ Epiſcopo habita coram Theodoſio, Datiano, Cereali, & Tauro comitibus a Conſtantio miſſis, convictus quod hæreſim ſuam defendere non ceſſaret, Epiſcopatu ejectus in exilium miſſus eſt, uti pluribus narrat Epiphanius in Hæreſi Photinianorum. Sirmienſem ſynodum ad annum 357. quidam referunt; ſed labenti 351. eam habitam fuiſſe conſtat ex Socrate, & Sozomeno, qui poſt *Conſulatum Sergii, & Nigriani, quo anno propter tumultus bellicos nemo ſolemnem geſſit conſulatum, eam celebratam fuiſſe tradunt*; quæ ſane currenti anno conveniunt, quo ob bellum, quod Conſtantius cum Magnentio geſſit, nullus conſul eſt deſignatus.

Epiph. hær. 71 Bar. Sirmond. Pag. ad an 351 10. Baſnag. ibi. Auctor vitæ Athan. Maurini, & Hilar. notæ Valeſ. in Socrat. l. 2. 29 Sozom. l. 4. 6.

Fidei formula Sirmii edita. *Hilar. Tom. 2. p. 485. Athan de Syn. pag. 742. Socrat. l. 2. 30*

19. Poſt Photini abdicationem, novam Fidei formulam Sirmienſes Patres vulgarunt, additis viginti ſeptem anathematiſmis, quam Hilarius, Athanaſius, Socrates, aliique exhibent. Hæc quidem in omnibus Catholica videri poſſet, niſi conſulto ommiſſa fuiſſet vox Conſubſtantialis, & niſi ab Epiſcopis Ariana labe infectis prodiiſſet; quin Hilarius Catholicam illam exiſtimavit, uti in præfatione ad librum de ſynodis adnotat recens Hilarii editor. Eamdem tamen Fidei formulam ſuſpectam merito habuit Athanaſius, ſicuti & cæteras poſtea ab Arianis ibidem editas, quarum aliquæ manifeſtam hæreſim continent, aut errori favent. Cumque pluries Sirmii convenerint Orientales, ſeu Ariani, pluresque Fidei formulas ibidem ediderint, hinc factum eſt, ut quæ poſterioribus ſynodis Sirmienſibus ſunt geſta, primæ adſcriberentur a Socrate, & Sozomeno; ab iiſque recentiores ſcriptores in errorem inducerentur. Exemplo ſint ea, quæ apud Socratem, & Sozomenum de hac ſynodo habentur, dum non unam tantum fidei formulam ibidem hoc anno vulgatam fuiſſe ſcribunt; ſed tres, quarum duæ ultimæ ad ſynodos, quas Ariani anno 357., & anno 358. illic iterum congregati ediderunt, pertinent, ut ſuo loco videbimus. Turpius adhuc errant, dum illic adfuiſſe tradunt Gregorium Alexandrinum Epiſcopum, qui anno 356. Alexandrinam Eccleſiam vaſtandam ſuſcepit; & cum eo Oſium Cordubenſem Epiſcopum, quem fidei formulæ a Marco Aretuſiæ Epiſcopo conſcriptæ ſubſcripſiſſe narrant. Hæc non niſi anno 357., aut 358. contigerunt, Oſium autem labenti anno Sirmii non extitiſſe ex eo ſcimus, quod vigente adhuc Magnen-

Socrat. Sozom. ut ſupra.

gnentii tyrannide, ex Occidentalibus nemo adfuit, nisi perpauci, qui Constantii Imperio includebantur; unde factum, ut Orientalis synodus, ab Vigilio & Hilario dicta fuerit.

JESU CHR. AN. 352.

Hilar. de Synodis.

Vigil. contra Eutychem l. 5.

20. Post Photini depositionem, ut sanæ menti rediret, ac Catholicæ Fidei consentiret, congregati Episcopi persuadere eidem conati sunt, *suum illi Episcopatum se reddituros polliciti*, ait Socrates, *at ille oblatum sibi conditionem aspernatus*, disputare magis voluit, quam hæresim ejurare, & a Basilio Ancyræ Episcopo *victus*, *& condemnatus*, *in exilio vitam agens*, *librum Græco*, *& Latino sermone scripsit adversus omnes hæreses*, *suumipsum dogma tantummodo proponens*; atque ad annum usque 376. vixit, uti adnotat Hieronymus in Chronico: *Photinus in Galatia moritur*, *a quo Photinianorum dogma inductum*. Illud præcipue confutarunt Diodorus, & Audentius, de quo ita Gennadius: *Audentius Episcopus Hispanus scripsit adversus Manichæos*, *& Sabellianos*, *& Arianos*, *maximeque intentione speciali contra Photinianos*, *qui nunc Bonosiaci vocantur*, *librum*, *quem prætitulavit de Fide adversus omnes hæreticos*.

Photini depositio, & exilium, ejusque opera.

Socrat. l. 2. 30

JESU CHRISTI AN. 352. LIBERII PAPÆ I.
CONSTANTII, IMP. 16.
CONSULES ORIENTALES CONSTANTIUS AUG. V.,
ET CONSTANTIUS GALLUS CÆSAR.
ROMÆ VERO DECENTIUS, ET PAULUS.
OLYMP. 282. AN. 4. URBIS AN. 1105.

1. Cum Oriens ab Occidente dissideret, gereretque Constantius bellum adversus Magnentium, Consules in Oriente fuere, Constantius Augustus V., & Gallus Cæsar; in Occidente vero Decentius, & Paulus. Erat Decentius frater Magnentii, quem etiam Cæsarem creaverat, ut narrat Zosimus. Interea post Constantii victoriam, trajectis Alpibus in Italiam anno superiore Magnentius transierat, ut renovatis viribus, novisque collectis copiis adversus Constantium pugnaret. Hoc interim anno *apud Ticinum plures Magnentius fudit*; *incautius*, *ut in victoria solet*. ait Aurelius in epitome. Hæc victoria Magnentio vix profuit; nam anno proximo a Constantio victus, una cum Imperio vitam amisit.

Magnentius Italia ejicitur

Zosim. l. 2. 53.

Rebellantes Judæos in Palæstina Gallus comprimit.

2. Eodem tempore civile bellum in Oriente extitit: Nam

Jesu Chr. An. 352. Socrat. l. 2. 23

Nam Judæi, qui Diocæsaream Palæstinæ urbem incolebant, contra Romanos arma sumentes, vicina loca excursionibus vastare cœperunt; quos Constantius Gallus, quem Imperator in Oriente reliquerat, misso exercitu profligavit, urbemque eorum Diocæsaream solo æquari præcepit. Judaicam cladem ad hunc annum his verbis Hieronymus persequitur: Gallus *Judæos, qui interfectis per noctem militibus, arma ad rebellandum invaserant, oppressit, cæsis multis hominum millibus, usque ad innoxiam ætatem, & civitates eorum Diocæsaream Tiberiadem, & Diospolim, plurimaque oppida igni tradit.*

Hier. Chron. Tom. 8. p. 797.

Julii Pontificis obitus.

3. Quod ad res Ecclesiæ pertinet, cum Julius *annos quindecim, menses duos, dies sex* Romanam rexisset Ecclesiam, hoc anno vivere desiit pridie Idus Aprilis *Constantio Augusto V., & Constantio Cæsare Coss.*, ut in Chronico Damasi legitur, summo nempe Pontificatu functus ab anno 337. ex die sexto Februarii, ad diem duodecimam Aprilis anni labentis. De Julii gestis, præter notata suis locis, hæc addit Damasi Chronicon: *Hic post multas tribulationes in exilio fuit mensibus decem, & post Constantii mortem, cum gloria est reversus ad Sedem B. Petri Apostoli*; quæ minus vere scripta ex eo constat, quod Constantio superstite, ipse Julius obierit, ut Baronius aliique adnotarunt. De scriptis etiam Julii Romani Pontificis adnotare juvabit; præter epistolas duas, alteram ad Eusebianos dederat post Romanum Concilium pro Athanasii restitutione; alteram ad Ecclesiam Alexandrinam, cum illuc Athanasius rediit, quas ipse Athanasius memorat, & Apologiæ inseruit: cetera, quæ ejus nomine circumferuntur, apocrypha esse, atque ex Isidori aut alterius Impostoris officina prodiisse, cujusmodi sunt Romanum Concilium centum sexdecim Episcoporum pro confirmanda Nicæna synodo, & Epistolæ duæ increpatoriæ ad Orientales pro Athanasii restitutione, & de privilegiis Romanæ Sedis. Extat etiam epistola quædam de incarnatione Verbi a Gennadio Julio Pontifici falso adscripta: *Julius urbis Romæ Episcopus scripsit ad Dionysium quemdam de Incarnatione Domini epistolam unam, quæ illo quidem tempore utilis visa est adversus eos, qui ita duas per Incarnationem in Christo asserebant personas, sicut & naturas; nunc autem perniciosa probatur, fomentum enim est Eutychianæ, & Timothianæ impietati.* Sane Apollinari tribuendam, ex Evagrio scimus, qui de Acephalis agens, ait: *Libros Sanctorum Patrum*

Bar. 353. n. 3

Athan. Apol. p. 141. & 171.

Coutan. p. 411

Gennad. Catalog. vir. Illust. cap. 2. Oper. Hier. Tom. 8.

Evag. l. 3. 31.

trum sæpenumero corruperunt, multos quoque Apollinaris libros Athanasio, & Gregorio Thaumaturgo, & Julio falso adscripserunt; quod de epistola Julio inscripta Leontius multis confirmat argumentis, ut ibidem videre est.

Jesu Chr. an. 352. *Leont. de sectis act. 8. & 9 Biblioth. PP. Dupin. sec. 4. Tom. 1. p. 493.*

Liberius Romanus Pontifex ordinatus

3. Julio defuncto, post menses duos, dies aliquot, Liberius in ejus locum ordinatus est, de quo in Catalogo Bucherii *Liberius fuit temporibus Constantii, ex die XI. Kal. Junias, in diem .... a Coss. Constantio V., & Constantio Cæsare*. Cumque dies XI. Kal. Junias in feriam sextam hoc anno inciderit, ut Liberii ordinatio cum die Dominica concurrere possit IX. Kal. Julias, legendum censet Pagius. In Liberii ordinatione nil additum est de ejusdem obitu, aut de Consulibus anni, in quo mortuus est, ut in ceteris Pontificibus hactenus adnotaverat; sed tantum: *a die XI. Kal. Junias, ad diem .... a Coss. Constantio Cæsare &c.* Scimus tamen ex libello Faustini, & Marcellini ad Valentinianum Theodosium, & Arcadium dato, usque ad diem 24. Septembris anni 366. Liberium Pontificatum tenuisse, idest per annos quatuordecim, menses quatuor, dies tres; de quo in citato libello hæc leguntur: *Octavo Kal. Octobris Gratiano, & Galaiso Coss. Liberius humanis rebus eximitur*. Invitum fere in Romanum Pontificem ordinatum fuisse Liberium, idem in epistola ad Constantium his verbis testatur: *Testis mihi est Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide, & metu in Deum meum cuncta mundana, ita ut evangelica, & Apostolica ratio præcepit, calcare, atque calcasse, non furore temerario, sed constituto, atque observato jure divino, atque in alio ministerio Ecclesiastico vivens nihil per jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, implevi, & ad istud officium, testis est mihi Deus meus, invitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere, & nunquam mea statuta, sed Apostolica ut essent semper firmata, & custodita perfeci; secutus morem, ordinemque majorum, nihil addi Episcopatui urbis Romæ, nihil minui, passus sum &c.* Hactenus Liberius, qui licet ad breve tempus Arianorum furori cesserit, acrius tamen postea, usque ad exitum pro Catholica fide certavit.

Coutan. p. 428

Liberius invitus fere in Rom. Pontificem eligitur

JESU

JESU CHRISTI An. 353. Liberii Papæ 2.
Constantii Imp. 17.
Coss. Constantio Aug. VI., et
Constantio Gallo Cæs. II.
Olymp. 283. an. 1. Urbis an. 1106.

Magnentius victus interficit seipsum. *Socrat. l.2.32* *Sozom. l.4.7.* 1. Reparandis viribus in Gallias anno elapso secesserat Magnentius, *quem dum Constantii Duces acrius insequuntur*, ait Socrates, *iterum pugna commissa est in loco, qui dicitur Mons Seleucus. Eo prælio victus Magnentius, cæsis ad internecionem suis copiis, solus fugam arripuit, Lugdunum contendens, urbem Galliæ, quæ a supradicto munimento distat tridui itinere*. Lugdunum itaque ingressus Magnentius, primum quidem matrem interfecit, deinde fratrem, quem Cæsarem sibi adsciverat, ad extremum manus sibi intulit. *Id autem gestum est, Constantio Aug. sextum, & Constantio Gallo iterum Coss. decimoctavo Kal. Septembris, nec multopost Decentius alter Magnentii frater, laqueo fractis faucibus mortem sibi conscivit*, ut Socrates, & Sozomenus narrant. *Periit* Magnentius *mense Imperii quadragesimo secundo*, ait Victor in Epitome, cum *Zosim. l.2.53.* imperasset annos tres, menses sex, ut habet Zosimus. Fasti tamen Idaciani a Socrate dissentiunt, dum die tertio Idus Augusti Magnentium periisse adnotant.

Constantius Magnentianos crudelius persequitur. 2. Ea parta victoria, rerumque summa potitus, tantam felicitatem æquo animo non tulit Constantius, sed in superbiam elatus in Magnentii amicos crudeliter sæviit: *Si quis militarium, vel honoratorum*, ait Marcellinus, *aut nobilis inter suos rumore tenus esset insimulatus favisse partes hostiles, injecto onere catenarum, in modum belluæ trahebatur, & inimico urgente vel nullo, capite, vel multatione bonorum, aut insulari solitudine damnabatur*; quorum exempla aliquot illic Marcellus refert. Ubi vero Arelatem pervenit, theatralibus, atque Circensibus ludis tricennalia Cæsarea solemniter celebravit die sexta Octobris, qua Imperii sui annum trigesimum terminabat.

Constantius ex armorum felicitate fit deterior. 3. Neque solum in Magnentii amicos crudeliter Constantius sævit, uti diximus, sed & Catholicam Fidem evertere, & Athanasium exagitare iterum cœpit, quasi Deus armorum suorum felicitate fidem suam probasset, cujus inanem jactantiam, ac

ac temeritatem pluribus redarguit Lucifer Calaritanus in libro de Regibus apostatis, quo demonstrat, impios Principes, & a pietate alienos, terrena tamen felicitate quam sæpissime cumulatos fuisse; atque in proemio ad Constantium ait: *Usitatum quia habere dignaris verbum, quod enim nisi, & integre crederes, & hæc, quæ geris contra nos, Deo essent placita, jam fuisses extinctus: paucorum tibi in apostasia, & crudelitate æqualium Regum facta desideravi referare, quo possit vox illa tua sepeliri, quæ dicit: Nisi Catholica esset fides Arii, hoc est mea; nisi placitum esset Deo, quod illam persequar fidem, quam contra nos scripserunt apud Nicæam, nunquam profecto adhuc in Imperio florerem &c.* Illud sæpius repetens: *Nolo dicas: si hæreticus essem, nunquam tantum imperarem, nunquam me permitteret adhuc Deus in regno esse; quando videas viginti quatuor annis regnasse Basam filium Achiæ, de quo scriptum invenisti in Regnorum libro tertio: & fecit malignum coram Domino, & abiit in viam Hieroboam.* Eadem subdit de filio Asta, qui trigintaquinque annis regnavit. Cumque hæc aliaque frequenter ingereret Constantius; Basæ etiam impiissimi Regis exemplum profert, qui triginta quinque annos in pace regnavit.

Lucif. de Reg. apostat. Bibl. PP. tom. 1.

4. Et iterum *manu militari pugnasti contra Ecclesiam Alexandrinam, quamplurimos Episcoporum relegasti in exiliis, in metallis, conjecisti in carcerem, certum etiam numerum interfecisti ex omnibus Dei cultoribus. Cum hæc egeris, tamen dicis: Nisi bene essem faciens, & integre essem credens, nunquam me adhuc Deus regnare permitteret; tanquam idcirco, & circa Achab, ac ceteros Idololatras tuos fuerit Deus patiens, quia fuerint rectam tenentes viam.* Quod Manassis etiam exemplo confirmat; qui cum sexdecim annos natus Regnum suscepisset, quinquaginta septem annis regnavit. Unde hæc idem Auctor in eum peregregie: *Vides Constanti, tametsi contingat tibi in summa felicitate in hac temporaria versari, tamen magis timere debes, quod Dei reserveris judicio. Et licet etiam ii, qui statim extinguuntur, quibus hic aliqua divinitus irrogantur pœnarum, post discessum semper torqueantur: tamen tu, si in summa vivens felicitate, fueris hinc raptus, adverte qualiter in te vindicta sit processura; qui in tanto inveniaris scelere.* Hæc & alia in Constantium Imperatorem Lucifer.

Falsam Constantii persuasionem Lucifer redarguit.

5. Constantii fastum, & superbiam vel ipsi Gentiles Scriptores adnotarunt: *Cum universa rerum summa soli Constantio ces-*

Constantii fastus, & superbia notatur.

JESU CHR. AN.353. Zosim. l.2.53. Ammian. Marcell. l.15 cap.1.

cessisset, *arrogantior esse cœpit*, inquit Zosimus, *quod eam fortunæ prosperitatem moderate ferre non posset*. Ammianus vero: *Quo ille studio blanditiarum exquisito sublatus, immunemque se deinde fore ab immortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim a justitia declinavit, ita intemperanter, ut æternitatem meam aliquoties subsereret ipse dictando, scribendoque propria manu Orbis totius se Dominum appellaret*. Eaque de causa Athanasius Arianos exagitat, eo quod Filio Dei æternitatem abnegantes, eam Imperatori per adulationem adscriberent: *Eumque illi æternum Imperatorem appellarunt, qui Filium sempiternum esse negant*.

Athan. de Synod. t.1. par.2 pag.718.

Constantius Athanasium iterum exagitat.

6. Instauratæ persecutionis præludia hæc fuisse Athanasius adnotat, Arianos scilicet Ursacio, & Valenti persuasisse, ut mutata sententia, quasi canes ad vomitum redirent, & tanquam porci in pristino impietatis luto volutarentur, simulantes se Constantis formidine compulsos, Arianorum opinionibus renunciasse. Imperatorem deinde convenientes rogarunt, ut persecutionem in Catholicos renovaret, hæresique patrocinaretur: *Ille vero*, idest Constantius, *cum contra Magnentium properans pertransiret, conspecta Episcoporum cum Athanasio communione, quasi ille inflammatus sententiam commutavit, juramentorumque immemor, suorum quoque scriptorum oblitus est &c.* cum scilicet & voce, & scripto juramento promiserat, se imposterum adversus Athanasium nil *acturum, quam quod populo, & Episcopo in optatis esset*. Quare cum Arelate, & Mediolani hoc anno esset, ex Hæreticorum consilio, & hortatu cuncta agebantur, immo potius ipsi rem gerebant, ait Athanasius. Inter cetera litteras ad Ægypti Præfectum dedit, ut frumentum, quod Athanasio pauperibus distribuendum dabatur, iis, qui arianice sentirent, daret, eique etiam potestatem tribuens, contumelias inferendi iis, qui Athanasii conventibus interessent. Hæc summatim Athanasius de iis, quæ adversus eum gesta sunt, usque ad Synodum Arelatensem, hoc anno habitam, & Mediolanesem anno 355. congregatam.

Novæ calumniæ ab Arianis in Athanasium structæ. Sozom. l.4. 9.

7. Ubi Athanasius Imperatoris animum in se exacerbatum cognovit, atque ab Arianis iterum insidias adversus se instrui: *Ipse quidem ad Imperatoris comitatum proficisci nec ausus est, nec re e sua fore existimavit*, ait Sozomenus, Quinque tamen Episcopos, ex quorum numero fuit Serapio Thmuitanus, vir admi-

admirabilis vitæ sanctimonia, & dicendi copia præditus, ad Imperatorem misit; unaque cum iis tres quoque Ecclesiæ suæ Presbyteros, qui ejus animum placarent, & adversariorum calumnias, si opus foret, refellerent, quin aliquid ejusmodi legatione obtineret Athanasius; hinc Ariani audaciores facti præter inveteratas rancidasque calumnias de Arsenii occisione, de mensa Ischiræ subversa, de Calice fracto, novas, easque graviores finxerunt, ac epistolas Athanasii nomine Imperatori obtulerunt, quibus rogabat, ut ad Comitatum sibi venire liceret; eaque de causa, in Italiam vocatus, cum se nullatenus id postulasse sciret, proficisci Athanasius renuit, quod eidem crimini datum est, quasi Imperatoris jussa contempserit, quodque inscio Imperatore in nova Ecclesia, quam Imperator extrui curaverat, collectas habuisset; tandem quod Magnentio favisset, ad quem & litteras dedisse, mentiebantur.

Athanasius a calumniis se tuetur. *Athan. Apol. ad Constant. T.1. p.297.*

8. Horum calumnias confutans Athanasius, ad Constantium, inter cetera, ait: *Nequaquam obstiti pietatis tuæ mandato, absit; non tanti quippe sum ego, ut obsistam, vel Quæstori Urbis, nedum tanto Imperatori*; atque de epistola suo nomine Imperatori oblata addit: *Undenam hujusmodi epistolam*, inquit, *nacti sunt obtrectatores mei, nosse velim, quisnam ipsis eam tradidit; jube, quæso, ut respondeant, hinc enim edisces ipsos hanc commentos esse criminationem*; deinde: *Quapropter cum sola calumniatorum opera data fuisset epistola, nec me ipsa juberet ad te proficisci, perspectum sane habui, eam non esse pietatis tuæ voluntatem, ut te convenirem. Etenim cum non omnino jusseris ut accederem, sed ita scripseris, quasi id ego a te litteris postulassem, ut quæ deficere videbantur, instaurare liceret, palam fuit (nemine licet indicante) perlatam ad me epistolam, non e sententia mansuetudinis tuæ fuisse scriptam. Hoc nulli notum non est, hoc scripto indicavi, ac novit ipse Montanus non recusasse me ad te accedere, ac si ego litteris meis proficiscendi licentiam postulassem, certe id non decere arbitratus sum, ne hinc occasionem iterum captarent sycophantæ, quasi Religioni tuæ molestus fuissem*. Hæc, aliaque in eamdem rem ibidem Athanasius.

Alias calumnias Athanasius confutat. *Apol. ad Con. pag.303.*

9. Qua ratione calumniam de epistolis Magnentio tyranno datis Athanasius refutaverit, jam supra vidimus, cum de Magnentii tyrannide egimus. Tertiam vero, quod scilicet in nova Ecclesia, inscio Constantio, collectas egerit, his verbis di-

JESU CHR. AN 353. diluit: *Quod autem mihi in crimen vertitur*, quòd in magna Ecclesia celebraverit synaxim, priusquam expletum ædificium esset: *Age, eam quoque apud tuam pietatem propulsabo criminationem. Ità se res habet, id fateor: ut enim hactenus nihil mendacii protuli, hoc jam non inficias ibo. Sed alio prorsus modo, quam criminantur illi, gesta res est; nec dedicationis diem festum celebravimus, religiosissime Auguste; id namque ante jussum tuum agere, nefas fuisset; neque consulto ad id animum appulimus. Nullus Episcopus, nullus fuit Clericus vocatus; ædificio quippe plurima deerant.* Ex necessitate tamen id factum fuisse, pluribus persequitur; eo quod Paschali instante festivitate, cum Ecclesiæ paucæ essent, & angustissimæ, ingenti edito tumultu rogavit plebs, ut in magna Ecclesia conventus ageretur. Se autem hortante, ut etiam cum compressione in aliis Ecclesiis conventus agerent, morem illi non gessere; immo parati fideles erant ex urbe egredi, ut in desertis locis, ac sub aperto Cælo celebrarent, satius ducentes itineris perferre laborem, quam cum mœrore festum peragere. In Quadragesimæ quippe sinaxibus, ob locorum angustiam, ingentemque populi frequentiam acciderat, ut pueri complures, ac mulieres præ turba compressæ, domum delatæ vita pene periclitarentur. Itaque Quadragesimæ tempore tanta fuit compressio, quanta in die Paschatis futura erat, ait Athanasius; hinc rem gestam Sanctorum virorum exemplis excusat subdens: *Beatæ quippe vir memoriæ Alexander, ob aliorum locorum angustiam, dum ipse Ecclesiam, quæ omnium maxima tunc putabatur, Theonæ dictam, extrueret; in ea tamen ob populi frequentiam conventus egit, neque interim ob populi conventum ædificii constructionem intermittebat. Rem similem Treveris, & Aquilejæ factam vidi; ubi item ob populorum frequentiam, dum Templa extruerentur, nihilominus conventus agebantur: nullusque tamen extitit, qui factum hujusmodi in crimen vocaret. Quin etiam, beatæ vir memoriæ, frater tuus hujusmodi conventui Aquilejæ cum aliis interfuit. Idipsum me egisse fateor; ita tamen, non dedicatio, sed synaxis ad orandum celebrata sit &c.*

Athan. T. 1. p. 294. Hæc, aliaque in sui defensionem Athanasius anno 356.; quæ irrita quidem omnino fuerunt, cum pro Hæreticorum arbitratu cuncta peragerentur, ut infra dicturi sumus.

De Synodo Arelatensi ab Arianis celebrata.

10. Constantium rogaverat Liberius, ut ad reintegrandam cum Orientalibus pacem, & Athanasii causam retractandam,

dam, Synodum Aquilejæ congregari permitteret, ut in epistola ad Osium Cordubensem idem narrat Liberius, atque Vincentium Capuensem, & Marcellum Campaniæ Episcopos legatos se misisse addit. At cum Constantius post devictum Magnentium in Gallias transiisset, ac Arelate hoc anno consisteret, Arianorum Episcoporum instinctu, Synodum ibidem celebrandam jussit, qua, teste Athanasio, omnia ex Hæreticorum consilio, & opera peracta sunt. Quid gestum in ea fuerit, Sulpicius narrat: *A Catholicis*, inquit, *petebatur, ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent; tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset, sed Valens, sociique ejus prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi*. Iniquam conditionem pro pace Ecclesiis procuranda admisissent Occidentales, dummodo Arii dogmata condemnarentur: *Manent Legatorum litteræ*, inquit Liberius in epistola ad Constantium, *qui ad clementiam tuam fuerant destinati*, idest Vincentius Capuæ & Marcellus in Campania Episcopus, *quæ nuper venerunt, quibus significant propter turbationem quidem omnium Ecclesiarum, se quidem ante succumbere voluisse sententiis Orientalium*; ut scilicet vel inviti in Athanasii condemnationem subscriberent: *Proposuisse tamen conditionem, ut si iidem Arii hæresim condemnassent, hoc genere inclinati eorum sententiis obedirent. Placitum ut ipsi significant, scriptura teste firmatur, itur ad Concilium, accipiunt cum deliberatione responsa, Arii doctrinam se damnare non posse, Athanasium quod solum exigebant communione esse privandum*. Arianorum vero sententia ab Occidentalibus recusata: *Edictum ab Imperatore proponitur*, inquit Sulpicius, *ut qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exilium pellerentur*.

Hilar. fragm. 6. pag. 626. Coutan. p. 421

Athan. ad Monach. tom. 1. pag. 361. Sulp. lib. 2.

Sulp. lib. 2.

11. Quare Vincentius Capuæ Episcopus, qui pro Catholica Fide, proque Athanasii innocentia hactenus certaverat, Constantii minis perterritus, Athanasii condemnationi subscripsit; cujus lapsum Liberius ad Osium Cordibensem, & ad Cæcilianum Spoletinum mœrens his verbis narrat: *Nolo, te factum Vincentii ab intentu boni operis revocet, frater carissime, inter hæc, quia in nullo conscientiam tuam debeo præterire, multi ex Italia Episcopi convenerunt, qui mecum religiosissimum Imperatorem Constantium fuerant deprecati, ut juberet, sicut ipsi placuerat dudum, concilium ad Aquilejam congregari. Vincentium Capuensem cum Marcello æque ex Campania Episcopo legationem*

Vincentius Capuæ Episcopus in Athanasii condemnatione consentit.

Hilar. fragm. 6. pag. 676.

Jesu Chr. an. 353.

nostram suscepisse, sanctitati tuae insinuo; de quo multum sperabam, quod & causam optime retineret, & Judex in eadem causa cum sanctitate tua frequenter resedisset; credideram integrum Dei Evangelium sua legatione posse servari. Non tantum nihil impetravit, sed etiam ipse in illum ductus est simulationem. Maculam tamen nomini suo inustam Vincentius tunc diluit, cum Arianorum conatibus resistens, Ariminensibus gestis suffragari recusavit, ut suo loco videbitur.

Paulinus Trevirensis in exilium ejicitur, ibique moritur. *Sulpic. lib. 2.*

Hilar. lib. contra Const. pag. 170. T. 2. edit. Veron.

Hieron. in Chron. T. 8

12. Inter eos, qui Arelate pro pietate, & Athanasii innocentia certarunt, praeceteris emicuit Paulinus Trevirensis Episcopus, qui nec blanditiis, nec minis flecti potuit, ut aut cum Arianis consentiret, aut ab Athanasii communione recederet: *Ab hoc partium conflictu in exilium ejicitur*, ait Sulpicius. Quem variis exiliis afflictum in Phrygia obiisse, tradit Hilarius: *Tu Paulinum beatae passionis virum, blandimento sollicitatum relegasti, & Ecclesiam sanctam Trevirorum tali Sacerdote spoliasti, edictis fidem terruisti. Ipsum quoque ad mortem demutatis exiliis fatigasti, extra Christianum quoque nomen relegasti, ne panem, aut de horreo tuo sumeret*, idest ab Arianis; *aut de Montani, Mixinillaeque antro profanatum expectaret*, idest a Montanistis, quorum plurimi in Phrygia erant, ubi Paulinus ad annum usque 358. exulans obiit; de quo ad dictum annum Hieronymus: *Paulinus Trevirorum Episcopus in Phrygia exulans moritur*; ipsum denique non solum Hilarius, sed & Athanasius inter fidei Confessores numerat; cujusque memoria die trigesima prima Augusti in Martyrologio Romano celebratur. De Paulino Trevirensium Episcopo, & Martyre veterum testimonia collegit Nicolaus ab Hontheim in Prodromo ad Historiam Trevirensem, & ante eum Christophorus Broverius tom. 1. annalium Trevirensium.

Constantii nuptiae cum Eusebia, ejus mors. *Tillem. hist. Imp. Tom. 4. pag. 380. Pag. not. ad Baron. an. 336 num. 8. Zosim. l. 3. 1. Marcell. 16. 11. lib. 21. 6.*

13. Post adeptam totius Imperii Monarchiam, Constantius cum Eusebia secundas nuptias iniit, quae *summa praestabat eruditione, supraque muliebrem sexum prudens erat*, inquit Zosimus; atque eam ex conjugibus, quas plurimas sortitus est Constantius, praecipue dilexit; *Decoram quidem*, ait Marcellinus; *verum per Amantias, & Gorgonias, & alia importuna ministeria vexantem famam viri, contra quam feminis modestioribus mos est, quarum saepe praecepta maritis juvant. Quoad vixit, sterilis fuit*; eaque de causa Helenae Juliani uxoris foecunditati invidens, insidias ipsi struxit, ita ut quoties uterum gereret, dato

dato prægnanti veneno, immaturum fœtum abigeret; quin natum aliquando filium interemit, cui obstetrix Augustæ votis obsequens, plusquam decebat, umbilicum secavit. Quousque Eusebia vixerit, non constat; id certum anno 351., *ammissa jam pridem Eusebia*, Faustinam duxisse Constantium, atque ex prolis desiderio Eusebiam periisse, narrat Chrisostomus: *Quin etiam uxorem suam* Constantius *vidit pessis necatam*; *nam cum parere non posset, mulier quædam, datis pessis & illi, & sibi simul mortem attulit. Eusebiæ fratres erant Eusebius, & Hypatius Consulares*; quorum nomina anno 359. in Fastis leguntur.

Chrysost. hom. 15. in epist. ad Filipp.

JESU CHRISTI an. 354. Liberii Papæ 3.
Constantii Imp. 18.
Coss. Constantio Aug. VII.,
et Costantio Gallo Cæs. III.
Olymp. 283. an. 2. Urbis an. 1107.

1. Arelatensis Synodi infelix exitus, & Vincentii Capuani Episcopi, & Romanæ Sedis legati lapsus, Liberii Pontificis animum adeo turbaverant: *ut moriendum sibi pro Deo decreverit, magis quam sententiis contra Evangelium commodare consensum*, ut in epistola ad Osium Cordubensem, & Cæcilianum Spoletinum anno elapso scripserat. Cumque Constantii edictum, quo jubebatur, ut qui damnationi Athanasii non subscriberent, in exilium pellerentur, Episcopis ubique in Italia proponeretur; in ea Ecclesiarum turbatione, tantoque rerum discrimine, Imperatorem Liberius adiit, enixe rogans, ut in altero Episcoporum concilio causa Athanasii retractaretur: *Obsecro*, inquit, *tranquillissime Imperator, ut mihi benignas aures clementia tua tribuat, quo possit mansuetudini tuæ mentis meæ propositum apparere. De christiano enim Imperatore, & sanctæ memoriæ Constantini filio hoc ipsum sine cunctatione mereor impetrare*. Post plurima in ejusdem commendationem, addit, *Ego religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita, interna dispositione fallaciæ, sed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasii tantum negotium, sed multa alia in medium venerant, propter quæ concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus: ut ante omnia, quod specialiter optat mentis tuæ erga Deum sin-*

Liberii epist. ad Constantium Imp.

Sulpic. lib. 2.

Hilar. frag. 5 Tom. 2. p. 671 Coutan. p. 423

cera

JESU CHR. AN. 354. *cera devotio, cum fidei causa, in qua prima nobis spes est ad Deum, diligenter fuisset tractata*. Deinde &c.

Liberius Arianorum accusationes refellit.

2. *Multi*, ait, *Ecclesiæ membra lacerare festinant, qui confixerunt me litteras suppressisse, ne crimina ejus, quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent*, crimina scilicet Athanasio conficta, se tamen Orientalium litteras coram concilio legisse testatur, etsi fidem, & sententiam non commodaverit suam, eo, quod eodem tempore octoginta Episcopi Ægyptii pro Athanasii innocentia vindicanda scripserant, quorum etiam epistolas Episcopis Italis, *se recitasse*, addit, *quare, cum Episcoporum numerus pro Athanasio major existeret*, se Orientalium sententiæ contra Athanasium latæ subscribere nequaquam potuisse adnotat. *Quare videt igitur*, inquit, *prudentia tua, nihil animum meum introisse, quod Deo servientibus non dignum fuerat cogitare*, post aliqua invitum se Romanæ Ecclesiæ Episcopum ordinatum fuisse asserit; eaque mente esse, ut *sequutus morem, ordinemque majorum, nihil addi Episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sit*. Cur vero Orientalium, idest Arianorum communionem vitaret, hanc affert rationem.

Cum hæreticis se pacem habere non posse testatur.

3. *Significant Orientales paci nostræ velle conjungi*. At quæ pax est, inquit Liberius, cum sint in eorum communione Episcopi quatuor, idest Demophilus Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de Concilio animis iratis exierunt? Nec novum est, subdit, quod sub occasione nominis Athanasii tentatur. Manent litteræ Alexandri Episcopi, ad Sylvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significavit ante ordinationem Athanasii, undecim tam presbyteros, quam etiam diaconos, quod Arii hæresim sequerentur, Ecclesia ejecisse: ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam Catholicam foris positi, dicuntur sibi conciliabula invenisse, quibus etiam Georgius Alexandriæ Episcopus per litteras communicare dicitur. Quæ igitur pax esse potest, cum Episcopi, ut nunc per Italiam factum est, cogantur talium sententiis obedire? Deinde quæ in Arelatensi synodo anno proximo, adversus Athanasium, Arianorum factione gesta fuerant, commemorat; quare iterum, atque iterum Constantium Imperatorem rogat Liberius, ut in Concilio Episcoporum diligenter ea tractari permittat, atque ea, quæ Sacerdotum sententia fuerint confirmata, inpo-

inposterum custodiantur, salva semper Nicæna fide, cui omnes subscribere decebat; ac Legatos suos ea de causa in Gallias misisse addit, Luciferum scilicet Calaris in Sardinia Episcopum, & Pancratium presbyterum, cum Hilario Diacono. Cumque Ariani etiam, ut hæresim magis magisque firmarent, & adversarios opprimerent, concilium fieri postulassent; ut Mediolani celebraretur jussum est, quo Athanasius iterum Arianorum factione damnatus est, fortioresque Episcopi in exilium ejecti, ut anno sequenti videbimus.

4. Legatis suis ad Constantium properantibus, epistolas ad Eusebium Vercellensem Episcopum deferendas dedit Liberius, quibus dolorem suum ex Vincentii simulatione conceptum exponit, ac Luciferi Calaritani zelum in legatione ad Constantium suscipienda laudat, eumdemque Eusebium rogat, ut Fidei causam pro viribus tueatur; atque ab Imperatore Ecclesiis pacem, quacumque occasione oblata, procuret. *Me, Frater carissime*, inquit, *ad solatium vitæ præsentis erigit invicta fides tua, qua secutus Evangeliorum præcepta nullo genere a consortio sedis Apostolicæ discrepasti: quod credo non sine Dei impulsu, qui digno sibi in Sacerdotio detinet, benevolentia complesse. Cum igitur post legationem Vincentius in illam ductus est simulationem; reliqui per Italiam Episcopi, publica conventione coacti fuissent sententiis Orientalium obedire; Deo procurante, frater & coepiscopus noster Lucifer de Sardinia supervenit, qui cum latebras causæ interioris cognovisset, & pervenisset ad ejus conscientiam, sub occasione nominis Athanasii hæreticos hæc velle tentare; pro devotione fidei suæ subire voluit justum laborem: & ad Comitatum religiosissimi Principis pergere, ut tandem exposito ordine totius causæ impetraret, ut omnia, quæ in medium venerunt, in cœtu possent sacerdotum Dei tractari*. Eusebium itaque excitat Liberius, ut Lucifero comitem se adjungat, ac ea, quæ Catholica fides tunc temporis exigebat, Imperatori insinuaret: ut aliquando animi indignatione remota, id consilii caperet, quod tum Ecclesiæ Catholicæ, cum saluti suæ conveniret. Epistola altera eumdem Eusebium hortatur, ut pro Catholica tuenda fide, una cum legatis suis Constantium Imperatorem adire non dubitaret. Cumque accepisset Eusebium aliosque legatos a Constantio Imperatore obtinuisse, ut synodus anno proximo Mediolani haberetur; ad Eusebium tertio scripsit. *Sciebam*, inquit, *domine frater carissime, quod spiritu Dei fervens in causa*

Liberii epistolæ ad Eusebium Vercellensem Episcopum.

Coustan.p.422

Liberii Epistola altera ad Eusebium.

Tertia Liberii epistola ad Eusebium. *Coustan.p.428*

JESU CHR. AN.354.

sa fidei, quæ non potest Domino commendare, fratri, Coepiscopo nostro Lucifero, & Pancratio compresbytero nostro, qui simul erat profectus cum filio meo Hilario diacono, fida dignareris solatia exbibere, nec te posse iis denegare, quos sciebas pro devotione fidei suæ tantum laboris & itineris suscepisse &c. Eamdemque causam Fortunatiano Aquilejensi Episcopo se commendasse addit. Liberii tamen spem omnino Fortunatianus fefellit; nam non solum in Athanasii condemnationem subscripsit; sed & ad Arianorum partes transiit, ut suo loco videbimus.

Alemannorum Reges pacem a Constantio impetrant.

Amm. Marcell. l. 14. 10. 11.

5. Alemannorum irruptionibus usque ad hybernum tempus in Galliis detentum fuisse Constantium, narrat Marcellinus, *Constantius consulatu suo septies, & Cæsaris tertium egressus Arelate, Valentiam petit in Gundomadum, & Vadomarium Reges arma moturus*; quos ad pacem petendam coegisse subdit. *Isto post hæc fœdere, gentium ritu, perfectaque solemnitate, Imperator Mediolanum ad hyberna discessit.*

De tyrannide Galli Cæsaris, ejusque obitu.

Marcell. l. 14. 10. 11.

6. Orientales interea Provincias tyrannide sua vexabat Gallus Cæsar, quem Constantius hoc anno, & dignitate, & vita privavit. Cum Mediolano ad hyberna esset hoc anno, *curarum abjectis ponderibus aliis, tamquam nodum, & odium difficillimum, Cæsarem Gallum nisu valido cogitabat interficere*; ait Marcellinus. Quæ fuerit Galli vivendi licentia, quæve ejus sævitia, & crudelitas, ut ne primoribus quidem pepercerit; pluribus narrat Marcellinus. Quare Constantius, iram dissimulans, ad se una cum Constantina uxore venire jussit. Galli itaque uxor, sperans se germanum lenire posse, prima iter aggreditur: *Sed cum Bithyniam introisset, in statione, quæ Cænos Gallicanos appellatur, absumpta est vi febrium repentina.* Uxore amissa, cujus precibus apud Patruelem veniam Gallus sperabat, an iter prosequeretur nec ne, hærebat, tandem ad Constantium properans, Petabionem in Norico ingressus, ibidem Cæsarea dignitate privatus est, & ad Istriam prope oppidum Polam ductus, capitali supplicio plexus, cum undetriginta annos, Imperii vero quartum ageret. De ejus obitu Gregorius Nazianzenus: *Cæsaris quidem, & Imperium, & vita finem accepit, quæ enim interea acciderunt, silentio premam, tam ejus gratia qui fecit, quam qui passus est*, cum Gallo alii cum eo amicitia, aut affinitate conjuncti perierunt, ut Ammianus narrat.

Greg. Nazianz. orat. 3. in Julianum.

Julianus ab Eusebia periculo liberatur

7. Id vero in Galli interitu dolendum maxime fuit; quod eo

eo sublato, ad Imperium via Juliano patuit; qui cum fratre quidem periisset, nisi Eusebia Constantii uxor periculo cum liberasset. *Gallo interfecto*, ait Socrates, *statim Julianus in suspicionem venit Imperatoris, atque idcirco jussus est custodiri, sed cum custodes suos effugere valuisset, mutatis deinde latebris salutem sibi quaesivit. Tandem vero Uxor Imperatoris Eusebia, cum eum latitantem deprehendisset, persuasit Imperatori, ut nullo malo eum afficeret, sed potius Athenas ire permitteret, philosophiae operam daturum.* Socrati consentit Marcellinus, proditque Mediolanum a Constantio Imperatore vocatum fuisse. *Ad Julianum recens perductum, calumniarum vertitur machina gemino crimine, ut iniquitas aestimabat implicitum, quod a Marcelli fundo in Cappadocia posito ad Asiam demigrarat liberalium desiderio doctrinarum, & per Constantinopolim transeuntem viderat fratrem. Qui cum objecta diluerет, ostenderetque neutrum sine jussu fecisse, nefando assentatorum coetu periisset urgente, ni aspiratione superni Numinis, Eusebia suffragante Regina, ductus ad Comum, oppidum Mediolano vicinum, ibique paulisper moratus procudendi ingenii causa, ut cupidine flagravit, ad Graeciam ire permissus est.*

JESU CHR. AN. 354. Socrates lib. 3.1. Amm. Marcell. lib. 15. 2.

18. In litteris multum profecerat Julianus, multosque magistros audierat, Athenis praecipue; ut de eo Socrates narrat: *Cum adolevisset, Constantinopoli liberalibus disciplinis est institutus in Basilica, ubi tunc scholae erant, simplici habitu procedens una cum paedagogo suo Mardonio eunucho, in Grammatica magistrum habuit Nicoclem Lacanem, in Rhetorica vero praeceptore usus est Eubolio Sophista, qui tunc temporis erat christianus.* Deinde Nicomediam transiit, ubi Libanii orationibus maxime delectabatur, atque a Maximo philosopho Ephesio, una cum philosophia, Ethnicam religionem didicit: ne tamen in suspicionem abdicatae christianae Religionis veniret, capite tonsus monasticam vitam simulavit, & Nicomediensis ecclesiae lector est ordinatus; Athenas vero ingressus anno sequenti, ubi ipsum vidit Nazianzenus, qualis futurus esset, praedixit: *A me autem, quae postea gessit, procul ante perspecta quoque modo fuerunt, ex quo Athenis cum eo versatus sum. Nam illuc quoque statim postea qua adversus fratrem designata sunt, profectus est, Imperatorem hoc ipsum deprecatus. Duplicem enim eo proficiscendi causam habebat, alteram speciosiorem, & honestiorem ut Graeciam, ejusque scholas viseret; al-*

Julianus Athenis philosophiae operam dat. Socrat. lib. 3. Greg. Nazian. orat. 4. p. 120.

JESU CHR. AN. 354. *teram tectiorem, paucisque notam, ut regionis illius sacrificos, & impostores de rebus suis consuleret, impietate videlicet nondum plenam libertatem habente. Tunc igitur me non malum hujus viri conjectorem fuisse memini, quamquam alioqui ad has res non optime a natura comparatus. Sed me morum ipsius inconstantia, atque incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat: siquidem ille optimus vates est, qui recte conjicere novit. Neque enim mihi boni quicquam significare, aut ominari videbantur cervix non stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens, & vagus, furioseque intuens, pedes instabiles, & titubantes, nasus contumeliam, & contemptum spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes, & effrenati, nutus & renutus temerarii, sermo hærens, spirituque concisus, interrogationes stultæ, & præcipites, responsiones nihilo his meliores, aliæ in alias insultantes, nec graves & constantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quid singula describere necesse est? talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognovi. Quod si quidam ex iis, qui tum simul e[...], quidque dixerim audierunt, nunc mihi præsto essent; haud ægre testarentur, quibus, ut hæc aspexi, statim prolocutus sum: Quale malum Romanorum terra nutrit? præfatus licet, ac mihi ut falsus vates essem, imprecatus: præstabilius enim id fuerat, quam talibus malis Orbem terrarum impleri, taleque monstrum existere.* Non diu tamen Athenis substitit Julianus, nam sequenti anno a Constantio, Mediolanum revocatus, Cæsareo Imperio donatus est; uti postea videbimus.

JESU CHRISTI AN. 355. LIBERII PAPÆ 4.
CONSTANTII IMP. 19.
COSS. ARBETIONE, ET LOLLIANO
OLYMP. 283. AN. 3. AN. URBIS 1108.

Concilium Mediolanense celebratur. *Socrat. l. 2. 36. Sozom. l. 4. 9.*

1. Cum Mediolani hyemaret hoc anno Constantius, synodum ibidem haberi voluit, seu verius Arianorum conventum, & synagogam, qua Episcopi *Orientales quidem non multi*, ait Socrates, *ex Occidentis autem partibus plures quam trecenti convenerunt*, ita ut si Episcoporum numerum spectes, Nicæno concilio fere æquari possit; si res gestas consideres, a Nicæna synodo tantum hoc distet, quantum lux a tenebris, aut

aut cælum a terra; nam Arianorum conspiratio adversus Catholicam fidem fuit, & malignantium synagoga. Cum hæc prævidisset Eusebius Vercellensis, etsi ceteris vicinior esset, adesse tamen recusaverat, donec repetitis legationibus, & epistolis invitatus, ne officio suo deesset, tandem adsuit; Synodus enim ipsa, Eusebio scribens, missis Eustomio, & Germinio Episcopis, ut Synodo se sisteret, hortata est.

Jesu Chr. an. 355.

Synodi epistola ad Eusebium. *Harduin. concil. tom. 1. pag. 637.*

2. Extat etiam Imperatoris ad Eusebium epistola, qua testatur se Ecclesiarum pacem semper optasse, eaque de causa: *Conventum sanctorum Episcoporum in Mediolanensi placuit fieri civitate, eorum vel maxime, qui alibi gesta possint revelare; in diversis quippe provinciis Episcoporum sunt contra*; seu ut legendum putat Baronius *contraria coacta concilia. Sed quid per singulas concordi unanimitate decreverint, a prudentissimis Episcopis in synodo Mediolanensi perspicue declaratum est*; deinde legatos quatuor ad eum ea de causa missos fuisse subdit, quorum votis ut tandem annuat, & synodo se sistat, enixe hortatur. Hanc quidem epistolam Eusebio dum esset Mediolani ab Imperatore datam fuisse scribit Baronius, absenti tamen directam, vel ipsa Eusebii ad Imperatorem epistola indicat, qua inter cætera se ad synodum quamprimum adfuturum significat: *Ego, Clementissime Imperator, videns animum tuum Deo devotum, hoc cupere quemadmodum per orbem terrarum firma pax ecclesiastica permaneret, satis cum gaudio litteras tuas accepi, suscepi etiam litteras fratrum, & Coepiscoporum meorum, quibus hoc intimare dignati sunt; ut plene mihi ratio per ipsos quos miserant redderetur, & sic facerent quod volebant; sed quia ratio pleniter mihi reddi non potuit, & debui clementiæ tuæ parere, hoc necessarium duxi, ut Mediolanum venire properarem*. Hactenus Eusebii epistola ad Constantium.

Constantii Imp. epist. ad Eusebium. *Harduin. ut supr. pag. 690.*

Bar. an. 355. num. 17. Tillemont. tom. 7. pag. 775. not. 6. in Euseb. Vercell. *Eusebii Epist. ad Constantium Imp. pag. 697.*

3. Legati etiam Romanæ sedis Eusebium, ut synodo adesset, rogarunt, quem fidei defensorem fortissimum esse sciebant; quare, *gratiam tibi*, inquiunt, *a Domino nostro concessam noli negligere: sed ut quantocius te interveniente effugetur Arianum dogma, jam accelerare digneris*, ut sicuti Apostolorum Petri, & Pauli præsentia Simonis præstigias temeritatemque repressit; sic et præsente Valentis sociorumque blasphœmæ destruerentur. His itaque permotus precibus tandem cessit Eusebius, ac Mediolanum se transtulit.

Epistola legatorum sedis apost. ad Eusebium.

 4. Quæ

Eusebius Arianis fortiter resistit.

Hilar. lib. 1. ad Constant. tom. 1. p. 340.

4. Quæ vero tunc primum ab Arianis adversus eum tentata fuerint; quaque libertate Eusebius pro Nicæna fide loquutus sit, Hilarius narrat: *Venio nunc ad id; quod recens gestum est; in quo se etiam professio sceleris in secreto artis suæ dedignata est continere. Eusebius Vercellensis Episcopus est vir omni vita Deo serviens. Hic post Arelatensem Synodum, cum Paulinus Episcopus tantis istorum sceleribus contraisset, venire Mediolanum præcipitur. Collecta jam illic malignantium synagoga, decem diebus ad ecclesiam est vetitus accedere, dum adversus tam sanctum virum malitia se perversa consumit. Suppuratis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est, advocatur. Adest una cum Romanis clericis, & Lucifero Sardiniæ Episcopo. Conventus ut in Athanasium subscriberet, ait. De Sacerdotali fide prius debere constare; compertos sibi quosdam ex his, qui adessent, hæretica labe pollutos. Expositam fidem apud Nicæam, cujus superius meminimus, posuit in medio: spondens omnia se, quæ postularent, esse facturum, si fidei professionem scripsissent. Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit: ubi profiteri scribendo cœpit, Valens calamum, & chartam e manibus ejus violenter extorsit, clamans non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multam deducta in conscientiam plebis est: gravis omnium dolor ortus est, impugnata est a sacerdotibus fides. Vertentes igitur illi populi judicium, e Dominico in Palatium transeunt.* Hæc Hilarius de gestis in ecclesia, ubi Episcopi primum convenerant. De Dionysio Mediolanensi, narrat auctor sermonis in Natali B. Eusebii, quod cum Dionysius in Athanasii condemnationem antea subscripsisset; Eusebii opera subscriptio ejus, lacerato chyrographo, deleta est. Cum enim urgeretur Eusebius, ut contra Athanasium subscriberet, dixit eorum se consentire perfidiæ, sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, graviter ferre. Qua illi ratione victi, S. Dionysii chirographum deleverunt, priorem locum B. Eusebio deferentes, quos ille increpans, & irridens ait, *neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare permitto*. Hæc auctor sermonis, inter Ambrosii opera, Maximo Taurinensi communiter inscripti. Sed ipsa etiam historia nonnullam quæstionem parit, ut vix sanctissimo viro ea aptari possint, quæ in ejus laudem ab eo auctore narrantur, Eusebium scilicet Apostoli exemplo, qui

Eusebius Dionysii subscriptionem lacerandam curat.

Maximi op. serm. 53.

ad Corint. 1. 9.

cum

cum Judæis Judæus erat; *cum hæreticis, hæreticum se esse mentitum, ut de hæresi filium liberaret*. Hæc porro etsi a Baronio excusentur; ingenuum tamen, & sanctum virum vix decent: his adde in eo Sermone multa narrari, quæ cum historia conciliari non possunt; cujusmodi sunt ea, quæ de Eusebii martyrio tradi, quem ab exilio rediisse, infra videbimus. JESU CHR. AN. 355. Bar. 355. n. 21 Tillemt. not. 12. in Eusek. tom. 7. p. 778.

5. Dionysium tamen Mediolanensem in Athanasii condemnationem subscripsisse extra dubium est: *Cæterum Dionysius Mediolanensium sacerdos, in Athanasii damnationem se consentire subscripsit, dummodo de fide inter Episcopos quæreretur*; id ipsum confirmat Lucifer ocularis testis, dum ad Constantium hæc habet: *Sed credo adhuc tentas negare non te idcirco persequi nos, quia noluerimus christiani fieri Ariani. Quomodo negare poteris, cum sanctissimum Dionysium Mediolanensem Episcopum, qui jam tibi falsa asserenti credens, damnaverat Athanasium, quod Arianus esse noluerit, miseris ad exilium*. Hæc Lucifer, quibus patet Dionysium a Constantio deceptum sibi falsa narranti, Athanasium condemnasse, in quibus si quid peccavit, ob facti errorem excusari facile potest, qui etiam ob exilium Fidei causa susceptum, quin ob martyrium toleratum, errorem suum satis superque diluit. Dionysius Mediolanensis Episc. Athanasium damnat. Sulp. lib. 2. Lucifer in Constantium lib. 1. biblioth. PP. tom. 4.

6. Cur ex ecclesia in Palatium transierint Episcopi, hanc rationem reddit Sulpicius: *Valens & Ursacius, ceterique metu plebis, quæ Catholicam fidem egregio studio conservabat, non ausi piacula profiteri, intra Palatium congregantur. Illinc epistolam sub Imperatoris nomine emittunt, omni pravitate refertam; eo nimirum consilio, ut, si eam æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent, sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in Rege, & ipsa venialis: quia etiam tunc catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire. Igitur lectam in Ecclesia epistolam populus aversatur*; de gestis vero in Palatio, deque vi adhibita contra Athanasii defensores, aut fidei propugnatores narrat Athanasius, Imperatorem ab Episcopis illic congregatis omni vi adhibita exegisse, ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communicarent; cui cum modeste respondissent, Ecclesiæ canonibus id nequaquam consonum esse, quod ego volo, inquit, id pro Canone habeatur, exilium cunctis minitatus, ni continuo obtemperassent. At Episcopi rogare eum, suadereque cœperunt, ne Ecclesiasticas res, neu Ro- Vis confessoribus adhibita. Sulpic. lib. 2. Athan. epist. ad monachos tom. 1. p. 363.

JESU CHR. AN. 355. Romanum Imperium cum Ecclesiasticis statutis commisceret, aut vel Arianae haeresi ecclesiam Dei pollueret. At Constantius neque audivit, nec eos plura dicere permisit; quin & acrius districto adversum gladio comminabatur, imo ex iis nonnullos ad supplicium adduci jussit, etsi paulo post mutato consilio sententiam retractaverit, sola exilii pœna contentus, quam Episcoporum plurimi, ne fidem proderent, libentissime subierunt. Illustriores ex his fuere Lucifer Sardiniæ Episcopus, Eusebius Vercellarum, Dionysius Mediolani; *ceteris partim metu*, partim fraude, & ignoratione rerum *inducti consensum* Sozom. l. 4. 9. *præbuerunt*, ait Sozomenus, atque *eo pacto Imperator tantum Episcoporum numerum cum minis, tum promissis compulit,* Athan. Apol. ad Const. pag. 312. *ut dicerent; non ultra cum Athanasio communicamus*; ut subdit Athanasius. Perpauci tamen exilium ea de causa passi Athan. pag. 362. sunt, hinc sequitur perpaucos etiam Imperatoris voluntati obstitisse.

Legati sedis Apostolicæ multimode vexati. 7. Liberii autem legati, Lucifer Calaritanus Episcopus, Pancratius presbyter, & Hilarius diaconus pro catholica fide, & Athanasii innocentia fortiter certantes, verbera, & exilia Hier. de Vir. illust. ca. 107. tolerarunt. De Lucifero hæc narrat Hieronymus: *Lucifer Calaritanus Episcopus, cum Pancratio, & Hilario Romanæ Ecclesiæ clericis, ad Constantium Imperatorem a Liberio Episcopo pro fide Legatus missus, cum nollet sub nomine Athanasii, Nicænam damnare fidem, Palæstinam relegatus, miræ constantiæ, & præparati animi ad martyrium contra Constantium Imperatorem scripsit librum, eique legendum misit.* De Pancratio presbytero & Hilario Diacono Athanasius audiatur: *Cum* Athan. ad monachos pag. 368. *Liberius Eutropium presbyterum*, idest Pancratium, *& Hilarium diaconum cum litteris misisset ad Imperatorem, quo tempore item Lucifer cum sociis confitebatur; Presbyterum statim illi in exilium ablegarunt; Diaconum vero Hilarium, postquam nudassent, atque dorso flagris cæcidissent, in exilium item miserunt. Dum flagellarent autem, hæc vociferabantur: Quare Liberio non obstitisti; sed ejus detulisti litteras?* Inauditæ cru-

Confessores fidei ab invicem disjuncti. delitatis auctores Ursacium, & Valentem fuisse subdit; ut vero Confessoribus exilii asperitas augeretur, in varias, dissipatasque regiones dispersi sunt; nam Lucifer in Palæstinam, Eu- Hier. de vir. ill. cas. 106. & 107. sebius Scythopolim primum, deinde in Cappadociam relegatus est, uti narrat Hieronymus, inde in Thebaidem Ægypti, uti Theod. lib. 3. 4. auctor est Theodoretus. Dionysium vero in Cappadocia exulasse

lasse scimus; nam ibidem fato functus, martyr occubuit, cujus deinde ossa, vivente adhuc Constantio, Mediolanum transferri curavit Ambrosius, uti suo loco videbimus.

JESU CHR. AN. 355.

Ambros. epist. 63. n. 70. Vercell. tom. 3.

8. Dionysio amoto, & in exilium acto, Auxentium Arianum in Mediolanensem Episcopum Ariani ordinarunt; virum, ut ait Athanasius, ne quidem christiano nomine dignum, ac litigatorem magis, quam christianum; hominem denique *nec dum linguæ latinæ, sed solius impietatis peritum*, qui a Gregorio Ariano Episcopo Alexandrino presbyter ordinatus, Arianam perfidiam simulata pietate tegebat, cujus hypocrisim Lucifer ad Constantium scribens detegit: *Si Auxentius quidem fidem apud Nicæam descriptam tenet; poteris nec tu esse Arianus.* Hilarius vero de ejusdem simulatione: *Placet omnibus*, inquit, *Auxentium hæc ipsa profiteri frequenter, qui ut ipsum scriberet est coactus. Qui diu consilia sua versans callidissime fidem Regis eludit, dat scripturam stylo Antichristi compositam. Nam primum ea, quæ Nicææ Thraciæ omnium impietas resolvisset, sancta esse testatur, vim scilicet illatam Episcopis fidem esse veræ confessionis affirmans. Negat quoque, se scire Arium, cum in Alexandria in Ariana Ecclesia, cui Gregorius præerat presbyter esse cæpisset.* Hæc aliaque in Auxentium Hilarius; quem Antichristum, Satanæ Angelum, Christi hostem, vastatorem perditum, & fidei negatorem dicit; *qui fidem sic est Regi professus, ut falleret, sic fefellit, ut blasphœmaret.* De ejusdem gestis infra sermo redibit.

Auxentius Mediol. Episc. ordinatur.

Athan. tom. 1. pag. 389.

Lucifer. lib. 2. biblioth. PP. tom. 4.

Hilar. contra Auxent. tom. 2. pag. 598.

9. Ut clarissimos viros, ac fidei athletas in exilium ejectos fuisse Liberius Pontifex audivit, ad certandum pro fide fortiter & sustinendum, hisce eos verbis, data epistola hortatus est. *Quo præconio laudis, qua vocis exultatione meritæ virtutis vestræ proferam, positus inter mærorem absentiæ vestræ, & gaudium gloriæ, prorsus invenire non possum: nisi quod scio, hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me in exilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa expectatione pendentem, quod a consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaveram enim, fratres devotissimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exemplum gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit hæc palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis illustrem gloriam veneritis. Quæso igitur dilectionem vestram, ut me præsentem vobiscum esse cre-*

Liberii epist. ad Confessores fidei. Coutan. pag. 429.

JESU CHR. AN. 355.

credatis; atque vos me affectu absentem non esse sentiatis; & intelligatis doleo me vobis, quod sum interim a vestro consortio disparatus. Hincque futura sint pro pietate fideque catholica certantibus, prœmia pluribus persequitur; ac ut instantem sibi persecutionem æquo animo ferre posit, eorum se orationibus commendat, uti ibidem videre est.

Liberius Pontifex Constantii Jussu ad comitatum perductus. *Ammianus Marcell. lib. 15. 8.*

10. Quod prædixerat S. Pontifex, se scilicet de die in diem supervenientes impetus expectare, cito advenit; nam hoc eodem anno Constantii jussu Mediolanum perductus, cum neque ab Athanasii communione recedere, aut cum Arianis communicare vellet, eamdem exilii sententiam subiit; *Hoc administrante Leontio*, Præfecturam Urbis scilicet; *Liberius christianæ religionis Antistes Constantio ad comitatum mitti præceptus est, tanquam Imperatoris jussis, & plurimorum scitis per consortium decretis*; ideft Arianorum conciliabulo; *obsistens in re, quam brevi textu percurram*, ait Marcellinus, ac deinde addit, Liberium exilio damnatum fuisse, eo quod Athanasium damnare noluerit, ac tandem *super his intendebantur ei alia quoque a proposito legis abhorrentia; cui præsidebat. Hanc per subscriptionem abjicere sede sacerdotali paria sentiens ceteris, jubente Principe, Liberius monitus, perseveranter retinebatur; nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum sæpe exclamans, aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum; tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Urbis Episcopi, firmari, desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægre populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio potuit asportari. Et hæc quidem Romæ, ut ostendit textus superior, agebantur.* Hactenus de his Ammianus, qui cum Ethnicus esset, ac res nostras ignoraret, nonnisi ex Arianorum rumore, de Athanasio ea refert, veris falsa immiscens; id tamen ad rem nostram maxime facit, scriptorem Ethnicum non ignorasse, quod Christianorum plurimi se ignorare simulant, ideft Æternæ urbis Antistites, nempe Romanos Pontifices, auctoritate maxima supra ceteros alios Episcopos præditos fuisse, quæ sane ad heterodoxos Rom. Pontificis Primatum negantes convincendos, refutandosque aptissima sunt.

Liberius ab Eusebio eunucho primum tentatur.

11. Quæ autem Liberii exilium præcesserint, ex Athanasio audire præstat; qui eam tragœdiam pluribus exponit: *Neque*

que Liberio Romano Episcopo, inquit, pepercere, sed usque ad ejus urbis cives suum propagarunt furorem, nihil reveriti, quod Apostolicus thronus ille sit, nihil quod Roma sit metropolis Romaniæ; nec recordati sunt, se antea illos Apostolicos viros in litteris suis nuncupasse. Cum enim Liberium acerrimum Arianæ hæresis adversarium experti essent Ariani, auctoremque apud ceteros Occidentales ut eam execrarentur, in eum præcipue furoris ac perfidiæ arma converterunt. Sperans itaque Imperator, Liberii opera quamprimum omnes sibi conciliaturum, cum litteris spadonem quemdam Eusebium misit, ut blandiretur donis, litteris vero ut minaretur. Romam itaque profectus Eusebius, Liberio suadere conatus est, ut contra Athanasium subscriberet, & cum Arianis communicaret: *illud*, ajens, *Imperator exoptat, hoc te facere jubet*; & ostensis muneribus manusque Liberii contrectans, ut Imperatori obtemperaret, ac munera acciperet, hortabatur. Liberius vero se Athanasium a duabus synodis ex toto Orbe coactis purum, innoxiumque declaratum, quem & Romana synodus cum pace dimiserat, condemnare non posse ajebat.

JESU CHR. AN 355. *Athan. hist. ad monachos tom. 1. pag. 364.*

12. Indignatus autem Eunuchus, non tam quod subscribere renueret, quam quod illum hæresi adversarium comperisset, oblitusque se coram Episcopo stare, acriter interminatus, ad Petri basilicam contendit, ibique dona apposuit. Liberius tamen re cognita ecclesiæ custodem graviter redarguit, quod spadonem ecclesia non prohibuisset; dona vero ibidem relicta, tanquam prophanum sacrificium abjecit. At Eusebius repulsam passus, levissimum Constantii Imp. animum adversus Pontificem excitavit, qui ad Præfectum Urbis litteras dedit, ut aut Liberium dolo Romam eductum ad se transmitteret, aut vi hominem persequeretur. Hanc epistolam, ut ex Ammiano audivimus, Leontio urbis Præfecto Constantius dederat; hinc dira persecutio in Catholicos coepta est, ut ibidem narrat Athanasius: Interea *Liberius ad Imperatorem trahitur, multaque ille usus loquendi fiducia; desine, inquit, Christianos persequi; ne nostra opera coneris impietatem introducere in Ecclesiam. Sumus sane ad omnia toleranda parati, potius quam Ariomanitæ audiamus: ne nos, qui Christiani sumus, cogas Christomachos, idest, Christo inimicos effici*. Hæc aliaque cum loquutus esset Liberius, *Constantius nullum aliud responsum dedit, quam quod jussit illum in exilium mitti, singulosque, ut antea fecerat, ab invicem dis-*

Liberius dona Arianorum rejicit.

Jesu Chr. AN.355. *disjunxit: quam exilii rationem adinvenit ipse, ut in pœnis irrogandis prioribus crudelior tyrannis, & persecutoribus esset.* Hactenus Athanasius de Liberii Pontificis gestis cum Constantio Imperatore, & de ejusdem exilio.

Liberii colloquium cum Constantio Imp. *Theod. lib. 2. 16.*

13. Eadem autem acta a Notariis excepta, historiæ suæ inseruit Theodoretus; digna sane ut integra exscribantur. Itaque ad Liberium Constantius: *Nos quoniam, & christianus es, & Episcopus nostræ civitatis, idcirco te evocandum duximus, & admonendum, ut nefariæ dementiæ impii Athanasii communionem abjicias. Id enim æquum esse Orbis terrarum censuit, eumque ab Ecclesiastica communione alienum esse synodali sententia decrevit.* Liberius Episcopus dixit: *Judicia Ecclesiastica, o Imperator, summa cum æquitate fieri debent; quare si placet pietati tuæ, judicium constitui jube. Et si quidem Athanasius condemnatione dignus videbitur, tunc juxta Ecclesiastici ordinis formam, in illum sententia proferetur.* At Constantius: Totus terrarum Orbis de ejus impietate sententiam tulit. Liberius vero subdidit: Qui subscripserunt, res gestas ipsi non viderant; sed ob inanem gloriam, ac metum, neve abs te ignominia afficerentur. At Imperator ad Liberium: *Præsens*, inquit, *judicatus est in Concilio Tyri*, cujus sententiæ totius Orbis Episcopi subscripserunt; cui Liberius absentem quidem, cum jam inde discessisset, damnatum fuisse addidit, ac quæ adversus Athanasium gesta fuerant a Legatis in Mareotem missis commemoravit; cumque Epictetus Episcopus Liberio objecisset, se non fidei caussa Constantio resistere, sed ut apud Romanos Senatores gloriari posset, quasi Imperatorem superasset, ad eum iterum Constantius dixit: *Quota pars es Orbis terrarum, ut tu solus homini impio suffragari velis, & orbis Romani, ac totius Mundi pacem dissolvas?* *Liberius tamen: Etiamsi solus sim*, reposuit, *fidei caussa non idcirco minuitur. Nam & olim tres tantum reperti sunt, qui regis mandato restiterunt.* His dictis Eusebius Eunuchus Liberio: *Imperatorem nostrum*, ait, *Nabuchodonosor facis?* *Nequaquam*, ait *Pontifex sed tu, temere hominem conndemnans, de quo non judicavimus.* Demum addidit se petere, ut primum Nicæna fides ab omnibus confirmaretur, deinde ut revocatis ab exilio Episcopis & Alexandriam convenientibus, Athanasii causa, eo præsente, retractaretur.

Liberii Papæ invicta constantia.

14. Post aliqua Imperator: *Quæ jam formam excepere judicia ea resolvi amplius non possunt; valere enim debet plurium Epis-*

Episcoporum sententia. Tu solus es qui impii illius amicitiam retineas; gravissimas se adversus Athanasium inimicitias suscepisse testatus est, eo quod fratrem suum Constantem in se ipsum excitasset. At Liberius non debere eum, Episcoporum manu, privatas injurias ulcisci, ajebat. Surdo tamen hæc canebantur, nam Imperator: *Unum est*, inquit, *quod quæritur; te namque ubi Ecclesiarum communionem fueris amplexus, Romam remittere volo. Assentire igitur paci, & subscribe; atque ita Romam revertere*. At Liberius Fratribus, qui Romæ erant, se valedixisse dixit; cumque trium dierum spatium ad deliberandum ei datum esset, utrum Romam redire vellet, an in exilium deportari; trium dierum, aut mensium intervallo nil opus esse respondit. *Quare cum in sententia sua perseveraret Liberius, Beream Thraciæ Constantius relegavit, cui cum quingentos nummos, ad itineris & exilii imolestias sublevandas misisset, ut Imperatori redderentur jussit, eademque constantia alios ab Augusta oblatos, & ab Eusebio Eunucho recusavit; cui etiam dixit: Ecclesias Orbis terrarum vacuas, ac desertas fecisti; & mihi tamquam noxio eleemosynam adfers? abi, & prius Christianus fias*. Relegatus itaque est Liberius, atque in Thraciam deportatus est; atque utinam in tam sancto proposito, ad finem usque perseverasset, ut cum Apostolo dicere posset, *neque ad horam cessimus*, sed de his suo loco inferius.

JESU CHR. AN. 355.

Liberius in exilium mittitur.

Arianorum munera iterum ejicit.

ad Galat. 2. 5.

Felix Antipapa creatur: quomodo, & a quibus ordinatus fuerit.

15. Liberio in exilium ejecto, facinus tentatum est, quod Antichristi malignitatem præferre visum est, ut ait Athanasius; *Adornato namque in Ecclesiæ locum Palatio, cum populorum vice, tres castratos sibi adesse jussisset*, Epictetus scilicet quidam Neophitus, audaxque adolescens ad omnia scelera paratus, *demum improbos tres Catascopos, idest exploratores, haud enim Episcopi nuncupandi, adegit, ut Felicem quemdam, ipsorum moribus dignum hominem, Episcopum ordinarent in Palatio. Populi enim animadversa hæreticorum prævaricatione non concesserunt, ut in ecclesias illi ingrederentur; sed procul illius abscesserunt*. Hæc de Felicis ordinatione Athanasius, qui Romanam Sedem perjurio invasit, ut cetera nunc prætercam; nam cum ad Constantium Liberius properaret, clerus Romanus, qui multa benevolentia pastorem suum prosequebatur, jurejurando promiserat, nullum alium, nisi post ejusdem obitum, Pontificem se recepturum fore, ut testantur Faustinus, & Marcellinus in Libello Valentiniano, & Theodosio Imperatoribus oblato.

Athan. hist. ad monachos pag. 389.

Biblioth. PP. tom. 5. pag. 652.

JESU CHR. AN. 355.

16. Nec solum perjurio reus Romanam sedem, vivente Liberio, Felix invasit, sed & perfidia, ab hæreticis scilicet ordinatus, quos etiam in clerum admisit, & suæ communioni sociavit; ab Acacio quippe pestilentissimo hæretico, & Cæsariensi Episcopo, & Epicteto Centumcellensi item Ariano, quis tertius fuerit ignoramus; cum *Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi pejerarunt*, inquit Hieronymus in chronico; de Acacio vero in libro de viris illustribus subdit: *Acacius in tantum sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum Episcopum constitueret*; de Epicteto autem Ariano sæpe Athanasius loquitur. Nicænam tamen fidem tenuisse Felicem veteres tradunt: *Felix cum esset Romanæ Ecclesiæ Diaconus*, ait Socrates, *Arianam tunc amplexus perfidiam ad Episcopatus honorem promotus est. Nonnulli tamen affirmant, illum opinionem Arianam minime amplexum esse, sed vi, & necessitate compulsum ordinationem suscepisse*. Ruffinus etiam Felicem Liberio subrogatum tradit ab hæreticis, *non tam sectæ diversitate, quam communionis, & ordinationis convenientia maculati*. Theodoretus quoque Nicænam fidem integram tenuisse Felicem testatur, sed subdit: *Cum iis qui fidem labefactabant libere communicabat, atque ob hanc caussam, nemo ex civibus Romanis in ecclesiam ingressus est, dum ille intus esset*; quod & testantur Faustinus, & Marcellinus harum rerum oculati testes in supracitato libello: *Clerus Felicem in locum Liberii susceperunt. Quod factum universo populo displicuit, & se ab ejus processione, idest communione, suspendit*.

Felicis ordinatio irrita, ejusque fides dubia.

Hier. chron., & de vir. Illust. cap. 109.

Socrat. lib. 2. 37. in fine.

Ruffin. l. 1. 22.

Theod. lib. 2. 17.

17. Hactenus dicta satis evincunt, Felicem legitimum Pontificem non fuisse, cum, vivente Liberio & pro fide exule ordinatus fuerit, & quidem ab Arianis, cum quibus & communionem iniit, & in Athanasii condemnationem subscripsit; hinc e Pontificum Romanorum catalogo, Optatus, & Augustinus, Felicem expunxerunt, sed Julio Liberium, Liberio Damasum successisse tradunt. Nec tempus inveniri potest, in quo Romanæ Sedis verus Pontifex dici possit; nam post Liberii exilium, ab Arianis in ejus locum ordinatus, alienæ sedis invasor, & adulter fuit; post Liberii vero reditum, non solum Romana Sede, sed & urbe ejectus fuit, ut infra videbimus; *Quocirca*, ait Coutantius, *Felicem inter Petri successores numerare religioni est, nec alium novimus Felicem Secundum, nisi qui Simplicio successit*; nec alio titulo, quam Antipapæ, eumdem Fe-

An Felix pro legitimo Pontifice haberi possit.

Optat. lib. 2. contra Parm. August. Epist. 165.

Coutan. pag. 470. Orf. hist. eccl. tom. 6. pag. 201. edit. in 12.

Felicem exornat Cardinalis Orsius, ubi de Liberii reditu agens, inter cetera, narrat: Antipapam Felicem urbe ejectum fuisse, cui Natalis Alexander, aliique plurimi consentiunt.

Jesu Chr. an. 355.

Nat. Alex. diss. sert. 32. secu li.

18. Non defuerunt tamen, nec fortasse desunt, qui libri Pontificalis, aut Martyrologiorum auctoritate innixi, non solum Felicem in Rom. Pontificum, sed & Sanctorum Catalogo inscribunt; cujus memoria die quarta Kal. Augusti in Martyrologio Romano recolitur. Cum anno 1582. de emendatione martyrologii Romani ageretur, & causa Felicis agitaretur; totis viribus e Pontificum, & Sanctorum catalogo expungendum esse Baronius censebat. *Cum ego*, inquit, *in eam sententiam pedibus irem, ut Felicis nomen ex pungendum esset, eoque argumento volumen haud breve scripsissem, cui faverent, astipularenturque complures viri eruditi in Urbe tunc existentes; accidit plane, veluti divino miraculo, ut cum in Diaconia sanctorum martyrum Cosmæ, & Damiani in Foro, ad templum pacis posita, quidam male consulti, sed non sine Divina providentia, dum altare unum a dextris positum suffoderent, ut thesaurum invenirent, quem acceperant, nescio quo revelante, ibi esse repositum; in marmoream arcam inciderent, in cujus altero latere, tabulæ lapideæ interstitio, ab altero distincto, repositæ invenirentur reliquiæ sanctorum Martyrum Marci, atque Marcelliani, & Tranquillini, in altero vero arcæ latere, corpus S. Felicis, de quo agimus, una cum lapideo laterculo idem intus posito hisce litteris exarato: Corpus S. Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Constantium: quod accidit pridie ejus diei, quo ejusdem S. Felicis in Ecclesia natalis dies agi consuevit, quarto Kalendas Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo, cum de ejus meritis disceptatio magna esset, jamque pene ob innumeras contrarias assertiones causa cadere videretur: quando opportune ipsemet Felix visus est admiratione omnium redivivus comparuisse, per se suam ipse causam acturus, cum jam valde stylo contradicentium esset oppressus.* Hæc Baronius, qui & subdit, stylum quem hactenus adversus Felicem acuerat, rei novitate permotum, & Cardinalis Sanctorii authoritate se repressisse; atque in contrariam ivisse sententiam, ut scilicet Felicis nomen Martyrologio Romano retinendum censeret. Baronii quidem modestiam, religionemque laudamus, dum rei novitate permotus, ex detecta iis diebus Felicis inscriptione, quasi redivivus pro fama sua tuenda judicio

An Felix in Pontificum catalogo, aut sanctorum fastis sit retinendus.

Gregorii XIII jussu.

Bar. 357. 62.

JESU CHR. AN. 355.

cio ſtetiſſet, in contrariam opinionem facile tranſiit: ſi res tamen ipſa accuratius perpendatur, Felicis inſcriptio Baronii tempore inventa, tanti fortaſſe omnibus non videbitur, ut ipſe in catalogo Rom. Pontificum retineretur, aut inter Sanctos recenſeretur; cum ea ſummatim exhibeat, quæ actis Felicis Papæ apocryphis continentur, eum ſcilicet a Conſtantio capite damnatum, martyrio obiiſſe, eo quod eum, ob ſuſceptum iterato Baptiſmum ab Euſebio Nicomedienſi, excommunicaverit, quæ ſane coævis auctoribus non ſolum ignota fuerant, ſed etiam cum hujus temporis hiſtoria repugnant. Qui fieri etenim potuit, ut Conſtantius bis baptiſmum ſuſceperit, cum uſque ad annum 361. vitæ ſuæ ultimum baptizatus non fuerit; aut quommodo ab Euſebio Nicomedienſi baptizari potuit, cum Euſebius ante Conſtantii Imperium vitam finierit, inſuper Felicem Conſtantii juſſu martyrio coronatum fuiſſe nullibi conſtat, quin eum poſt Conſtantii obitum, diu vitam tenuiſſe uſque ad annum 365. exploratum eſt, ut Fauſtinus, & Marcellinus in ſupracitato libello narrant: *Poſt annos octo*, ex quo cum ignominia Roma pulſus eſt, cum Liberius rediit, *Valentiniano, & Valente Coſs.*, anno 365. *decimo Kal. Decemb. defunctus eſt Felix*; quare ex falſis Felicis Papæ actis, quæ in Pontificale quoque Damaſi irrepſerant, eamdem inſcriptionem Felici Papæ concinnatam fuiſſe dubitari non poteſt.

Perſecutio in Oſium excitata.

19. Poſt Liberii exilium, in Oſium Cordubenſem Arianorum machinæ convertuntur. Tanta quippe hujus viri auctoritas erat, ut nil adhuc ſe profeciſſe Ariani crederent, ni talem virum in ſuam perfidiam pertraherent; ſed Athanaſium audire præſtat: *Poſt talia, tamque multa facinora, nihil ſe profeciſſe rati impii, quamdiu magnus Oſius eorum malignitatem expertus non eſſet, ad tam venerabilem ſenem furorem ſuum propagare ſtuduerunt, non patrem Epiſcoporum, non Confeſſorem virum reveriti ſunt, non Epiſcopatus tempus, in quo plus ſexaginta annos exegerat, erubuere*, quare Conſtantium adeuntes: *Nihil nos egimus*, ajebant, *etſi Romanorum Epiſcopum in exilium ablegavimus*, neque hæc nobis juvabunt, quamdiu Oſius illæſus remanſerit; cujus in eccleſia auctoritas tanta eſt, ut omnes fere ejuſdem litteris ſubſcribant; qui ſi poſtquam fidem edidit, Arianoſque ut hæreticos ubique traduxit, ſolus remanſerit, inutile nobis fuerit aliorum exilium, mox enim de medio noſtra deficiet ſententia.

Athan. hiſt. ad monachos tom. 1. pag. 368.

Im-

20. Imperator vero nil cunctatus, Osium ad se accersitum solitis verbis, quibus alios deceperat, hortatus est, ut adversus Athanasium subscriberet, & cum Arianis communicaret. At Osius indignatus, quod ea proferre ausus fuisset; Imperatorem oratione sua ab ea sententia deduxit, atque ita in patriam, & in Ecclesiam suam rediit. Ariani tamen iteratis precibus Constantium fatigantes, eo tandem devenerunt, ut Osium quoque invitum reluctantemque cogerent Arianorum perfidiæ subscribere, *Multis quippe a Constantio missis litteris, ubi modo virum adulabatur, quasi patrem, modo minabatur, exulesque nominabat, ajens: Tu solus etiamnum hæresi infestus permanebis? Obsequere ac scribe contra Athanasium.*

JESU CHR. AN. 355. Constantius Osium ad se venire jubet.

Athan. ut sup. pag. 369.

21. Osius tamen Constantium nil veritus ad eum hæc scripsit: *Ego jampridem confessus sum, cum sub avo tuo Maximiano persecutio grassaretur. Quod si tu quoque me persequeris, etiamnum ad quidvis potius tolerandum paratus sum, quam ut innoxium effundam sanguinem, veritatemque prodam: teque eo modo scribentem, ac interminantem minime adprobo. Desine itaque talia scribere, ac cum Ario ne sentias, nec Orientales audias, neu Ursacio, & Valenti habeas fidem. Nam quæ effutiunt illi, non Athanasii, sed hæresis suæ gratia loquuntur. Crede mihi, Constanti, qui per ætatem avus tuus esse possim, Sardicensi interfui Synodo, quo tempore tu, ac beatæ vir memoriæ frater tuus Constans, nos omnes convocastis*, ibique breviter narrat, quæ Arianorum causa in Sardicensi synodo gesta fuerant, & quomodo Ursacius, & Valens hujus persecutionis incentores, coram Julio Rom. Pontifice calumnias a se ipsis in Athanasium confictas retractaverint; ac tandem Imperatorem serio monet, ne se ecclesiasticis rebus immisceat: *Ne te rebus misceas ecclesiasticis*, subdit; *neu nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum, qui tibi Imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias*: Reddite, *scriptum est*, quæ Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. *Neque nobis igitur terræ imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem. Hæc quod tuam curem salutem scribo: quod vero res spectat, de quibus scripsisti, ecce meam sententiam: Arianis minime adjungor, immo eam hæresim ferio anathemate: nec contra Athanasium scribam, quem nos, & Romana Ecclesia, imo*

Osii epist. ad Constantium apud Athan. biblioth. ut sup.

Imperatori non licet ecclesiasticis negotiis se immiscere.

Matth. 22. 21.

JESU CHR. AN.355. *imo tota synodus insontem declaravit* ; tandem post aliqua, sic epistolam claudit: *Hæc me decet scribere, & te non vilipendere*. At Constantius in perfidia sua perseverans, tandiu Osium tum blandiendo, cum interminando vexavit, ut hunc quoque dejiceret; de quibus inferius suo loco.

Arianorum persecutio in Oriente. *Athan. tom. 1. pag. 361.*

22. Dum hæc in Occidente agerentur, sævior adhuc in Oriente Arianorum persecutio, Athanasio teste, grassabatur. Et ut alia prætereamus, judicibus ubique imperatum est, ut Episcopos aut ad Arianorum communionem amplectendam, & ad subscribendum contra Athanasium cogerent, aut in exilium ejicerent, laicis vero, Nicænæ fidei sectatoribus, vincula, contumeliæ, plagæ, bonorumque direptiones minabantur. Innumeri itaque Episcopi tunc temporis ad Duces, & Præfectos ducti sunt, ut audirent: *Aut subscribite, aut ab Ecclesiis recedite*, quare omnis locus, omnis civitas terrore, ac tumultu replebatur, eoque pacto, ut subdit Athanasius, *Imperator tantum Episcoporum numerum cum minis, tum promissis compulit, ut dicerent, non ultra cum Athanasio communicamus*.

Constantius Athanasium iterum persequitur. *Athan. ut sup. pag. 373.*

23. Post hæc in Athanasium ipsum Constantii Imp. & Arianorum furor exarsit: *Postquam omnia, ut libuit, adversus ecclesias Italiæ, aliarumque regionum peregisset: postquam hos in exilium misisset, illos vi coegisset; ac omnia ubique formidine implesset, furorem denique suum, instar cujusdam morbi, vertit in urbem Alexandriam. Callide autem Christi hostes eam rem aggressi sunt: namque ut multorum Episcoporum subscriptionem ostentare possent, vexatusque Athanasius nullum haberet Episcopum, apud quem conquereretur, omnia ubique terrore impleverunt*. Nam litteras Imperator ad ducem, & ad milites misit, ut inde Athanasium deturbarent, vel etiam occiderent, de quibus iterum anno sequenti.

Magni Antonii obitus. *Athan. vita Antonii tom. 1. pag. 864. Hier. chron. tom. 8.*

24. Eo tempore Antonius monachorum Pater annos quinque supra centum natus vivere desiit. Instante morte, discipulos ad se vocatos, ad pietatem, fidemque catholicam retinendam hortatus, res suas testamento distribuit: *Mea inter vos vestimenta dividite, Athanasioque Episcopo melotem date unam, palliumque quo obvolvebar, quod novum ab ipso cum acceperim, jam detritum apud me est: alteram melotem Serapioni tradite Episcopo: vos habete cilicinum indumentum. Quod reliquum est, salvete, filii: Antonius quippe hinc migrat, nec ultra vobiscum erit*. Quibus dictis exanimatus est, ejusque corpus discipuli

li, ficuti ab eodem justum fuerat, adeo occulte absconderunt, ut teste Athanasio, duobus exceptis qui sepelierant, tanti viri sepulchrum ceteri ignorarint. Qui vero accepere beati Antonii utramque melotem, & detritum pallium, quasi res magni pretii illa custodierunt. *Atque in illis Antonium conspiciunt, iis quoque amicti, se Antonii monita cum gaudio gestare videntur*. Cur vero sepulcrum suum latere voluerit Antonius, Isacco, & Pelusiano monachis jubens, ut corpus suum absconderent, hanc rationem reddit Hieronymus, ne Pergamus, qui in illis locis ditissimus erat, ad villam suam delato, *martyrium fabricaret*. Antonii obitum Hilarion absens vidit, ut ibidem Hieronymus narrat; qui & in libro de viris illustribus, Antonio etiam locum dedit, ob epistolas ab eo scriptas; hæcque litteris de ipso tradidit: *Antonius monachus, cujus vitam Athanasius Alex. urbis Episcopus insigni volumine prosequutus est, misit Ægyptiace ad diversa monasteria Apostolici sensus, sermonisque epistolas septem; quæ in Græcam linguam translatæ sunt, quarum præcipua est ad Arsenoitas; floruit sub Constantino, & filiis ejus regnantibus, vixit annos centum quinque*. Epistolarum Antonii ad Arsenoitas hæc sunt argumenta. In prima de divina vocatione agit; secunda de vitandis Dæmonum insidiis; tertia de Christi beneficiis humano generi collatis; quarta de duobus Christi Præcursoribus, Moise scilicet, & Joanne Baptista; quinta de Angelorum gaudio, & luctu propter nos; sexta de Christi adventu; ultimam vero de cognitione sui ipsius, & de vitanda Ariana hæresi inscripsit. His addi potest alia epistola ad Balacium ducem data, cujus Athanasius meminit; cetera vero scripta, quæ ejus nomine circumferuntur, aut apocryphis, aut dubiis accensenda, cujusmodi sunt, sermones de vanitate Mundi, & de resurrectione mortuorum.

Cur Antonius sepulcrum suum latere curaverit.

Hier. vita Hilar.

Hier. de Vir. illust. cap. 99.

Coteleri monum. Eccles. Græcæ tom. 3.

Dupin. sæcul. 4. t. 1. p. 302.

25. Dum Constantius omni injuriarum genere Episcopos afficeret, Ecclesiamque vexaret, immunitatem Episcopis concessit, lege sua ad Severum data prohibens, ne apud sæculares judices accusarentur. *Si quid est*, inquit, *querelarum, quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari, ut opportuna, atque commoda cunctorum quæstionibus audientia commendetur: data IX. Kalen. Octob. Arbetione, & Lolliano Coss.* Constantii legem alii sæpe Imperatores confirmarunt. De Valentiniano seniore hæc ad juniorem scribebat Ambrosius:

Constantius Episcopos apud seculares judices in judicio vocari vetat.

Cod. Theodos. leg. 12. de Epis.

Jesu Chr. an. 355. Ambros. Epist. 33.

Augustæ memoriæ Pater tuus, non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in caussis fidei, vel ecclesiastici ordinis alicujus eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hæc enim verba rescripti sunt; hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere. Eamdem immunitatem a Laicali foro Ecclesiæ ministris concesserunt Arcadius, & Honorius, aliique Imperatores, de quibus suo loco. 1

Silvani rebellio ejusque interitus. Marcell. l. 15. 5.

26. Hoc anno Silvanus quidam adversus Constantium in Galliis rebellavit, ac Imperator ab exercitu salutatus est, cujus tamen Imperium momentaneum fuit; periit enim die 28. Imperii sui, ab Urficino dolo interemtus, uti pluribus narrat Marcellinus.

Julianus Cæsar creatur. Marcell. l. 15. 8.

27. Ne quis tamen iterum vel in Galliis, vel alibi in Occidente novi quid moliretur, Julianum patruelem Cæsarem Constantius dixit, cujus inaugurationi etsi resisterent aulicorum plurimi, infelicem Galli Cæsaris exitum commemorantes, vicit tamen Eusebiæ Constantii uxoris consilium; quare Mediolanum accersitus Julianus, die octavo iduum Novembrium, ut cum fastis Idacianis tradit Marcellinus, Cæsarea dignitate est exornatus, cum annum ageret 24. *Helenam* deinde *Constantii sororem accepit*, ait Marcellinus, *paratisque universis, quæ maturitas proficiscendi poscebat, comitatu parvo suscepto, Kal. Decembris egressus est, deductusque ab Augusto ad locum usque duabus columnis insignem, qui Lumelum interjacet, & Ticinum, itineribus rectis Taurinos pervenit; deinde in Gallias transiens, Gallorum animos facile sibi devinxit.* Sed de Juliani gestis hactenus, cetera suis locis adnotabimus.

JESU CHRISTI an. 356. Liberii Papæ 4.
Constantii Imp. 20.
Coss. Contantio Aug. VIII. et Juliano Cæs.
Olymp. 283. an. 4. An. Urbis 1109.

Antiochena synodus Athanasium deponit; Georgium eidem substituit. Sozom. l. 4. 8.

1. Cum Orientalium Episcoporum pars maxima, vel sponte, aut minis, terroribusque coacta in Athanasii damnationem subscripsisset, ejusque communioni renunciasset; Arianorum votis explendis restabat adhuc, ut sua Sede tandem Athanasius ejiceretur, eidemque suarum partium quispiam substitueretur; qua-

quare Antiochiæ hoc anno convenientes Narcissus Cilix, Theodorus ex Thracia, Eugenius Nicænus, Patrophilus Schithopolites, Menophantus Ephesius, & alii circiter triginta, ad omnes ubique locorum Episcopos litteras dederunt, quibus Athanasium contra Ecclesiæ canones Alexandriam rediisse conquesti, nunciant se eum deposuisse, ejusque in locum Georgium ordinasse; huic igitur deinceps communicatorias litteras mitterent, non Athanasio. Ut autem impie constituta perficerent, a Constantio Syrianum ducem obtinuerunt, qui militari manu Alexandriam adventans, Athanasium e sua sede dejecit, in eaque Georgium collocavit.

JESU CHR. AN. 356. *Athan. tom. I. p. 310. & 312.*

2. Cum igitur Sirianus Athanasium urgeret, ut Alexandria excederet, is vero reponeret, num ea de re ab Imperatore epistolas haberet: *ac se non habere dixisset, rogavi*, inquit Athanasius, *ut vel ipse Syrianus, vel Maximus Præfectus Ægypti hoc mihi jussum scripto traderent*. Nam cum Imperatoris jussu Alexandriam rediisset, inde nonnisi eodem Imperatore mandante recedere, suum putabat Præsul sanctissimus; ut in sua ad Constantium apologia narrat. Hoc ipsum a Syriano clerus, populusque Alex. postulabat. *Hoc autem impense rogabant, ut vel scriberentur, mitterenturque ad me litteræ, vel non amplius illi ecclesias conturbarent, donec ipsi populi hac de re legatos ad te misissent*. Cum autem vehementer ea de causa clerus, populusque Alex. Syrianum urgeret, eorum votis annuere simulans promisit, se rem ad Imperatorem Constantium delaturum. At elapsis diebus viginti tribus, cum securus Athanasius una cum plebe sinaxes ageret, fracta repente fide, in Ecclesiam irrumpens, & populum multis modis vexavit, ac Athanasium fuga sibi salutem quærere coegit, ut in eadem Apologia narrat Athanasius.

Alexandrinorum in Athanasium studium. *Athan. tom. I. p. 310. & 374.*

3. Quæ vero quantave mala ob suam sanctissimo Præsuli adhæsionem pertulerint Alexandrini, in contestatione tunc edita videre est, in qua rem ita exponunt. Illucescente quinto Idus Februarii die, idest decimo quarto mensis Mechir, cum in Ecclesia vigilias catholici agerent, orationique vacarent ob sinaxim die Parasceves futuram, repente in Ecclesiam irrupit Syrianus cum militari manu, foribusque confractis, in Ecclesiam ingressi milites, ducis jussu, alii sagittas emisere, alii fustibus cædere cœperunt; ita ut virgines occisæ fuerint, ac nonnulli, irrumpentibus militibus, corruentes conculcati, aut fugit-

Strages, & facinora per Syrianum in Ecclesia patrata.

JESU CHR. AN. 356.

gittis confossi. Ad prædam deinde conversi milites, virgines etiam nudarunt, quod iisdem ipsa morte acerbior erat. Athanasius interea suo throno insidens, militum furore raptatus, tantum non discerptus est; ac vix se illorum manibus præripuit, quem interficere tentarunt. Neque hic constitit eorum rabies: nam post hæc quivis arbitratu suo, quam posset januam confringebat, ut aperiret, ac quæ intus erant perscrutaretur, atque diriperet; usque ad ea loca penetrantes, quo ne Christianis quidem omnibus ingredi licet. Quare si hæc inscio vel invito Imperatore Constantio tentata sunt, rogamus, inquiunt Alexandrini, ut *hæc nostra supplicatio offeratur illi: ne scilicet alium Episcopum huc intrudere conentur: ad necem enim usque obstitimus ob desiderium reverendissimi Athanasii, quem ab initio nobis Deus dedit secundum successionem Patrum nostrorum: quem ipse piissimus Constantius cum litteris, & juramentis huc transmisit &c.*

Contumeliosæ & minaces Constantii in Athanasium epistolæ.

4. Justi Alexandrinorum clamores ad Imperatoris aures; ab Arianis obsessas, vel non pervenerunt, vel eorumdem opera vani & irriti facti sunt. Nam in sua ad Alexandrinos Epistola, ab Arianis dubio procul confecta, de Athanasio gravissime conqueritur Imperator, quæ in eum acta fuerant, comprobat, ac extrema quæque illi, ejusque fautoribus interminatur. *Decretum nostrum*, inquit Alexandrinos alloquens, *libenter excepistis, & ab deceptore quidem illo, & impostore jure aversi*, ab Athanasio scilicet, *iis qui supra miraculum venerabiles, & ornati erant*, idest Arianis, *ut decuit adhæsistis*. Sed generosus ad contumelias in Athanasium rediens: *Præerat autem vir*, inquit, *e turba, quid verius dicere possim, qui nihil a sellulariis differebat*. Deinde: *Sed generosus & preclarus ille vir*, (Athanasius), *judicium de se ferendum non expectavit, sed in hac causa fuga sibi consulendum existimavit; quem e medio tolli e re barbarorum ipsorum est, ne quibusdam eorum impietatem suadeat*. Alexandrinos tandem posthæc hortatur, ut dimisso Athanasio, Georgium, virum, uti vocat, in rebus divinis præstantissimum, audiant, eique pareant: *Et utinam*, inquit, *omnes simul, qui in ista urbe degunt, ab ejus voce tanquam a sacra anchora pendeant*. Tum ad convicia in Athanasium rediens, & gravissimas amicis ejus minas intentans ita prosequitur: *A studio erga Athanasium absistant, nec recordentur superfluæ illius garrulitatis*,

Athan. tom. I. pag. 315.

tatis, aut sero animadvertent se in extremis versari periculis, ex quibus nescimus, an quis ex gravissimis viris seditiosos eripiet. Absurdum quippe est perditissimum Athanasium in turpissimis sceleribus deprehensum, a regione in regionem expelli, ut aliquando debitum supplicium luat: si tamen id præstari possit, etiamsi quis illum decies occidat; assentatores autem ejus, & ministros, præstigiatores, talesque homines, ut eos vel nominare turpe sit, exultantes negligere, quos occidi jamdiu judicibus præceptum est. Et fortasse morituri non sunt, si a prioribus delictis sero tandem resipiscant. Quibus sceleratissimus Athanasius se ducem præbuit, nam & rem publicam labefactavit, ac sanctissimis viris impias, & nefarias manus intulit. JESU CHR. AN. 356.

5. Neque hic stetit Constantii adversus Athanasium furor; sed eum apud exteras quoque gentes ultra Romanum Imperium sitas exagitare non dubitavit; sciens enim Auxumitanæ Ecclesiæ Frumentium quemdam Episcopum præesse ab Athanasio ordinatum, eique communione junctum, data ad Æzanam, & Sazanam Auxumitarum tyrannos, seu regulos epistola, jubet ut Frumentum Alexandriam mittant, ad ineundam cum Georgio societatem, & communionem; quod si Frumentius Alexandriam petere, ac cum Georgio communicare recusaverit: *Palam*, inquit, *certe erit ipsum scelestissimi Athanasii sermonibus seductum, impie de Deo sentire, ita nempe affectum, ut ille affectus declaratus est, scelestus cum sit*. Illud etiam insinuat, vereri se, ne illuc profectus Athanasius eos a fide abstractos veneno sui erroris inficiat, ac innumera mala, etiam temporalia, in gentem adducat. Constantii epist. ad Æzanam. Athan. Apol ad Const. pag. 351. tom. I

6. *His auditis, & propemodum perspectis, fateor me in eremum retulisse pedem*, ait Athanasius, *satis quippe fuit, ut me occultarem*; subdit post plurima: *& hanc temporis opportunitatem expectarem*, Paschale scilicet hujus anni tempus, quo suam ad Constantium apologiam misit. Utrum autem ea ad Imperatoris manus pervenerit, an ab Arianis intercepta latuerit, ignoratur. Id certum est, in irritum hæc Athanasio cessisse; nam in sua perfidia usque ad vitæ exitum Constantius perseveravit, ut ex dicendis constabit. Præter hanc autem ad Constantium missam apologiam, qua impacta crimina repellebat, ac sole clarius innocentiam suam tuebatur Athanasius, non multo post, alteram de fuga sua inscriptam adversus Athanasius in eremum secedit, Apologiam ad Constantium scribit. Athan. tom. I. pag. 316. 317. Monitum in d. Apol. p. 294 Ibid. p. 319.

JESU CHR. AN. 356. sus Arianos vulgavit, qua non solum cur fuga sibi consuluerit rationem reddit, sed id Christiano, & Episcopo licere, aperte probat: *Audio Leontium jam Antiochiæ Episcopum, Narcissum Nerodiadis, & Georgium nunc Laodiceæ Episcopum, ceterosque Arianos multa adversum me spargere, meque probris insectari, ac timiditatis accusare, quod cum ab ipsis de medio tollendus perquirerer, non deditium me illis obtulerim.* Hæc vero Prophetarum, & Apostolorum, immo Jesu Christi exemplo refellit, qui non semel ad necem quæsitus, persecutorum manus evasit, Apostolisque præcepit, ut de una in aliam *Matth. 10. 23.* civitatem fugiendo persecutores declinarent. Quo tandem pacto occupata a Syriano Ecclesia, non sine miraculo liber evaserit, pluribus narrat, ut ibidem videre est.

Quo loco Athanasius latuerit. *Pallad. hist. lauf. cap. 135. Sozom. l. 5. 6.*

7. Ubinam Athanasius, eo sexennio, idest usque ad Constantii obitum delituerit, non constat. Palladius apud virginem quamdam Alexandriæ latuisse tradit, quæ sanctissimo viro famulatum præbens, victum ceteraque ad vitam necessaria sola per se præstabat; idque ab eadem, dum septuagesimum annum ageret, se accepisse testatur. At hæc Palladii historia ingenti *Athan. vita tom. 1. pag. 65.* suspicione laborat, inquit auctor vitæ Athanasii, quia multa continet, quæ Athanasii, aliorumque testimoniis repugnant: hinc etsi Palladio, & Sozomeno concedi possit, aliquando apud eam Virginem Ahtanasium Alexandriæ latuisse; falsum tamen est, toto sexennio ibidem perseverasse, cum Athanasius ipse pluribus in locis testetur, se in eremum secessisse. Nazianzenus etiam de Athanasii recessu agens: *Ad sacra illa, & divina Ægypti monasteria se confert; in quibus homines a Mundo se distrahentes, ac solitudinem amplectentes Deo vivunt, magis quam ceteri omnes, qui in corpore versantur*: Ad monachorum itaque solitudines aufugisse Athanasium verosimile admodum est, in quibus cum versaretur, ne pastorali officio deesset, per epistolas populum suum docere non destitit, uti suo loco videbimus.

Athan. Apol. ad Const. p. 316 318.

Constantius Alexandrinos adversus Athanasium concitat. *Athan. p. 374. hist. ad Mon.*

8. Pastore interea fugato, in Christi gregem graviori vulnere sævitum est: *Nam post illa Syriani gesta, post tanta admissa facinora*, subdit Athanasius, *post illatas virginibus contumelias, cum ejusmodi scelera ille probaret, litteras rursus mittit ad Senatum, & Populum Alexandrinum, juvenes sollicitans, ut vel una coacti Athanasium persequerentur, vel notum ha-*

haberent ipsos sibi inimicos fore. Sed hæc frustra loquebatur Imperator; nam Athanasius, quæ futura erant prospiciens, jam discesserat. *Harum autem litterarum tabellarius fuit Heraclius quidam dignitate Comes, qui præcursor fuit Georgii cujusdam, quem Imperator Catascopum, idest exploratorem mittebat; quod enim Episcopus is fuerit, qui ab illo mittitur, absit ut res gestæ, & ipsa ingressus ejus præludia comprobent*; de quibus infra hoc anno. *Litteras itaque*, Heraclius, *promulgavit*, *quæ ingentem scribentis turpitudinem præferrent*: ajebat enim Constantium non sponte, sed ob fratris amicitiam Athanasio licentiam dedisse, ut Alexandriam rediret, quod falsum fuisse pluribus ibidem Athanasius probat.

9. Vulgatis itaque Constantii litteris contendit Heraclius, quotquot erant in urbe, non Christianos tantum, sed ipsos quoque gentiles, in Athanasii damnationem debere subscribere: quod ni faciant, extremam frumentorum inopiam, idolorum subversionem, Magistratibus ipsis captivitatem acerbe comminatur; palam altaque voce, ac si tuba caneret, ubique locorum hæc verba iterans: *Athanasium Imperator repudiat*, *Ecclesiasque Arianis tradi jubet*. His terroribus ethnicos quosque in suam pertrahere sententiam, facile illi fuit; Christianos non item, quorum maxima pars, nonnullis exceptis agricolis, Athanasii partes tueri non destiterunt. Altero autem die idem Heraclius, assumptis secum Catacornio Ægypti Præfecto, Faustino Catholico, & Bithinio hæretico, ac collecta juniorum forensium, idolorumque cultorum manu, ad Ecclesiam pergit, jactans se hoc in mandatis a Principe habere, ut congregatum in ea populum dispergeret, lapidibusque vexaret. Quum itaque jam e populo plurimi post dimissionem egressi essent, remanentibus paucis mulieribus, uti præceptum fuerat, gesta res est. *Eratque*, inquit Athanasius, *miserabile spectaculum*. Nam quum peracta oratione, jamjam sedissent, de repente scelerati juvenes impetum in virgines fecerunt, earum corpora lapidibus, & fustibus armati conciderunt, capita detractis velaminibus nudarunt, ex adversoque trahentes pedibus etiam conculcaverunt, suggerentibus interim, & plaudentibus Arianis, ut ibidem Athanasius adnotat. Tum ad Ecclesiæ direptionem conversi, *subsellia*, *thronum*, *mensam*, *nam lignea erat*, *vela Ecclesiæ ac cetera*, *quæ potuere direpta*, *& asportata*, *ante ostium in magna platea combusserunt*, *thusque injecerunt in ignem*; idola

Heraclii in Athanasium, & fidelem populum furor. *Athan. tom. I p. 373.*

JESU CHR. AN. 356.

idola sua laudibus celebrantes, sacrificia iis etiam offerre tentantes.

Juvenes duo Ethnici violatæ Ecclesiæ pœnas luunt.

10. Dum hæc autem fierent, violatores ecclesiæ, Deo vindice, pœnas dederunt; uam cum quidam ex petulantioribus irruens ausus esset in throno sedere, sedensque meretricium quoddam naribus personaret, cum surrexisset, thronum convellere ad seque trahere visus est. Quemadmodum enim Azotii quondam Arcam tangere ausi, ab illa continuo anorum cruciatibus confecti perimebantur; ita & ille miser thronum avellere ausus, in suam traxit perniciem, etenim effusa sunt viscera ejus, collapsusque asportatus est, & post unam diem interiit. Alter vero qui talos gestabat, utpote Ethnicus, eosque manu agitans, cachinnosque profundebat, derepente tenebris offusus, nihil videbat, nec ultra sciebat, ubi terrarum esset: qui jamjam collapsurus, a comitibusque suis manu adductus ac sustentatus exivit; vixque postridie mentis compos effectus est.

Arianorum facinora, Eutychii subdiaconi martyrium. *Athan. p. 389.*

11. His territi vehementer Gentiles tandem quievere, at Ariani his pejores, Catholicos vexare non destiterunt, ut Athanasius subdit. *Quam non diripuere domum, quas ædes pervestigandi causa non devastarunt, quem hortum non conculcarunt, quod sepulchrum non aperuere, specie quidem Athanasii perquirendi, cum nihil tamen curarent, quam diripere, & obvios spoliare*: deinde post aliqua, nacti etiam malitiæ suæ ministros ducem Sebastianum Manichæum, petulantemque juvenem, præfectum, ac Comitem iis etiam nequiorem, multas virgines injuria affecerunt. Eutychium vero subdiaconum, raptum, ubi taurinis loris ad necem ferme cædi curassent, ad metalla miserunt non quælibet, sed ad ea quæ Phæno appellantur, ubi homicida condemnatus, vix paucis diebus vivere queat. *Et quod prorsus stupendum est, ne paucis quidem horis ejus curari vulnera concessere*, sed continuo ad iter agendum coegerunt. Quo factum est, ut non multum progressus ex vulnerum dolore in via interierit, martyrii gloriam adeptus. Cumque *supplices populi pro Eutychio deprecarentur*, ægre ferentes Ariani, quemquam reperiri qui sua facta improbaret, quatuor probos liberosque viros, ac inter eos Hermam quemdam, gravibus plagis affectos, in carcerem conjecerunt, unde postea vix salvos Catholici eduxere, uti pluribus narrat Athanasius, qui de iisdem etiam plura addit in historia Ariano-

rum

rum ad Monachos, in epistola ad Episcopos Ægypti, & Lybiæ, atque in Apologia de fuga sua, quæ consulto omittimus, ne longiores simus. Jesu Chr. An. 356.

12. Alexandriæ hactenus ab Arianis gesta, etsi immania videantur, nonnisi tamen præludia fuere vastitatis, quam Georgius in Athanasii locum ordinatus allaturus erat; nam Alexandriam armata manu ingressus, ac militum præsidio stipatus susdeque omnia divina & humana commiscuit, vir non solum Episcopatu indignus, sed & Christiano nomine, quem hisce coloribus Athanasius describit: *Hinc etiam*, inquit, *quemdam Georgium ex Cappadocia mercede conductum, ad vos nunc volunt mittere, sed nullo hujus ratio haberi debet; siquidem fama est in hisce regionibus, illum ne Christianum quidem esse, sed potius Idololatriæ addictum, barbarisque esse moribus, & carnificis propriis, quæ sane causa fuit, cur hunce hominem sibi acciverint, ut scilicet injuste agere, rapere, occidere possit. Hic primum*, Athanasio teste, *penuariarum Constantinopoli exceptor*, seu, ut narrat Nazianzenus, suillarum carnium distributor, infideliter munere suo functus, repetundarum reus, ut supplicium vitaret, in varias regiones peregrinatus erat; ad communem Ecclesiæ perniciem, instar cujusdam Ægyptiacæ plagæ, Alexandrinam invasit Ecclesiam, cujus scelera in Episcopatu patrata adeo vulgata fuere, ut de eo Marcellinus Ethnicus scriptor adnotaverit: *Georgius in Fullonio natus, ut ferebatur, apud Epiphaniam in Cilicia oppido, auctusque in damna complurium contra utilitatem suam, reique communis, Episcopus Alexandriæ est ordinatus, apud patulas Constantii aures*.

Georgius Alexandriam pergit; quis esset.

Athan. Epist. ad Episcopos Ægypti, & Libiæ p. 277.

Ammia. Mar. lib. 22. cap. 11

13. Alexandriam porro Quadragesimæ tempore ingressus, Paschatis festo vix peracto, virgines in carcerem conjicere, orphanorum, viduarumque domos latronum more diripere cœpit, tum atrociora auspicatus facinora, post Pentecosten, cum populus expleto jejunio, orandi causa ad cœmeterium egressus esset, quod omnes ab ejus communione abhorrerent, Sebastianum Ducem Manichæum hominem concitavit, ut cum turma militum ipsa dominica die in populum irrumperet. Paucisque illic in oratione repertis, plurimi namque adveniente hora recesserant, talia commisit, qualia virum decebat Arianis obtemperantem. Nam accenso rogo virgines igni admotas adigebat, ut dicerent se Arianicæ fidei esse; ut autem eas vim superare, ignemque nihil curare animadvertit, nudatas iterum ita in faciem

Arianorum facinora in Georgii intrusione.

Athan. Apol. de fuga p. 323.

JESU CHR. AN. 356. ciem cædit, ut per aliquantulum temporis vix dignosci possent. Viros autem quadraginta comprehensos, virgis palmarum, quibus etiam aculei hærebant, adeo crudeliter verberavit, ut plurimi ad se curandos medicorum opera eguerint, immo quidam vim plagarum non ferentes extincti sint, alios vero in magnam Oasim relegavit, ut narrat Athanasius.

Athanasii ep. ad Clerum, & Populum Alexandrinum. *Athan. tom. I. p. 2. pag. 968.*

14. In tanta Alex. Ecclesiæ perturbatione, ut clerum populumque Nicænæ fidei sectatorem, sibique communione conjunctum consolaretur Athanasius, epistolam ad eos dedit, qua hortatus est, ut patienter ferrent, ac in Deo spem reponerent; cumque de ereptis sibi ecclesiis maxime dolerent, ad leniendum dolorem, hæc inter cetera habet: *Deus quidem vos consoletur, novi autem quia non hoc solum vos contristat; sed contristat & illud, quia Ecclesias quidem alii per violentiam tenuerunt, vos autem interim foris estis a locis; illi enim loca, vos vero habetis Apostolicam fidem. Illi in locis existentes, a vera fide sunt foris, vos vero a locis quidem foris estis, fides vero intus. Discutiamus, quid sit majus, locus, an fides, claret utique, quia vera fides. Quis ergo amplius perdidit, vel quis amplius habet, qui locum tenet, an qui fidem? Bonus quidem locus est, quando illic Apostolica fides prædicatur, sanctus est, si ibi habitat sanctus*; eosdem exemplo Israelitici populi confirmat, qui neque in eremo, neque Babylone Templum habebat. *Quid ergo eos*, ideſt Arianos, *juvat locus, ecce enim locum habentes accusantur a diligentibus Deum, quia eum fecerunt speluncam latronum, & domum negotiationis, & domum velut sanctum locum fecerunt*. Hactenus Athanasii epistola ad Alexandrinos. Huc etiam spectat fragmentum alterius epistolæ consolatoriæ a Theodoreto historiæ suæ insertum, quo plebis suæ dolorem minuit, ex eo præsertim conceptum, quod ab Arianis prohiberentur, ne sepulturæ traderentur Fidelium cadavera:

Theod. l. 2. 14. *Ob hæc*, inquit, *nullus vestrum dolore crucietur, eo quod impii sepulturam vobis invideant, & efferri ad tumulum prohibeant; sedent autem circa sepulcra* (Ariani) *veluti dæmones, ne quis mortuorum eo inferatur*.

Arianorum persecutio in Ægypto, & Lybia. *Athan. Apol. ad Const. p. 312*

15. Eadem persecutionis flamma, quæ Alexandrinos vexavit, Ægyptum quoque, & Lybiam, quin & totum Orbem pervagata est. De gestis in Ægypto, & Lybia hæc adnotat idem Athanasius: *Hinc nobis stupentibus, ac ea de causa hæsitantibus, altera ecce fama perlabitur, eos*

sci-

scilicet, qui in Ægypto, & Lybia essent, Episcopos nonaginta prope persecutionem passos, Ecclesias Arii sequacibus traditas, in exilium pulsos sexdecim Episcopos, alios vel sponte aufugisse, vel ad simulandum adactos esse. Eodemque tempore Sebastianus Dux litteras ad omnes ubique locorum Præpositos, atque Præfectos misit, ut Catholicos Episcopos suis sedibus deturbarent, Ecclesiasque Arianis traderent. Hinc Episcoporum plurimi, iique aut doctrina, aut pietate celeberrimi, Ammonius scilicet, Hermes, Anagamphus, & Marcus in superiorem Oasim relegati sunt, alii in alia deserta loca, ut cibi potusque penuria interirent, uti re ipsa contigit; nam eorum unus in via extinctus est. Eademque de causa Dracontium Episcopum ad solitudinem circa Clysma relegarunt. Philonem, Babylonem, Adelphium in Psinabla Thebaidis, aliosque plurimos Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, tum etiam virginum, & laicorum, hac una tantum ratione, quod Catholicam Fidem tuerentur, ac Georgii communionem aversareutur, variis gravissimisque pœnis afflictos fuisse narrat Athanasius, & cum eo Socrates, Sozomenus, Theodoretus, quæ prosequi voluminis magnitudo prohibet. Id tantum addimus, hoc anno, cum jam per Ægyptum, & Lybiam Arianorum persecutio incalesceret, ad Episcopos illis in locis constitutos Athanasium epistolam dedisse, qua eosdem vehementer rogat, obtestaturque, ut Arianorum conatibus, & fraudibus, qua poterant animi firmitate resisterent, eosdemque monet, Arianorum aliquot una simul convenisse, ut novam Fidei formulam ad debiles dejiciendos simplicesque fallendos ederent, quam per Ægyptum, & Lybiam mittere destinaverant, ut ab omnibus subscriberetur; quapropter ad invictam animi fortitudinem, & ad pugnam pro veritate, & Nicæna Fide viriliter ineundam eos iterum, iterumque hortatur.

Socrat. l.2.28.
Sozom. l.4. 9. 10
Theod. l.3. 13. 14.

Macedonii persecutio in Catholicos.
Socrat. l.2.14

16. Quam Alexandriæ, & per Ægypti provincias tyrannidem agebat Georgius, eamdem Constantinopoli, & in finitimis provinciis Macedonius exercebat: *Macedonius vicinas Constantinopoli civitates, ac provincias subvertit, ministros sceleris sui, quod contra Ecclesiam designaverat, ad Sacerdotia promovens .... cunctos, qui cum ipso sentire nollent, innumeris malis affecit. Nec solum Catholicos, sed & Novatianos, gnarus eos quoque fidem, ac doctrinam Consubstantialis amplecti*. Perfidiæ tamen suæ non multo post pœnas dedit;

Xx 2 nam

Jesu Chr. An. 356. Macedonius Constantini Imp. corpus transfert. Socrat. l. 2. 38

nam seditioni cædibusque occasione per imprudentiam suam data, Imperatoris indignationem incurrit. Cum ædes, in qua erat arca, quæ Imperatoris Constantini ossa continebat, ruinam minari videretur, Macedonius ea transferre voluit, ne ruina violarentur. Plebs vero in duas partes divisa cum esset, ejuscemodi translationi repugnabat, injuriam Constantini reliquiis inferri autumans, si loco suo moverentur; at Macedonius eos parvipendens Imperatoris cadaver in Ecclesiam, in qua conditum est corpus Acacii Martyris, transtulit. Facto autem ad Ecclesiam plebis concursu, cum utraque factio adversus alteram stetisset, tanto furore pugnatum est, tantaque hominum cædes facta, ut Ecclesiæ illius atrium sanguine compleretur. Ob eamque causam Constantius adversus Macedonium excanduit, tum propter eos, qui occubuerant, tum eo quod Macedonius, non expectato ipsius consensu, cadaver Patris sui loco movere ausus fuisset; quare *Macedonius depositus est*, ait Socrates; sed de ejus depositione infra.

Reliquiæ Timothei, Lucæ, & Andreæ CP. translatæ.

17. Felicior translatio fuit Reliquiarum s. Timothei Constantinopolim, *Constantio VIII., & Juliano Cæs. introierunt Constantinopolim reliquiæ S. Timothei Apostoli die Kal. Junii*, ait Idacius. De die dissentit Alexandrinum Chronicum: *mense Panemo die quarta Julii S. Timothei discipuli quondam B. Pauli Apostoli, qui primum Ephesi in Asia fuit creatus Episcopus, reliquiæ Constantinopolim cum summa veneratione delatæ sunt, & in Æde Sanctorum Apostolorum sub ipso sacro altari repositæ*. Hieronymus vero hæc commemorans, ait: *Sacrilegus fuit Constantius Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur*. Ejusdem Translationis meminit & Paulinus Nolanus, qui eam Constantino Magno tribuit his versibus:

Hier. contra Vigilantium t. 1. p. 391. edit. Veron.

Nam Constantinus proprii cum conderet Urbem
Nominis . . .
Ut sua Apostolicis muniret mœnia lætus
Corporibus, tunc Andream devexit Achivis,
Timotheumque Asia:

Murat. t. 1. Anecdot. Procop. de ædif. Justinian. l. 1.

Quidquid sit de hac Scriptorum dissensione in assignando hujus translationis tempore, certum est, prædictam SS. Apostolorum Ec-

Ecclesiam memoratas Reliquias continuasse; nam cum eam antiquitate labentem, Justinianus Imperator instaurari jussisset, dum operarii terram effoderent tres arcas ligneas invenerunt, cum inscriptione, quæ trium Apostolorum corpora Andreæ, Lucæ, Timothei ibidem recondita esse indicabat, quæ summa cum veneratione eodem loco reposita fuerunt. JESU CHR. AN. 356.

18. Paulino Trevirensi Episcopo in exilium pulso, Hilarius Pictaviensis Catholicæ Fidei vindex fortissimus in Galliis supererat, quem hoc anno a Byterrensi Synodo Sede sua ejectum, in Orientem exulare Ariani coegerunt, quæ antequam persequamur, de Hilarii gestis ad hæc usque tempora nonnulla sunt prænotanda. Hic igitur in Galliis nobili genere natus anno circiter 300., liberalibus disciplinis, & Philosophiæ studio adeo excelluit, ut & disertissimus, & eloquentiæ Rhodanus a Hieronymo dictus sit, Cypriano, ac Lactantio comparandus, atque de ipso Commentario in Isajam, ad ea verba *gloria Libani ad te veniet*, hæc litteris prodiderit: *Vir sanctus, & eloquentissimus Martyr Cyprianus, & nostri temporis Confessor Hilarius, nonne tibi videntur excelsæ quondam in sæculo arbores ædificasse Ecclesiam Dei*. Augustinus etiam Ægyptiorum spoliis ditissimum, idest, sæcularibus disciplinis instructissimum ad Ecclesiam transiisse, ait, cum scilicet laicus & matrimonio junctus, ad Episcopatum vocatus est: *Nonne respicimus*, inquit, *quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus, & Martyr beatissimus; quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam?* Et de Hilario singillatim alibi: *Quis*, inquit, *ignorat Hilarium Episcopum Gallum?* Adulta vero ætate Baptismum suscepisse, ac paulo ante Episcopatum, ipse de se testatur his verbis: *Regeneratus pridem, & in Episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam nunquam, nisi exulaturus audivi*. Quo anno autem ordinatus fuerit Episcopus, in obscuro est; sed aliquot ab hinc annis Pictaviensi Ecclesiæ præfuisse, ex eo scimus, quod aliquantisper eidem Ecclesiæ insederit, antequam hoc anno exulare cogeretur. Matrimonio etiam junctus erat Hilarius, *cum concordante favore Populi*, ut ait Fortunatus, *sacris Altaribus Sacerdos electus est*, idest Episcopus ordinatus; quin filiam nomine Abrham genuerat, ad quam in exilio detentus epistolam dedit, ac in virginitatis proposito confirmavit. Post ordinationem vero in continentia perseve-

De Hilarii Pictaviens. Epis. vitæ initiis. Hier. pref. l. 2. com. ad Galat. Hilar. vita p. 142. edit. Veron. Hilar. vita p. 91. Hier. præf. l. 2 com. ad Galat. & epist. 141. Hier. in Isajam. August. l. 2. de Doctr. Christ. c. 40. Lib. 1. contra Julian. c. 3. Hilar. lib. de Synod. n. 19. Hilarius, matrimonio junctus, Epis. ordinatur.

JESU CHR. AN. 356. severasse, non est dubitandum, cum teste Hieronymo Episcopus esse non posset, quisquis procreandis filiis operam daret; alioquin *si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur*: eademque docent Siricius Papa, Innocentius, Ambrosius, aliique.

Siric. ad Himer. c. 7. Innoc. ad Victric. c. 10. Ambros. lib. 1. c. 50., & epist. 63. ad Vercel. n. 62.

Hilarius ab Arianis in Byterrensi synodo damnatus, in exilium ejicitur.

19. Interea Hilarius Episcopus, cum ab Arianis omnia turbari, fidemque periclitari cerneret, ab eorum se societate sejunxit, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Id ut præstaret, magnam sibi vim debuit inferre, nam ut ipse declarat, *otio domestico frui, commodis omnibus redundare, familiaritate regia gloriari, & esse falso Episcopi nomine singulis, universisque, & publice, & privatim in ecclesiæ nominatu gravem effici, par ut ceteris potestas dabatur, si modo veritatem Evangelicam falsitate corrumperem, conscientiæ reatum blandimento ignorantiæ consolarer, judicii corruptelam excusatione alieni arbitrii defenderem, hæreseos piaculo non fide mea, quæ utique esset obnoxia, sed simplicitate ignorantium non tenerer, probitatem sub difficultate publicæ mentirer*; idest in pace relictus fuisset, dummodo cum Arianis sociari voluisset. At ut subdit, id *manens Christi charitas non tulit*, ut scilicet fidem aut proderet, aut simularet, quare a communione Saturnini Arelatensis Episcopi, viri in Galliis Arianæ factionis potentissimi, se sejunxit: *Ego*, inquit, *gravissimum fidei periculum longe antea prævidens, post sanctorum virorum exilia, Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, a Saturnini, Ursacii, & Valentis communione me cum Gallicanis Episcopis separavi, indulta ceteris consortibus eorum resipiscendi facultate, ut nec pacis abesset voluntas, & principalium morborum fœtida, & in corruptionem totius corporis membra pestilentia desecarentur; si tamen hoc ipsum beatissimis Confessoribus Christi editum decretum tum a nobis manere placuisset*. Vulgato tam æquo decreto, Saturninus Arelatensis Episcopus, ejusque in Ariana impietate socii Ursacius, & Valens, ut nominatim se ab Hilario abstentos noverunt, ad vindictam excitati Hilarium, indicta Byterrensi Synodo, ejiciendum curarunt. Huic interesse synodo compulsus facti sui rationem reddere aggressus est, ac ostendere, jure se Saturnini sociorumque communionem respuisse; at Ariani nihil admodum audire consentientes, in exilium ejecerunt, *putantes*, inquit Hilarius, *se innocentiam suam Christo posse mentiri, si volentes nescirent*,

Hilar. in Const. l. 2. n. 2. p. 562.

rent. In Libro etiam de Synodis, se ob negatam Saturnino communionem ejectum fuisse, testatur. *Gratulatus sum in Domino*, inquit, *incontaminatos vos, & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse, vosque comparticipes exilii mei, in quod me Saturninus ipsam conscientiam suam veritus, circumvento Imperatore detruserat, negata ipsi usque ad hoc tempus, toto jam triennio, communione*. JESU CHR. AN. 356. Lib. de Synod. n. 2. p. 459.

20. Etsi ab Ecclesia sua abesset Hilarius, cum suis tamen, & cum ceteris Galliarum Ecclesiis charitate, & communione sociabatur, ut ad Constantium ajebat: *Episcopus ego sum in omnium Gallicanarum Ecclesiarum, atque Episcoporum communione, licet in exilio permanens, & Ecclesiæ adhuc per Presbyteros meos communionem distribuens. Exulo autem non crimine, sed factione, & falsis nunciis Synodi ad te Imperatorem pium, non ob aliquam criminum meorum conscientiam, per impios homines delatus. Nec levem habeo querelæ meæ testem dominum meum religiosum Cæsarem tuum Julianum, qui plus in exilio meo contumeliæ a malis, quam ego injuriæ pertulit. In promptu enim sunt pietatis vestræ litteræ; falsa autem eorum omnia, quæ in exilium meum procuraverunt, nisi in obscuro sunt. Ipse quoque vel minister, vel auctor gestorum omnium, intra hanc Urbem est. Circumventum te Augustum, illusumque Cæsarem tuum ea confidens conscientiæ meæ conditione patefaciam, ut si indignum aliquid non modo Episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate gessisse docear, non jam Sacerdotium per veniam expectem, sed inter pœnitentes Laicos consenescam*. Hæc Hilarius. Qua de causa & ubi Hilarius exulaverit, nos docet Hieronymus: *Hilarius urbis Pictavorum Aquitaniæ Episcopus, factione Saturnini Arelatensis Episcopi, de Synodo Byterrensi in Phrygiam relegatus est*. Eadem Sulpicius, & Fortunatus. Quo autem Phrygiæ loco, aut urbe non constat, quin potius apparet, nullo certo loco constitisse: *Hinc ex plurimis Romanarum provinciarum Urbibus* se ad Gallicanos Episcopos sæpe scripsisse, testatur libro de synodis cap. 1. Socius vero exilii fuit Rodamius Tholosanus Episcopus, qui, ut ait Sulpicius, *cum natura lenior esset, non tam suis viribus, quam Hilarii societate non cesserat Arianis*. Hilario, & Rodamio Maximum, & Ruffinianum addunt Faustinus, & Marcellinus: *Rodamius mittitur in exilium, nec non & Hilarius, Maximus quoque de Neapoli Campaniæ, eo quod esset inhabili stomacho, & corpore deli-*

Hilarius absens suorum communione fruitur.

Sulp. hist. l. 2.

Bibliot. PP. t. 5. p. 654.

JESU CHR. AN. 357. *delicatior, primum quidem, ut caderet, diu afflictus injuriis, deinde, ubi ob animi constantiam, fideique virtutem carnis infirmitate non vincitur; ductus est in exilium, atque illic Martyr in Domini pace requievit. Sed & Ruffinianus miræ quidem simplicitatis, sed admirabilior in tuenda fide, effusione sui sanguinis prævenit exilium. Denique cum pro fidei integritate persistit, hunc Epictetus, atrox ille, & dirus de Centumcellis Episcopus, ante rhedam suam currere coegit, & cum diu currit, sic in via ruptis vitalibus sanguinem fundens expiravit.* Hactenus de his, qui hoc anno pro fide certarunt, & de Byterrensi synodo, quam hoc anno celebratam fuisse, ex eo constat, quod anno 359. Consulibus Eusebio, & Hyppatio, Seleuciensis Synodus habita est, quo tempore, ut auctor est Sulpicius, jam quartum exilii sui annum agebat Hilarius; de cujus gestis infra suo loco sermo redibit.

JESU CHRISTI AN. 357. LIBERII PAPÆ 6.
CONSTANTII IMP. 21.
COSS. CONSTANTIO AUG. VI., ET JULIANO CÆS. II.
OLYMP. 284. AN. 1. URBIS AN. 1110.

Constantius Romæ triumphat; quæ ibidem gesserit. *Amm. Marcell. l. 10.*

1. Cum in Italia diù substitisset Constantius, Mediolano ut plurimum commoratus, hoc tandem anno, Urbis visendæ cupidus, illuc transiit, & ob victum anno 353. Magnentium, maximo cum fastu, & Populi Romani lætitia Urbem aureo carpento gemmis ornato triumphans ingressus est. Triumphi pompam, atque ibidem a Constantio gesta Marcellinus narrat. Inter cetera, cum ad Trajani Forum pervenisset, loci magnificentiam admiratus, se quoque equestrem statuam, qualem Trajanus erexerat, erigere posse dixit. Cui Hormisdas, qui cum eo erat, (is Saporis Persarum Regis frater, qui, vivente Constantino, ad Romanos transfugerat) respondit: *Ante, Imperator, stabulum tale condi jubeto, si vales, ut equus, quem fabricare disponis, ita late succedat, ut iste, quem videmus.* Interrogatus & Hormisdas, quid de Roma sentiret: *id tantum sibi placuisse*, respondit, *quod didicisset, ibi quoque homines mori*. Quo anno, & die Urbem Constantius ingressus fuerit, & quamdiu ibidem substiterit, nos docent Fasti Idaciani. Constantio IX., & Juliano Cæsare II. Coss. introivit Constantius Ro-

Romam *IV. Kal. Majas*, *& edidit triginta quinque*. Auctor etiam Chronici Alexandrini ad hunc annum: *Constantius Aug. propter vicennalia sua, cum ingenti pompa, & apparitu Romam venit*. Cumque diu Romæ morari cuperet, audita Rhætiorum, & Sarmatarum incursione, trigesimo postquam ingressus est die, IV. Kal. Junias ab Urbe profectus per Tridentum iter in Illyricum festinavit, ait Marcellinus. Ut Urbem novo monumento illustraret, Obelyscum omnium maximum illuc transferri jussit, & in Circo Maximo erigi, *Constantio IX., & Juliano Cæsare II.* idest hoc anno, eumdem Obelyscum Sixtus Quintus in area Vaticana erigi iterum curavit, vere maximum antiquitatum Romanarum vestigium.

Marcellin. ut supra & lib. 17. 4.

2. Ad rem nostram quod attinet adnotandum est, Romanorum pietatem in eo maxime enituisse, quod pro Liberii Pontificis reditu Constantium Imperatorem interpellarunt: *Elapso biennio*, ab exilio Liberii, ait Theodoritus, *Constantius Romam profectus est, Senatorum vero, & honoratorum conjuges a viris suis petierunt, ut Principem adirent, rogarentque ut Pastorem gregi suo redderet: addentes, nisi hoc ab ipsis impetrarent, discessuras se ab illis, & ad magnum illum Pastorem migraturas. At illi, iram Principis reformidare se, dixerunt: Nobis enim, ajebant, utpote viris, nullam fortasse veniam indulgebit. Vobis autem rogantibus proculdubio parcet; duorumque alterum eveniet, ut aut precibus vestris annuat, aut si abnuerit, saltem illæsas dimittat*. Solemni itaque cultu, atque ornatu Matronæ Imperatorem adiere; qui cum eas ex cultiori habitu nobiles esse conjecisset, clementer leniterque excepit: supplices vero cum ab eo petiissent, ut tantæ Urbis Pastore suo orbatæ, & luporum insidiis expositæ misereretur, Imperator respondit. Urbem alio Pastore non egere; habere enim Antistitem idoneum, qui ipsius curam gereret, idest Felicem, qui in Liberii locum, ut diximus, ordinatus fuerat. At Matronæ Imperatori dixerunt, Romanorum neminem in Felicis communionem transire. Quare earum precibus annuens Imperator, Liberium ab exilio se revocaturum promisit, ea tamen lege, ut una cum Felice Romanam Ecclesiam administraret. At cum Constantii epistola de Liberii reditu, *in Circo recitata esset*, subdit Theodoritus, *Populus exclamavit, æquam esse Imperatoris sententiam; Spectatores enim in duas factiones divisos, ex coloribus suis cognominatas. Alterum igitur*

Romani Cives pro Liberii reditu Imperatorem interpellant. Theodorit. lib. 2. 17.

Jesu Chr. an. 357.

Episcopum huic factioni, alterum illi præesse oportere. Hac ratione cum Imperatoris Epistolam explosissent; omnes una voce acclamarunt unus Deus, unus Christus, unus Episcopus, quibus vocibus testabantur, se unum Episcopum, Liberium scilicet, velle. Post hac *Liberius reversus est*, ait Theodoretus, quod post Sirmiensem Synodum contigit, ut infra hoc anno videbimus.

Sirmiensis Synodus celebratur. *Socrat. lib. 2. 29. Sozom. lib. 4. 15. Bar. 357. n. 2. seqq. Sozom. ut supra. Philost. l. 4. 3. Athan. epist. ad Monach. pag. 368. 372.*

3. Ariani interea hoc anno Sirmii congregati, novam Fidei Formulam ediderunt. Hæc autem Sirmiensis Synodus distinguenda est ab altera ibidem anno 351. habita, in qua Photinus damnatus est; quam cum non satis distinxerit Socrates, alios in errorem traxit, ut primam, & secundam in unam confunderent. Hoc anno Sirmii commoratum Constantium, scimus ex lege vigesima septima Codicis Theodosiani de appellationibus ibidem inscripta. Sirmium quoque ductos fuisse Osium, & Liberium tradunt Sozomenus, & Philostorgius; unde sequenti anno Liberius post exactum in exilio biennium Romam rediit; Osius vero in Hispaniam, cum integrum annum Sirmii detentus fuisset, ut Athanasius tradit.

Arianorum fidei formula Sirmii edita. *Athan. de Synod. to. 1. par. 2. pag. 744.*

4. Itaque cum illic congregati essent Arianorum Coriphæi, & inter eos Valens, Ursacius, & Geminius, *his vocibus rejectis*, idest, spretis fidei formulis hactenus editis, ait Athanasius, *quasi præstantiora excogitassent, fidei doctrinam, formulamque statuunt, & hæc Sirmii latine scribunt, quæ græce translata sunt. Cum nonnulla inquiunt*, (Sirmienses Patres) *putaretur esse de fide disceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata sunt, & discussa, præsentibus Valente, Ursacio, Geminio, & cæteris. Unum constat Deum esse, & Patrem omnipotentem, & unicum Filium ejus Jesum Christum Dominum Salvatorem nostrum, ex ipso ante sæcula genitum*; & cetera his similia, quæ Catholicam fidem exprimunt. Arianam deinde hæresim quæ sequuntur continent, nam una cum Homœusion, idest similis substantiæ, & Homousion, idest ejusdem substantiæ, seu consubstantialem Filium dicendum esse prohibent: *Quod vero quosdam, aut multos movebat, de substantia, quæ græce Usia appellatur, idest ut expressius intelligatur, homousion, aut quod dicitur homœusion, nullam omnino fieri oportere mentionem, nec quemquam prædicare, ea de causa, & ratione, quod nec in divinis Scripturis continerentur, & quod supra hominis scientiam sit, nec quisquam possit nativitatem Filii enarrare, de quo scriptum est, Generationem ejus quis enarrabit?* Dein-

Deinde alia addunt, Ariana perfidia digna, scilicet, Patrem non solum paternitate, & nomine Filio majorem esse, sed & *honore, dignitate, claritate, majestate*. Hæc Athanasius de Sirmiensi Fidei formula latine scripta, & in græcum translata, quam & Socrates historiæ suæ inseruit. Hilarius autem eamdem formulam recitans, hunc præfixit titulum: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium, & Potamium conscriptæ*, ex eo quod eamdem formulam Osius & Potamius conscripserint, seu potius eidem subscripserint, ut Socrates, Sozomenus, Severus Sulpicius, aliique tradunt. De eadem autem formula hæc adnotat Hilarius: *Meministis*, inquit, *namque in ea ipsa scripta proxime apud Sirmium blasphemia, id tentatum, ac laboratum fuisse, uti dum Pater unus, & solus omnium Deus prædicatur, Deus esse Filius negaretur, & dum de homousio, & homæusio taceri decernitur, id decretum esse, ut aut ex nihilo ut creatura, aut ex alia essentia, ut consequentia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus Filius natus confirmaretur*. Post aliqua, hanc Fidei formulam impiissimæ blasphemiæ pestem appellat.

JESU CHR. AN. 357.

Socrat. lib. 2. 30.
Hilar. de Synod. pag. 464. to. 2.
Socrat. lib. 2. 31.
Sozom. lib. 4. 6. 12.
Sulpic. Sever. lib. 2.

5. Potamius, Baronio ignotus, qui una cum Osio Sirmiensem blasphemiam conscripsit, seu eidem subscripsit, Olisippone in Lusitania Episcopus erat, qui cum fidem Catholicam profiteretur, præmio Fundi fiscalis, quem habere concupiverat, ad Arianos defecit, eamque ob caussam Osius Cordubensis Episcopus *apud Ecclesias Hispaniarum, & detexit, & repulit, ut impium hæreticum*, ut in libello Theodosio oblato narrant Faustinus & Marcellinus. Sirmiensem fidei formulam, non multo post, cum adhuc Osius viveret, egregie confutavit Phœbadius Agaunensis in Gallia Episcopus, quo Opusculo de Potamii epistola, & Sirmiensi blasphemia hæc habet: *Epistola Potamii, quæ ab Oriente, & Occidente transmissa est, qua asserit carne, & spiritu Christi coagulatis, per sanguinem Mariæ, & in unum corpus redactis passibilem Deum factum*. Ad Osii vero auctoritatem hæc notatu digna habet: *Non sum nescius.... antiquissimi Sacerdotis, & promptæ semper fidei Osii nomen, quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam, brevi admodum sermone respondeo. Non potest ejus auctoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit. Novit enim Mundus, quæ in hanc tenuerit ætatem*,

Quis fuerit Potamius Episcopus.
Baron. 357. 13.
Biblioth. PP. tom. 5. p. 654.
Biblioth PP. tom. 4. pag. 301 & seq.

JESU CHR. AN. 357. *tem, qua constantia apud Sardicam, & in Niceno tractatu assensus sit, & damnaverit Arianos. Quid si diversa nunc sentit, & quæcumque ab eo retro damnata fuerant, defenduntur, quæ defensa damnantur? Rursum dico, non mihi ejus auctoritate præscribitur; nam si nonaginta ferè annis malæ credidit, post nonaginta illum recte sentire, non credam.* Hæc, aliaque in eamdem rem Phœbadius. Consentiebant Phœbadio alii Galliarum Episcopi, qui eadem constantia Sirmiensem blasphemiam rejecerunt; unde Hilarius ad eosdem paulo post gratulatur, quod *missam proxime iis ex Sirmiensi Oppido infidelis fidei impietatem*, non modo non susceperint, sed *nunciatam etiam, significatamque damnaverint*. Quia tamen Galli Episcopi homousii silentio, & abdicatione facile consentiebant, eo quod *per hujus verbi enunciationem substantia prior intelligeretur, quam duo inter se partiti essent*, eosdem graviter Hilarius admonet, ne facile vocem a Nicænis Patribus usurpatam abjicerent. Cito autem perfidiæ pœnas dedit Potamius, ut Marcellinus in supracitato libello subdit: *Cum ad Fundum properat, & quem pro impia fidei subscriptione ab Imperatore meruerat impetrare, dans novas pœnas linguæ, per quam blasphemaverat, in via moritur, nullo fructus Fundi, vel visione percipiens*.

Hilar. de Syn. pag. 459. l. 2.

pag. 509.

Osius Sirmiensi formulæ subscribit.

6. Sirmiensi formulæ Fidei una cum Potamio Osium Cordubensem Episcopum subscripsisse diximus, nec sine maximo Ecclesiæ scandalo, & luctu accidit, ut vir nonaginta annorum, ex quibus sexaginta fere summa cum laude in Episcopatu transegerat, tot legationibus, & certaminibus pro fide initis, totque victoriis clarus, tandem vel invitus, in Adversariorum castra transierit; suoque exemplo infirmitatis humanæ, & inconstantiæ triste spectaculum daret. Arianæ etiam perfidiæ insigne argumentum hoc fuit, quæ talem, tantumque Virum in hujuscemodi facinus potuit impellere. Quibus ad hoc artibus pervenerint, sic narrat Athanasius: Primo Constantius *arcessit Osium, quem exilii vice anno integro Sirmii detinet, nec Deum metuens, nec viri senectutem* (centenarius quippe erat) *veritus. Tantam enim vim intulit seni, tandiuque illum detinuit, ut malis oppressus, vix tandem cum Valente, & Ursacio communicaret, neque tamen subscriberet contra Athanasium*; cruciatibus quoque ad subscribendum coactum fuisse, scribunt, Socrates, & Sozomenus: *Cum ille consentire renueret*

Athan. hist. ad Mon. p. 572

Socrat. l. 2. 31 Sozom. l. 4. 6.

ret, verbera, & tormenta inflixerunt seni; itaque vi, & necessitate adactus, editis tum fidei expositionibus consensit, ac subscripsit, ait Socrates, quem ea de causa sepulchri nimis amantem fuisse, ait Hilarius: *Oro vos*, inquit, *ne quisquam alius ex his præter Senem Osium, & ipsum illum nimium sepulchri sui amantem, reperiatur, qui tacendum esse constituat de utroque*; idest homousion, & homœusion, ut Sirmiensi Synodo cautum fuerat.

Hilar. de Synod. t. 2. p. 513.

7. In Hispania reversurus ab Imperatore Constantio litteras acceperat Osius, ut si quis ejusdem communionem recusasset, in exilium mitteretur. Gregorius tamen Illyberitanus Episcopus fortiter eidem restitit, & a communione sua repulit; Faustinum, & Marcellinum in sæpe laudato libello audiamus: *Minis perterritus, Osius, & metuens, ne senex, & dives exilium proscriptionemque pateretur, dat manus impietati; & post annos prævaricatur in fidem, & regreditur in Hispanias majore cum auctoritate, habens Regis terribilem jussionem, ut si quis eidem Episcopus, jam facto prævaricatori, minime velit communicare, in exilium mitteretur. Sed ad Sanctum Gregorium Illiberitanæ Civitatis Episcopum constantissimum, fidelis nuntius detulit impiam Osii prævaricationem. Unde non acquievit, memor sacræ fidei, ac divini Judicii in ejus nefariam communionem*. Osius vero, ut injuriam sibi a Gregorio Illyberitano illatam vindicaret, tum Clementini Vicarii opera, ut in exilium eijceretur, curavit. Is tamen & si Ethnicus, ab Osio petiit, ut Gregorium munere suo exueret, ac sacerdotio exauctoraret. Quibus cognitis Gregorius, ad verum, & potentem Judicem Christum conversus, totis fidei suæ viribus precatur, ne se pro Fide certantem, hominum calumniis, injustæque sententiæ expositum relinqueret. Itaque dum Osius sententiam conatur exponere, *os vertit, distorquens pariter & cervicem, de secessu in terram eliditur, atque illic expirat, aut, ut quidam volunt, obmutuit*. Neque commenta hæc esse addit: *Scit omnis Hispania, quod ista non fingimus*; quibus etiam fidem conciliat Eusebii Vercellensis epistola ad Gregorium Hispanum Episcopum ab exilio data, qua eidem gratulatur, quod Osio restiterit: *Litteras sinceritatis tuæ accepi, quibus ut decet Episcopum, & Dei Sacerdotem, transgressori te Osio dicis restitisse, & plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis, & Ursacii, & ceterorum, quos ipsi agnito blasphemiæ* ccl-

Osius in Hispanias redit; a Gregorio Illyberitiano Episcopo abstinetur. Biblioth. PP. t. 8. p. 655.

Hilar. frag. 11. p. 701.

JESU CHR. AN. 357. *crimine ante damnaverunt, tuum assensum denegasse, fidem scilicet servans, quam Patres Nicæni scripserunt; gratulamur tibi hoc &c.* Hæc Eusebius ad Gregorium Illyberitanum;

Osius damnata hæresi in Eccl. comunione obiit. Athan. hist. ad Mon. p. 372. Apol. de fuga tom. 1. p. 323. 8. Osium tamen in viam salutis rediisse, & morte saltem instante Arianam perfidiam condemnasse, Athanasius testatur. *Eam rem*, inquit, *minime neglexit senex*, idest Osius, *sed instante morte, vim sibi illatam quasi testamento declaravit, Arianamque hæresim feriit anathemate, vetuitque ne quis eam reciperet*. Et iterum in Apologia de fuga sua ad modicum tempus, & quidem vi adactum, consensisse Osium adnotat: *Quamvis enim, inquit, ob vim plagarum, quibus eum immanissime, & ultra modum lancinarunt, & ob conspirationes adversus cognatos conflatas, utpote senex ac corpore imbecillis ad quoddam temporis spatium illis cesserit &c.* Quæ itaque de improviso Osii obitu ex Marcellino supra exscripsimus, ita temperanda sunt, ut non continuo Osius obierit, sed tantum temporis supravixerit, ut errorem suum instante morte confessus, Arianam hæresim ejuraverit. Circa annum 360. eum obiisse, traditur, quem inter sanctos Græci venerantur die 27. Augusti, ut a Tillemontio adnotatum est. Tillem. tom. 7. pag. 320.

Liberius cum Arianis communicat. Bar. 357. 38. 9. Ad Sirmiensem tragœdiam, unde ex Osii lapsu digressa est, oratio nunc redeat; neque enim in Osii casu finem habuit: *Sed*, ut ait Baronius, *casu quoque Liberii Romani Pontificis longe tetrior reddita est, atque lugubrior, quod tantæ urbis, ac totius Ecclesiæ Catholicæ Antistes esset*. Infracto quidem animo ante biennium pro pietate certaverat Liberius; ac exilium sustinere non dubitaverat, quin audita Vincentii Capuani, & Marcelli ignavia, *duplici mærore confectus moriendum decreverat*, ut ad Osium scripserat; sed & ad Eusebium, Dionysium, Luciferum pro fide exules, *optaveram*, inquit, *fratres carissimi prior pro omnibus vobis impendi, ut exempla gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur*; at qui in abundantia mentis dixerat *non movebor in æternum*, paulo post factus est conturbatus, & ut ait Athanasius: *Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit*. Inter cetera, quæ ejus animum in exilio angebant, illud erat, quod Diaconum suum exilii comitem ab eo removissent Ariani, unde idem Liberius ad Vincentium: *Urbicus diaconus, ajebat, quem videbar habere solatium, a me per Venerium agentem in rebus sublatus est, & ideo sancti-*
Cotán. p. 421. Psalm. 29. 8. Athan. hist. ad Monaches tom. 1. p. 368. Cotan. p. 447.

tati

tati tuæ significandum credidi me de contentione illa nominis Athanasii recessisse. Nutantem denique Fortunatianus Aquilejensis Episcopus dejecit, cujus ea de causa apud posteros memoria execrabilis fuit. *Fortunatianus Afer*, inquit Hieronymus, *Aquilejensis Episcopus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit*, & in Chronico: *Liberius tædio victus exilii in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit*; qua de re Hilarius in Constantium, utpote malorum omnium auctorem, de Liberii prævaricatione hæc adnotat: *Vertisti usque Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum, & o te miserum qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris!*

JESU CHR. AN. 357.

Hier. de vir. illust. in Fortunatiano.

Hilar. contra Const. tom. 2. pag. 571. edit. Veron.

10. Quousque autem Arianis cesserit Liberius Papa, idem ipse epistolis suis prodit, quarum prima ad Orientales Episcopos data habet: *Ego Athanasium non defendo, sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius Episcopus decessor meus, verebar, ne ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi agnovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris, litterasque super nomine ejus per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem Constantium. Itaque amoto Athanasio a communione omnium nostrum, cujus nec epistolia a me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis, & cum universis Orientalibus Episcopis seu per universas provincias pacem, & unanimitatem habere. Nam ut verius sciatis me vera fide per hanc epistolam ea loqui, dominus, & frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem vestram, & Catholicam exponere, quæ Sirmio a pluribus fratribus & Coepiscopis nostris tractata, exposita, & suscepta est ab omnibus, qui in præsenti fuerunt, hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi, consensum accommodavi, hanc sequor, hæc a me tenetur. Sane petendum credidi sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio, ac studio laborare, quatenus de exilio jam dimittar, & ad Sedem, quæ mihi divinitus credita est, revertar*. Hæc ad Orientales Episcopos seu Arianos Liberius, de quibus & ad Vincentium Capuanum scribens, eumdem rogat, ut una cum Episcopis suis ad Imperatorem scribat, ut

Liberii epist. ad Orientales, & ad Ursacium, & Valentem.

Hilar. frag. 6. tom. 2. p. 667. Coustan. p. 445

JESU CHR. AN. 357. ut firmata jam cum Orientalibus pace, ab exilio revocaretur. Tandem suæ sedis recuperandæ impatiens, Valenti, Ursacio, & Geminio Arianis Episcopis scribens rogavit eos, ut apud Imperatorem pro suo reditu intercederent, ac eadem fere, quæ Orientalibus scripserat, in ea epistola repetit, quam ideo brevitatis studio præterimus.

Liberius Syrmium deducitur. Sozom. l. 4. 15

11. Antequam vero Urbem peteret, Liberius Berea Sirmium deductus est: *Non multo post Imperator ab Urbe Roma Sirmium reversus*, ait Sozomenus, *cum Occidentales Episcopi ad ipsum misissent, Liberium Berea ad se accersivit. Cumque adessent Legati Episcoporum Orientis, convocatis Sacerdotibus, qui in comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur. Instabant autem, & Imperatorem ad hoc impellebant Basilius, Eustathius, & Eleusius, qui præcipua apud ipsum auctoritate pollebant. Qui cum ea, quæ contra Paulum Samosatensem, & contra Photinum Episcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea Fidei formulam in dedicatione Antiochensis Basilicæ editam, in unum tunc libellum conjecissent, perinde quasi quidam sub obtentu vocabuli Consubstantialis propriam hæresim stabilire conarentur, effecerunt, ut Liberius, & Athanasius, Alexander, Severianus, & Crescens Africæ Episcopi, ei formulæ consentirent.* Quare *nihil est, quod excusari Liberius possit*, ait Baronius, *quin communionem inierit cum Arianis, & in Athanasium latam ab eis sententiam ratam habuerit; hæc inquam omnia, si aliorum deficerent assertiones, ipsomet recitatis litteris profitente, vera esse in dubium revocari haud possint.*

Baron. 357. n. 45.

Cuinam Fidei formulæ Liberius subscripserit. *Athan. de Syn. tom. 1. par. 2. pag. 741.* *Hilar. de Syn. tom. 2. p. 485.*

12. Tres Fidei formulas Sirmii Arianos edidisse constat, cuinam Liberius subscripserit, quæri solet. Prima anno 351. edita est, cum illic adversus Photinum convenerunt, atque hujus meminit Athanasius, cum ait: *Neque hic steterunt, iterum namque Syrmii adversus Photinum coacti, aliam fidei formulam ediderunt*; cui etiam anathematismos viginti septem addiderunt, eamque Fidei formulam laudat Hilarius, ac Catholico sensu exponit, prout verba præseferunt, aut saltem commode exponi possunt; in eo tantum peccabat, quod Consubstantialis vox a Nicænis Patribus ad indicandam perfectam Filii Dei cum Patre æqualitatem, dignitatemque usurpata, silentio premeretur. Secundam Sirmiensem formulam hoc anno Ursacius, & Valens cum sociis ediderunt, cui Potamius, & Olius,

& Osius subscripserunt, quam Potamii, & Osii blasphemiam appellat Hilarius, Athanasius vero: *His omnibus rejectis, quasi præstantiora excogitassent, fidei doctrinam formulamque statuunt; & hæc Syrmii latine scribunt*. Tertia demum anno 359. Consulibus Eusebio, & Hypatio, de qua Athanasius iterum: *Hæc cum scripsissent, consilio iterum mutato eam edidere fidei formulam, quam se cum consulatu edidisse postea erubuere*, quæ etiam Arimini lecta est, ejusque hæc erat inscriptio: *Edita est Catholica fides præsente domino nostro piissimo, & victoriis eximio Imperatore Constantio Augusto æterno, venerando, sub consulatu Flaviorum Eusebii, & Hypatii clarissimorum, Syrmii undecimo Kal. Junias: Credimus in unum solum ac verum Deum &c.* Quartam denique Sirmiensem synodum, post Ancyranam, anno sequenti 358. habitam fuisse Valesius ex Sozomeno conjicit, aut fingit; in qua & quarta fidei formula a Basilio, Eusthasio, & Eleusio conscripta fuit, cui Liberium subscripsisse cum Valesio scribit Basnagius. At cum hæc quarta Syrmiensis synodus, quartaque fidei formula incerta sit, ignotaque Athanasio, & Hilario, Liberium eidem formulæ subscripsisse incertum quoque est. Hinc aut primam anni 351., aut secundam labentis anni eum adoptasse dicendum est; nam de tertia anni 359, nulla quæstio esse potest, utpote edita, cum jam Liberius manus victas Arianis dedisset.

Jesu Chr. An. 357. Hilar. ut sup. pag. 464. A. Athan. ut sup. pag. 744., & 745. Athan. p. 727. Valesf. not. in Sozom. ad l. 4. cap. 15. Basnag. an. 358. 13.

14. Tota itaque quæstio, quæ agitari solet, in eo est, utrum Liberius fidei formulæ anno 351. Syrmii editæ subscripserit, aut alteri, quam hoc anno ibidem Arianos edidisse narravimus. Res tamen Hilarii auctoritate facile expeditur, qua apertissime patet Liberium primæ anni 351. subscripsisse, nam si *Syrmiensi*, quam vocant, *Blasphemiæ* subscripsisset, id sane Hilarius non dissimulasset, in Liberium adeo exacerbatus, ut si fragmentis ejus sua stat fides, anathema eidem dixerit. Utramque insuper formulam manifeste Hilarius distinguit, ac de edita hoc anno, ita loquitur: *Exemplum blasphemiæ apud Syrmium per Osium, & Potamium conscriptæ*, præsentibus Valente, Ursacio, & Geminio; de fidei autem formula a Liberio scripta, addit: *Perfidiam autem apud Syrmium scriptam, quam dicit Liberius Catholicam a Demophilo sibi expositum, hi sunt, qui conscripserunt, Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus &c.* aliique ibidem recensiti; Valentis tamen, & Ursacii nomina non leguntur. Cum itaque utriusque

Liberius Confessioni fidei Sirmiensi anni 351. subscripsit. Hilar. de syn. tom. 2. p. 464. Hilar. frag. 6. tom. 2. p. 660.

JESU CHR. AN. 357. formulæ diversi sint auctores, & Liberius, teste Hilario, ei formulæ subscripserit, quam Narcissus, Theodorus, Basilius concinnaverant, quamque illi Demophilus exposuerat, sequitur ergo manifesto primæ subscripsisse Liberium, quod & Sozomeni auctoritate confirmatur, dum ait Liberium, fidei formulæ oblatæ supscripsisse, sed eodem tempore ab Orientalibus exegisse, ut Anathema in eos dicerent, qui asserebant Filium Patri dissimilem esse. *Liberium Berea ad se accersivit Imperator*, ait Sozomenus, *cumque adessent legati Episcoporum Orientalium, convocatis Sacerdotibus, qui in comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Filium Patri non esse Consubstantialem profiteretur, idipsum Episcopi adstantes rogabant*. Quibus etsi Liberius consenserit, ab iisdem tamen exegit, ut oblatæ confessioni subscriberent, *qua eos, qui Filium secundum substantiam, & per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronunciabat*. Ex his itaque constat Liberium tam longe abfuisse, ut subscriberet fidei formulæ hoc anno editæ, cui Potamius, & Osius subscripserunt, qua nominatim Homousion, seu ejusdem substantiæ, & similis substantiæ vox damnata est, ut potius Liberii auctoritate ab Ecclesiæ communione exclusi sint: *Qui Filium secundum substantiam, & per omnia Patri similem non esse assererent*, hinc factum, ut subdit Sozomenus, *quod cum Eudoxius, & qui cum illo opinioni Arii favebant, Antiochiæ Osii epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverant, Liberium quoque Consubstantialis vocabulum condemnasse, & Filium Patri dissimilem confiteri*. Falso itaque rumore, ac incerta fama vulgatum est Liberium Arianæ perfidiæ subscripsisse; quem quidem Athanasii communioni renunciasse scimus, ac subscripsisse fidei formulæ, in qua Consubstantialis quidem vox suppressa fuerat, ut supra vidimus; at Nicænæ Fidei eum renunciasse, ac Arianæ hæresi subscripsisse neque Athanasius, aut alius scriptor fide dignus prodidit, quinimo Theodoretus de Liberii reditu agens, ejusdem cum Arianis societatem, & communionem omnino dissimulat: *Flexus itaque Imperator* precibus scilicet nobilium matronarum urbis Romæ, *egregium illum omnique laude dignissimum*, idest, *Liberium ab exilio redire jussit*, quas laudes certe non meruisset, si Fidei dispendio, & Nicæna Fide ejurata, rediisset; unde ex hactenus dictis manifesto patet Liberium nullatenus Syrmiensi blasphemiæ hoc

Sozom. lib. 4. 15.

Theod. l. 2. 17.

hoc anno editæ subscripsisse, sed primæ anno 351. vulgatæ, quæ juxta verborum sensum, Hilario teste, Catholica omnino erat; in eo tantum a Nicæna Fide dissidens, quod vox Consubstantialis prætermissa erat; proinde sine injuria inter hæreticos Liberius accenseri non potest.

JESU CHR. AN. 357.

15. Hinc subdit Baronius: *Licet ex his omnibus perspicue constet Liberium perseverasse semper fide Catholicum, haud tamen probari possunt, aut juste facta defendi, quod victus labefactavit sacerdotalem constantiam injuste contra Athanasium subscribendo, quodque communicaverit, ut ipse fatetur, cum illis, quorum communionem hactenus exhorruisset, sed & quod etiam illi professioni subscripserit, quæ licet catholica videri posset, tamen voce illa Nicæna Consubstantialitatis careret, quam majores omnes adversus Arianos magna semper gloria defendissent.* Hæc Baronius de Liberii culpa, in quam sententiam ut plurimum viri docti consentiunt, ut nec omnino ejusdem gesta excusent, nec culpam ejus plus æquo exagerent; de quibus plura apud Natalem Alex. aliosque videri possunt.

Liberius in quo reprehensibilis fuerit. *Bar. 357. 54.*

16. Inter synodos hoc tempore celebratas, Melitinensis recensetur, cujus gesta obscura adeo remanserunt, ut ejusdem Labbeus nullo modo, Harduinus vero vix in indice meminerit; quæ etiam utrum Arianorum, an Catholicorum fuerit, aut quo anno habita, in obscuro est. Ea tamen ante annum 359. habitam fuisse scimus ex Sozomeno, qui de Costantinopolitana synodo anno 359. habita agens, Eusthatium in ea depositum fuisse narrat, eo quod *decreta eorum, qui Melitene convenerant, subvertere conaretur*; eaque de causa Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, qui Melitenensi synodo interfuerat, eamdem depositionis sententiam subiit; *quod cum Eusthatio, & Elpidio communicasset, qui decreta Melitenensis synodi, cui ipse quoque interfuerat, abrogare studuerant*, ut subdit Sozomenus. Eusthatium hunc Sebastenum Episcopum dubiæ fidei fuisse tradit Basilius, ac eum ab Ario, cum floreret, Alexandriæ edoctum, pravas ejusdem opiniones imbibisse, atque inter germanissimos illius discipulos fuisse numeratum. In patriam tamen reversus Hermogeni Cæsareæ Episcopo confessionem suæ fidei obtulit; atque ita ab ipso ordinatus est. Post illius vero obitum, Eusebium Constantinopolitanum adiit, qui & ipse nemini concedebat in impio Arii dogmate tuendo; ac rursum cum in patriam rediisset, iterum sese purgavit, impiam quidem occul-

Melitinensis synodus Eusthatium Sebastenum Ep. condemnat.

Harduin. in judice prævio ad tom. 1. ad an. 358.
Sozom. lib. 4. 24.

lib. 4. 25.

Basil. epi. 263

JESU CHR. AN. 357. cultans sententiam: *At Episcopatum adeptus, illico comperitur anathematismum Consubstantialis scripsisse in Ancyrana synodo, quæ ab ipsis habebatur. Hinc autem cum Seleuciam venisset, ea gessit cum suæ sententiæ consortibus, quæ omnes norunt. Constantinopoli autem iterum assensus est iis, quæ ab hæreticis proposita fuerunt. Atque ita ex Episcopatu ejectus, propterea quod antea Melitinæ depositus esset; hanc sibi restitutionis viam invenit, ut ad vos se conferret.* Hactenus Basilius de Eusthatio, qui etsi fide Protheo mutabilior fuerit; moribus tamen integerrimis erat, si Epiphanio fides: *Quoad ejus vitæ institutum attinet, non paucis admirationem peperit, qui utinam ad rectam, ac sinceram fidem adhæsisset.* Is primum cum Basilio amicitiæ fœdere junctus, ut Basilii epistolæ indicant, postmodum, ut ex supracitata epistola constat, molestiæ plurimum eidem intulit.

Epiph. hæres. 752.

Basil. epist. 79. & 119.

Synodus Gangrensis Eusthatium condemnat. Socrat. lib. 2. 43.

17. Melitinensi synodo Gangrensem addimus, qua etiam de Eusthatio Sebasteno Episcopo in Militinensi synodo dejecto, sermo occurrit, ut Socrates, & Sozomenus narrant: *Cæterum Eusthatius*, inquit Socrates, *post hæc etiam in synodo Gangrensi, quæ ipsius causa in Paphlagonia collecta fuerat, condemnatus est, eo quod post condemnationis sententiam adversus ipsum prolatam in synodo Cæsariensi, multa contra leges Ecclesiasticas ageret.* Uxorem ducere prohibebat, & a cibis esse abstinendum docebat; unde multos quidem, qui matrimonia contraxerant, a conjugibus separavit; nonnullis, ut domi communicarent, persuasit; servos etiam prætextu pietatis a dominis suis abstrahebat. Ipse vero Philosophi habitum gestans, sectatores suos nova, atque insolenti veste indui jussit; mulieres quoque tonderi fecit, & præscripta quidem jejunia fugienda esse docebat; diebus vero Dominicis jejunandum esse, aliaque his similia, Ecclesiæ moribus adversantia tradebat. Quare Gangrensis in Paphlagonia synodus eum deposuit, ejusque dogmata anathemate damnavit, ait Socrates. Sozomenus vero iteratas Eusthatii depositiones recensens, primum ab Eulalio patre suo Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, cum adhuc presbyter esset, depositum fuisse tradit; postea factus Episcopus a Neocæsariensi synodo, demum a Constantinopolitana sub Eusebio celebrata, tum subdit: *Deinde tamquam secus quam oportet prædicans, & agens, & sentiens, a Gangrensi concilio Episcopatu exutus fuerat*; demum in Antiochena synodo, per-

Sozomen. lib. 4. 24.

perjurii convictus, & quod decreta eorum, qui Militene congregati fuerant, subvertere conaretur. Adnotandum tamen est Gangrenses Patres in Eusthatii discipulos sententiam excommunicationis magis, quam in ipsum Eustathium intulisse, ni a suis erroribus resipiscerent; sic enim in synodica epistola inquiunt: *Quoniam conveniens sancta synodus Episcoporum in Ecclesia Gangrensi propter quasdam ecclesiasticas, & necessarias causas inquirendas, & quae secundum Eustathium gesta sunt dignoscenda, invenit multa fieri indecenter ab his, qui eumdem Eustathium secuti sunt, necessario statuit palam omnibus actis amputare universa, quae ab eodem male commissa sunt, declaratum est enim hos eosdem nuptias accusare, & docere &c.* quae summatim Socrates Eustathio objicit; in Eustathium tamen depositionis, aut excommunicationis sententiam a Gangrensi synodo latam fuisse, ut a Socrate, & Sozomeno traditur, nec in synodica epistola, nec in ejusdem canonibus legitur, sed tantum in eos, qui canones in ea editos violassent.

Jesu Chr. an. 357.

Harduin. concil. tom. 1. pag. 530.

18. Gangrensium vero canonum haec summa est. Si quis legitimas nuptias damnaverit, & eos, qui nubunt, Regnum Dei introire non posse dixerit, anathematis sententia damnatur; eidemque poenae ii subjiciuntur, qui carnis usum illicitum esse dicebant. Si quis praeterea, praetextu divini cultus, servum doceat dominum contemnere proprium, ut discedat ab ejus obsequio, nec ei cum benevolentia, & omni honore deserviat, anathema sit. Si quis presbyterum spernit, eo quod uxorem habuerit, ab eo ministrante oblationem accipere recusaverit, anathema sit. Sicuti & ii, qui docent domum Dei contemptibilem esse, & conventus, qui in ea celebrantur, refugiunt. Si quis vero extra Ecclesiam conventus celebrat, eodem anathemate plectatur, eademque sententia ii teneantur, qui praeter conscientiam episcopi oblationes extra Ecclesiam dare aut accipere praesumpserint. Qui bona Ecclesiae absque consensu Episcopi alienaverint, anathemate feriuntur. Si quis de nuptiarum horrore, non virginitatis amore, virginitatem, aut continentiam profitetur, anathema sit; idemque de iis dicendum qui conjugio sociatas despexerint. Si quis vero Agapes cum pauperibus celebrantes contempserit, eorumque orationibus communicare noluerit, anathemate subjicitur. Qui in continentia vivunt, ac pallio utuntur, tamquam ex eo justitiam habituri, ceteros qui birris teguntur, vel alia veste com-

Summa canonum Concilii Gangrensis.

grensi Synodo mentio est, ab Eusthatio Sebasteno Episcopo distinguendum putant. At unum eumdemque fuisse cum aliis viris doctis probabilius existimamus, ac circa hæc tempora habitam fuisse synodum censemus, cum Sebastenæ Ecclesiæ Eusthatius Episcopus præesset, & Osius, qui eidem subscriptus legitur in Oriente adhuc esset. Hujusce autem synodi canones maximam sibi in Ecclesia Latina & Græca auctoritatem vindicarunt, atque post Nicænos canones in codice canonum Ecclesiæ locum obtinent; quin Symmachus Papa in concilio Romano anni 504., eorum aliquos citans, Apostolica auctoritate conditos fuisse ait.

Pag. ad an. 319. Basil. vitæ auctor Maur. cap. 5. tom. 3.

20. De Rebus Imperii pauca nunc addimus, ac primo de Constantii gestis, qui hoc anno cum Romæ esset Victoriæ simulacrum, una cum Ara, quæ hactenus in curia steterat, demoliendam jussit; de quibus Symmachus, pro ejusdem restitutione sollicitus: *Sed divus Constantius*, inquit, *idem fecisse dicitur*, a Magnentio autem restituta, *cetera potius illius Principis æmulemur, qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius non deviasset; corrigit enim sequentem lapsus prioris, & de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio*, Ambrosius vero: *Constantius Augustus nondum sacris initiatus mysteriis, contaminari se putavit, si Aram illam videret, jussit auferri, non jussit reponi*. Hoc etiam anno, milites Palatinos gladiatoris officium exercere prohibuit, & maleficas artes exulare coegit. *Multi magicis artibus*, inquit, *ausi elementa turbare, vitas insontium labefactare non dubitant*; eaque agere sub capitali pœna prohibuit. Huc quoque referenda est lex prima Cod. Theod. de conlatione lustrali, quæ data dicitur, *IV. nonas Decembris Romæ VIII. idus Februarii Constantio Augusto IX., & Juliano Cæs. II.*, qua Constantius a lustrali conlatione excepit clericos, qui Copiatæ dicebantur; quorum officium, teste Epiphanio, erat mortuorum corpora curare, sepelire, *fossarii* etiam, & *laboratores* alibi dicti.

Constantius Aram victoriæ dejiciendam jubet.

Ambr. epist. 31.

Lex. 2. Cod. Theod. de gladiat.

Lex. 1. Cod. Theod. de conlat. lustrali.

21. De Juliani vero Cæsaris gestis observandum, eum plures Alemannorum Reges in Gallias irrumpentes gravi clade affecisse, quamobrem Julianus ab exercitu Augustus est appellatus; id tamen *se nec sperare, nec adipisci velle jurejurando confirmans*, de quibus plura apud Marcellinum videri possunt.

De gestis Juliani Cæsaris.

Marcell. l. 16. 11.

22. Juliani victoria de Alemannis hoc anno habita nos admonet, ut de Martino agamus, qui sub Juliano militans, hoc

Martinus militiæ renunciat, ejusdem origo, & gesta

JESU CHR. AN. 357. Marcell. lib. 16 11. 12. Sever. Sulp. Martini vita edit. Veron. t. 1 pag. 6. Sulp. vit. Mar. p. 27 pag. 6.

hoc tempore militiæ, & seculo renuncians, totus se Deo dicavit. Anno circiter 315. natum, ex Sulpicio scimus; nam anno 386. cum a Maximo tyranno ad mensam exceptus fuit, septuagenarius erat; prædicto autem anno convivium illud celebratum fuisse ex eodem Sulpicio colligitur, qui inter vocatos Evodium ejus anni Consulem numerat: *Convivæ autem aderant*, inquit, *veluti ad diem festum evocati summi, atque illustres viri, Præfectus, idem consul Evodius &c.* De ejusdem autem ortu, & educatione subdit: *Martinus Sabaria Pannoniarum oppido oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini altus est parentibus secundum seculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen, pater ejus miles primum, post tribunus militum fuit. Ipse*, Martinus scilicet, *armatam militiam in adolescentia secutus, inter scolares alas sub Rege Constantio, deinde sub Juliano Cæsare militavit*. Cum decem annorum esset invitis parentibus ad Ecclesiam confugerat, seque catechumenum fieri petierat, ac toto animo ad Deum conversus, duodennis de eremo habitanda cogitare cœpit.

Martinus militiæ adscribitur, triennio post baptizatur.

23. Interea *cum edictum esset a Regibus, ut veteranorum filii ad militiam scriberentur, prodente patre, qui felicibus ejus actibus invidebat, cum esset annorum quindecim captus, & catenatus sacramentis militaribus implicatus est*. Triennio post Baptismum suscepit: *Integer tamen ab iis vitiis, quibus illud hominum genus implicari solet*; nam patientia, humilitate, frugalitate ita excellebat, ut monachus magis, quam miles videretur. Edictum Regis, cujus Sulpicius meminit, ut veteranorum filii ad militiam cogerentur, anno 332. Pacatiano, & Hilariano Coss. a Constantino promulgatum est, ut eo loco adnotavimus; quo tempore, prodente patre, Martinus militiæ inscriptus fuit, anno ætatis suæ decimo septimo, cum legitimam militiæ ætatem attigisset, nam apud Gellium legitur: *Tubero scripsit Servium Tullium ab anno decimoseptimo, quos idoneos esse Reipublicæ arbitraretur, milites scripsisse*.

Gell. lib. 10. 28.

Martini profusa charitas in pauperes. Sulp. vit. Mar. p. 18.

24. Tanto autem fidei, charitatisque erga proximum amore Martinus etsi catechumenus æstuabat, ut omni officiorum genere afflictos, ac pauperes prosequeretur; ac insigne illud, æternaque memoria dignum, quod in porta Ambianensium edidit suæ dilectionis argumentum. Viso enim paupere, qui nimio frigore toto corpore contremiscebat, cum præter arma, & militarem clamydem nil ultra haberet, statim arre-

arrepto ferro, quo accinctus erat, chlamidis suæ medietatem, ut ea tegeretur, pauperi dedit non sine adstantium aut risu, aut admiratione. At sequenti nocte cum se sopori dedisset, vidit Christum chlamidis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum, audivitque ad Angelorum circumstantium multitudinem clara voce dicentem: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit*. Qua visione recreatus, *cum esset annorum duodeviginti*, seu potius duo supraviginti, *ad Baptismum convolavit; nec tamen statim militiæ renunciavit, & per biennium fere posteaquam est baptisma consecutus, solo licet nomine militavit*; sed quum ex inferius dicendis certum sit, missionem a militia Martinum nostrum non obtinuisse, nisi cum Julianus Cæsar in Galliis esset, anno videlicet 356. aut 357; hinc mendum in hisce Sulpicii verbis irrepsisse putant eruditi, ac loco *biennium*, *vicentium* legendum esse contendunt: quam emendationem retinendam esse eruditus Sulpicii editor, & illustrator Hieronymus a Prato Congregationis Oratorii Veronensis presbyter pluribus confirmat, ut ibidem videre est.

Tom. I. Sulp. Sever. dissert. 4. p. 224. & seq.

25. Itaque cum ad usque labentem annum Martinus castra secutus fuisset, irruentibus intra Gallias Barbaris, Julianus Cæsar coacto exercitu apud Vangionum civitatem, munera militibus distribuere cœpit, ac singulos, ut mos erat, citare. Tunc Martinus ratus opportunum sibi tempus oblatum ad missionem petendam, cum ad eum ventum est: *Hactenus*, inquit ad Cæsarem, *militavi tibi; patere ut nunc militem Deo. Donativum tuum pugnaturus accipiat, Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tam vero adversus hanc vocem Tyrannus infremuit dicens, eum metu pugnæ, quæ postera die erat futura, non Religionis gratia detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immo illato sibi terrore constantior: Si hoc*, inquit, *ignaviæ adscribitur, non Fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Jesu, signo Crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam jubetur, facturus fidem dictis, ut inermis Barbaris objiceretur. Postera die hostes Legatos de pace miserunt, sua omnia, seseque dedentes*; unde factum est, ut cessante bello missionem facilius obtineret.

Martinus militiæ renunciat.

26. *Exinde relicta militia*, ait Severus, *sanctum Hilarium Pictavæ Episcopum civitatis expetit*, apud quem aliquandiu commoratus, recusato ob humilitatem Diaconatus officio,

Variæ Martini peregrinationes, variique casus.

JESU CHR. AN. 357. inter Exorcistas numerari satis illi fuit. Cumque hoc eodem anno Hilarius pro Fide Catholica in exilium ejectus sit, Martinum tantum Hilario obviam ivisse, cum ab exilio liber in Gallias rediit anno 360., aut 361., Coutantius, & Tillemontius tradunt. Nil tamen obstat, quin uno eodemque anno Martinus missionem militiæ obtinuerit, & Exorcista ab Hilario, in exilium jam properante, ordinatus fuerit: *Itaque ab Hilario divulsus, admonitus per soporem, ut patriam, parentesque, quos adhuc gentilitas detinebat religiosa, sollicitudine visitaret*, dum in patriam pergit, multa adversa passus est; nam & Diabolum in via adversarium habuit, & latrones, e quorum manibus incolumis vix evasit, ut narrat Sulpicius. In patriam tandem adveniens, *matrem* quidem *gentilitatis absolvit errore, patre in malis perseverante, plures tamen suo salvavit exemplo*; tum ex Pannonia in Illyricum veniens, *cum adversus perfidiam sacerdotum* Arianorum *pene solus pugnaret*, dira quæque perpessus est; nam publice virgis cæsus de civitate exire compulsus est. *Italiam* deinde *repetens*, *Mediolani sibi monasterium statuit*, cujus fortasse meminit Augustinus: *Erat monasterium Mediolani plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore*. Sed *ibi quoque*, subdit Sulpicius, *eum Auxentius*, auctor & princeps Arianorum gravissime *infectatus est*, *multisque affectum injuriis de civitate exturbavit*. Eadem de persecutionibus in Martinum in Illirico, Mediolano excitatis, narrat Sozomenus; unde patet, in Orientem quoque tanti viri famam inclaruisse.

Tillem. t. 10. Hilarii vita. Sulpic. vita Mart. p. 5. August. Confess. l. 8. 6. Sozom. l. 5. 13.

Martinus in solitudinem recedit, ad Hilarium redit. Sulp. Mart. vita cap. 5.

17. Italia exturbatus, ad Insulam Gallinariam secessit; comite quodam presbytero magnarum virtutum viro, nec multo post cum comperisset Hilario potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentavit occurrere; profectusque ad urbem, cum jam Hilarius præteriisset, in Gallias ad eum rediit, a quo gratissime susceptus, haud longe ab Pictaviensi urbe, circa annum 361., quo Hilarius in Gallias rediit, monasticam vitam duxit, in quo cum esset, miraculis cœpit inclarescere, ac duos mortuos ad vitam revocavit, ut narrat Sulpicius; e monasterio deinde eductus Turonicæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur, circa annum 375., ut suo loco dicturi sumus.

JESU

JESU CHRISTI AN. 358. LIBERII PAPÆ 7.
CONSTANTII IMP. 22.
COSS. NERATIO CEREALE, ET DATIANO
OLYMP. 284. AN. 2. URBIS AN. 1111.

Liberius Romam redit. Felix Antipapa ejicitur. Sozom. l. 4. 19.

1. Ut Romam redire permissus est Liberius; *Episcopi qui Sirmium convenerant*, ait Sozomenus, *ad Felicem, qui tum Romanæ Ecclesiæ præsidebat, & ad Clerum ejusdem civitatis scripserunt, ut Liberium susciperent, utque ambo Apostolicam Sedem gubernarent, & simul sacerdotio fungerentur absque ulla dissensione, & quidquid molestiæ acciderat propter Felicis ordinationem, atque absentiam Liberii, oblivioni traderent. Nam Liberium utpote virum undequaque egregium, & qui pro religione Imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impense diligebat, adeo ut ejus causa gravissimum seditionem excitaverit, & ad cædes usque proruperit*. Liberius itaque Romam quasi triumphans ingressus est, Felix vero Antipapa urbe ejicitur. De Liberii reditu, ac Felicis expulsione nonnulla scitu digna narrat Marcellinus, & Faustinus in libello ad Theodosium his verbis: *Tertio anno rediit Liberius*, inquiunt, *cui obviam cum gaudio populus Romanus exivit. Felix notatus a Senatu, vel Populo de Urbe propellitur, & post parum temporis impulsu clericorum, qui perjuraverant, irrumpit in Urbem, & stationem in Julii basilica trans Tiberim dare præsumit; quem omnis multitudo Fidelium, & Proceres de Urbe iterum cum magno dedecore projecerunt. Post annos octo Valentiniano, & Valente Coss. decimo Kal. Decembris die defunctus est Felix; Liberius misericordiam fecit in clericos, qui perjuraverant, eosque in locis propriis suscepit*; ii erant, qui Liberio urbe expulso juraverant, cum toto Romano Clero, nullum alium Pontificem eo vivente recepturos, nihilominus in Felicis ordinationem postea consenserant, eique paruerant. Mortuus est itaque Felix anno 365. Auctor vero Catalogi Romanorum Pontificum ita scribit de Felice ejusque abdicatione: *Felix*, inquit, *depositus de Episcopatu, habitavit in prædiolo suo a die tertio Kal. Augusti*. Quid deinde Liberius egerit, aut qua ratione instaurato prælio adversus Arianos certaverit, infra suo loco adnotabimus, non enim diu in ea perstitit simulatione, nec in Arianorum communicatione perseveravit; sed memor officii Petro, ejusque

Biblioth. PP t. 5. p. 652.

 suc-

JESU CHR. AN 358. Lucæ 22.23. Hier. adver. Lucif. successoribus a Christo Domino commissi, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; cum innumeri Episcopi in Ariminensi concilio Nicænæ fidei condemnationi subscripsissent, ita ut totus Orbis, teste Hieronymo, Arianum se esse ingemuerit; ipse Liberius præceteris pro Domo Dei, & Nicæna Fide certavit, ac lapsos, aut titubantes erexit, & confirmavit, ut ex synodica Damasi epistola ad Episcopos Illyrici, narrat Theodoretus, qui inter cætera hæc habet: *Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum constet, neque Romanum Episcopum*, idest Liberium, *cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos Sacerdotium illibate servavit, neque alios, hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse*. Sed de Liberii gestis infra.

Theod. l.2.22. Coutan. p.481

Terræmotus Nicomediam evertit. Socrat. l.2.39

2. Multiplicatis fidei formulis Arianorum dissidia in dies augebantur, quibus sopiendis, Nicomediæ alteram celebrari synodum jusserat Constantius; quominus tamen eo loco convenirent, impedimento fuit ingens terræmotus, quo Nicomediensium civitas corruit: *Id contigit Daciano, & Cereale consulibus*, idest hoc anno. De memoranda nobilissimæ Urbis calamitate hæc inter alia Sozomenus: *Hora secunda diei terræmotus cœpit; & ex Episcopis solus Cecropius Nicomediæ ipsius Antistes, & alius præterea quidem ex Bosforo extra Ecclesiam oppressi sunt; cumque civitas brevi temporis momento concussa sit, quicumque alio voluissent confugere, haud quaquam potuere, sed primo impetu ingruentis periculi fere, quo quisque loco steterat, aut servatus est, aut interiit. Ecclesia quoque ibidem magnifice extructa corruerat*, post terræmotum, *ignis exarsit, qui totam civitatem instar unius rogi, ut ita dicam, effecit*.

Sozom. l.4.16

Arsacii obitus, ejusque miracula. Sozom. l.4.16

3. Instantem calamitatem præviderat Arsacius, & ad Ecclesiam properans clericos monere cœpit, ut placando Numini incumberent, ejusque iram mox erupturam precibus averterent; cumque illis non persuaderet, sed ridiculus haberetur, ut qui insperatam prædiceret cladem, in turrim suam reversus est, pronusque in terram cadens Deum orabat, ut mori prius daretur, quam oculis suis cernere ruinam urbis illius, in qua Christi notitiam prius acceperat, in eaque turri, quæ inconcussa steterat, mortuus repertus est, humi prostratus, quo se orationem inchoaturus extenderat: *Is natione Persa, cum alendis Imperatoris Leonibus militaret, non ignobilis inter con-*

fesso-

fessores Principatu Licinii extiterat, abjectaque militia in arce Nicomediæ intra urbis muros commorabatur monasticæ disciplinæ studiis se se exercens. Virtutum vero, & miraculorum gloria ita profecerat, ut dæmones fugaret, eosque, qui ab illis vexabantur, liberaret: quadam vero die cum dæmoniacus per forum exerto gladio cursitaret, ac civitas tumultu plena esset, occurrens ei Arsacius, prolato Christi nomine furentis impetum fregit, & fugato dæmone ad sanam mentem reduxit. Alia quoque multa ab illo patrata sunt, quæ humanam vim superant, quæque longum esset exponere.

4. Cum ob Nicomediensem cladem synodus ibidem futura exturbata fuisset, ut sequenti anno duæ celebrarentur, jussit Constantius, Seleuciæ scilicet, & Arimini; dumque remedium aliquod tot Ecclesiæ malis expectaretur, Ætius, & Eudoxius Arianorum pestilentissimi, nova dissidia excitarunt, quibus sopiendis Ancyrana synodus hoc anno habita fuit, de qua antequam agamus, de Ætio, & Eudoxio, hæc sunt prænotanda; Ætium scilicet tantæ improbitatis fuisse, ut *Atheus* quoque *cognominatus sit*. Antiochia Syriæ ortus ex vineæ cultura, ac fabri arte, ad grammaticæ, & logicæ studia conversus, atque ex Aristotelis Cathegoriis captiosam argumentandi artem edoctus, sacrarum Litterarum doctrina adeo imperitus erat, ut Christianæ Religionis Scriptores aut ignoraret, aut sperneret; a Leontio nihilominus Antiocheno Episcopo Diaconus ordinatus, Arianæ perfidiæ eousque tenax fuit, ut Arianorum communioni renunciaverit, eo quod Arium in communionem recepissent, cum is Nicænæ Fidei, Constantini jussu, subscripsisset, uti suo loco adnotavimus; Georgium deinde Alexandriæ Ecclesiæ Pseudo-Episcopum adiit: & cum post mortem Leontii Eudoxius Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ invasisset: *Ætius ex Ægypto Antiochiam cum Eunomio ejus discipulo reversus est, cumque Eudoxium idem cum ipso sentientem deprehendisset, & simul cum impietate Sabariticas quoque delicias consectantem, Antiochenæ urbis domicilium reliquis anteposuit*, parasitorum vitam ducens, & modo apud Eudoxium, modo apud Eunomium *ventrem epulis, & crapula distendens*, ut ait Theodoritus.

De Ætio, & Eudoxio, eorumque gestis

Socr. lib. 2.35 Sozom. l.4.12 Nissen. contra Eunom. Philost. l.3.15

Theod. l.2.28.

5. Eudoxius vero relicto Germanicæ Episcopatu post Leontii mortem, Antiochenam Sedem anno elapso adeptus est absque consensu, aut Georgii Laodiceni, vel Marci Aretusii, qui

Eudoxius Antiochenam sedem occupat. Sozom. l.4.12

Jesu Chr an. 358.

qui tunc temporis inter Episcopos Syriæ præcipui habebantur, aut aliorum, quibus Antiocheni Episcopi ordinandi jus erat. *Fama porro est*, ait Sozomenus, *illum egisse ex sententia Imperatoris, suffragantibus Eunuchis palatii, qui una cum Eudoxio opinionem Ætii sequebantur, & Filium Patri dissimilem esse asserebant.*

Concilium Antiochenum Arianorum.

6. Post adeptam Antiochenam Sedem audacior factus Eudoxius, Arianorum hæresi adeo patrocinari cœpit, ut conventu Antiochiæ celebrato, una cum Episcopis, qui eidem opinioni favebant, ex quorum numero erat Acacius Episcopus Cæsareæ Palæstinæ, & Uranius Tyri, *una cum similis substantiæ vocabulo, Consubstantialis etiam vocem rejecit, causatus Occidentales quoque Episcopos idem decrevisse*: atque ad Ursacium, & Valentem, & Germinium litteras dedit; quibus gratias agebat, quod eorum opera Occidentales tandem in suam sententiam transiissent, ut habet Sozomenus. Ex hoc autem Antiocheno conciliabulo Anomeorum hæresis hortum habuit, quæ Filium Patri dissimilem dicebat: ex hoc etiam temerario Eudoxii facinore Arianorum factio, quæ hactenus in unum corpus coaluerat, in duas partes divisa est, Anomeorum scilicet seu Arianorum, & Semiarianorum, qui etsi Filium Patri consubstantialem esse inficiarentur, similem tamen dicebant; quam loquendi formulam Catholicorum etiam nonnulli retinuerunt, ii scilicet, qui Consubstantialis voce suppressa, Filium Patri per omnia similem absque ulla differentia esse ajebant, quod idem est, ac Consubstantialem dicere, ut ex Athanasio, Hilario, Basilio discimus: hinc etiam factum, ut divisis inter se Arianis, mutuoque certantibus, Catholica Fides splendidior appareret; atque adversarios suis ipsorum armis vinceret, juxta illud Evangelii: *Regnum in se divisum desolabitur.*

Luc. 11.

Ancyrana Synodus Semiarianorum Anomeos condemnat. Sozom. l.4.13.

7. Cum autem Antiochenam Ecclesiam temeritate sua Eudoxius turbaret, atque resistentes sibi Ecclesia pelleret, qui ejecti fuerant *acceptis litteris Georgii Laodiceni Episcopi Ancyram Galatiæ venerunt*, inquit Sozomenus, *qui tunc forte ad dedicationem Basilicæ a se constructæ multos vicinarum urbium Episcopos convocaverat, quibus Georgii epistolam tradidit, quæ sic habuit. Dominis honoratissimis Macedonio, Basilio, Cecropio, Eugenio, Georgius in Domino salutem. Ætii naufragium totam pene comprehendit Antiochiam. Etenim Eudoxius discipulus execrabilis Ætii, qui a vobis ignominia notati sunt, omnes*

Georgii epist. contra Eudoxium, & Ætium.

omnes suscipiens, in clerum promovet, ipsumque Ætium hereticum præcipuo honore prosequitur. Succurrite igitur tantæ civitati, ne illius naufragio totus simul Orbis abripiatur. Et aliquibus interjectis, hortatur eos, ut Eudoxium Antiochena Sede deturbent; alioquin, subdit: *Si Ætius filium patri dissimilem dicere perrexerit, eosque, qui istud dicere audent, iis qui aliter dicunt, anteponere, periit vobis, ut jam dixi, urbs Antiochia.* Episcopos duodecim contra Eudoxium, & Ætium Ancyræ convenisse Epiphanius narrat, ac nomina eorum, qui Synodicæ Epistolæ subscripserunt, recenset; in eaque tempus synodi his verbis adnotat: *Sacrosancta synodus, quæ Ancyræ paulo ante Pascha, ex variis provinciis collecta est.* In ejusmodi epistola, se vehementer optasse, ajebant Ancyrani Patres, ut post expositionem Fidei, quæ in synodo Antiochena occasione dedicationis Templi anno 341. vulgata fuerat, ac deinceps in Sardicensi concilio confirmata, omni remoto scandalo, pax & concordia vigeret. At cum nonnulli Antiochiam, Alexandriam, Lydiam, & Asiam concursantes, impietatis semina ubique spargerent, necessarium ipsis visum fuisse addunt Trinitatis mysterium enucleatius exponere. Dei itaque Filium natura, potestate, tempore, Patri æqualem esse profitentur, & anathematismis duodecim eos feriunt, qui eum Patri dissimilem, aut tempore posteriorem dicebant.

Hardin. t.1. p.708. Epiph.hær.73

8. Ut novatorum temeritatem reprimerent Ancyrani Patres, ad Imperatorem, Basilium Ancyræ Episcopum, Eustathium Sebasthenum, Eleusium Cyzici, & cum illis Leontium quemdam presbyterum, qui olim a cubiculo Imperatoris fuerat, legatos miserunt. Eos tamen Asphalius Antiochenæ Ecclesiæ presbyter, ejusdem cum Ætio perversitatis particeps, præcesserat, qui confectis rebus, quarum causa advenerat, & litteris a Principe impetratis, reditum maturabat. Auditis tamen Ancyranæ synodi legatis, Eudoxium Constantius condemnavit, atque loco prioris epistolæ Asphalio traditæ, hanc alteram ad Antiochenos dedit. *Victor Constantius Maximus Augustus sanctæ Ecclesiæ, quæ est apud Antiochiam. Eudoxius non a nobis missus advenit: nemo vestrum ita existimet. Longe aliter affecti sumus, quam ut talibus favere velimus.* Ac plurimis de Eudoxii, & Ætii improbitate prænotatis, ut ab eorum hæresi fraudibusque caverent, Antiochenses hortatur, & ut Filium Dei similem secundum substantiam dicerent, admonet.

Constantii Epist. contra Eudoxium,& Ætium adAntiochenos. Sozom. l.4.13. 14.

Jesu Chr. An. 358.

monet. *Interim vero sufficiet, a cœtibus Ecclesiasticis, & a publico conventu eos arceri. Neque enim in præsentiarum dicere velim ea, quæ paulo post passuri sunt, nisi a rabie ista temperaverint.* Et sane non solum Ecclesiis ejecti sunt Eudoxius, Ætius, & Eunomius, aliique ejusdem impietatis socii, sed & exilio, si fides Philostorgio habenda est; nam diversa agendi ratione in eam sententiam Constantius incidit, qua Apostolus ait: *Si quæ destruxi iterum ædifico, prævaricatorem me constituo*, cum eos, qui Filii cum Patre similitudinem abnegabant, epistola sua tam acriter insectatus est, quos paulo post honore affecit. Ejus inconstantiam his verbis arguit Hilarius: *Hoc nunc a te Constantii requiro, in qua tandem fide credas. Pergo enim nunc per demutationis tuæ tempora, quibus usque in imum blasphemiæ tuæ barathrum descendens per gradus præcipites cucurristi. Namque post primam veram fidem synodi Nicænæ, congregato rursus Antiochiæ concilio, fidem, tibi renovas. Sed accidit tibi quod imperitis ædificatoribus, quibus sua semper displicent, accidere solet; ut semper destruas, quod semper ædificas*; & post aliqua: *post synodum Sardicensem, omnem rursus adversum Photinum Syrmium Catholicæ doctrinæ tuæ commoves curam. Sed tibi statim hoc, quod utraque fide continebatur, exhorret. Eos autem, qui dicunt de non exstantibus esse Filium Dei, vel ex alia substantia, & non ex Deo, & quod erat aliquando tempus, aut sæculum quando non erat, alienos novit sancta, & Catholica Ecclesia. Tuis ipsis diffides, & adversus tuos hostis rebellas. Novis vetera subvertis, nova ipsa rursum innovata emendatione rescindis, emendata autem iterum emendando condemnas. Suscipis etiam adversum deliramenta Osii, & incrementa Ursacii, ac Valentis emendationum tuarum damnationes: sed mox emendanda tua omnia esse, vel potius damnanda constituis.*

Ad Galat. 2. Hilar. contra Const. tom. 2. p. 519.

Constantii inconstantia redarguitur.

9. Ad hæc tempora pertinent Cyrilli Hierosolymitani Episcopi cum Acacio Cæsareæ Episcopo, ac Palæstinæ Metropolitano dissidia, tum ob fidei diversitatem, cum etiam ob Sedium privilegia; nam Acacius utpote Palæstinæ Metropolita, Hierosolymitanæ Ecclesiæ præesse contendebat; Cyrillus vero ob Sedis suæ dignitatem Acacio subesse recusabat, cui & Nicæna synodus inter provinciæ Episcopos primatum dederat, salva tamen Metropolitani reverentia; qua de causa in Palæstina synodo Cyrillum Acacius sua sede ejecerat, ejusque loco Euty-

Cyrillus Episcopatu ab Acacio deponitur.

Entychium ordinaverat: *Post susceptum Hierosolymorum Episcopatum*, ait Sozomenus, *de jure Metropolitano Cyrillus adversus Acacium Episcopum Cæsareæ controversiam moverat, tanquam Apostolicam Sedem obtinens*. Ex quo factum est, ut inimicitias inter se susciperent, seseque mutuo accusarent, quod non recte sentirent de Divinitate, Acacius quidem, quod cum Ario sentiret: Cyrillus vero, quod eos sectaretur, qui Filium Patri similem secundum substantiam assererent. Itaque Acacius una cum Episcopis Provinciæ Palæstinæ, qui eadem cum ipso sentiebant, Cyrillum deposuit; hanc etiam adversus eum accusationem proferens, quod cum Hierosolymorum regio fame affligeretur, ad sublevandam pauperum inopiam, famemque depellendam Cyrillus thesauros Ecclesiæ, & sacra vasa distraxisset. Hanc igitur causam prætexens Acacius Cyrillum deposuit: *Et hæc quidem ita gesta esse auditione accepi*, ait Sozomenus; Cyrillus autem, *appellationis libello ad eos, qui eum deposuerant, misso, ad majus judicium provocavit; cui etiam appellationi Imperator Constantius adstipulatus est*, subdit Socrates hæc addens: *Ceterum depositus est propterea, quod sæpius in judicium vocatus, duobus continuis annis non comparuerat, accusationes reformidans*. Acacii tamen perfidia Sede sua dejectum fuisse Cyrillum hactenus dicta demonstrant, in quam Juliano imperante rediit.

JESU CHR. AN. 359. Sozom. l. 4. 25 Socrat. l. 2. 40 Theod. l. 2. 26. 27.

10. Ad res Imperii quod attinet, *Daciano, & Cereale Coss., introierunt Constantinopolim legati Persarum die septima Kal. Martii*, ait Idacius. De ea legatione Themistius oratione decima: *Nuper Antiochiæ Caduceatores vidi a suis, & Ecbatanis missos cum litteris bysso candida involutis, quibus petebatur a Præfecto, ut fœdus cum Imperatore Persis impetraret*. Rem gestam pluribus narrat Marcellinus, ac addit Musonianum Præfectum Prætorio Sapori persuasisse, ut ad ineundam pacem legatos mitteret; quare cum litteris suis Narcisum Sapor ad Constantium misit, quarum hæc erat inscriptio. *Rex Regum Sapor, Princeps syderum, frater Solis, & Lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem plurimam dico*. Armeniam vero, & Mesopotamiam avo suo ablatam sibi restitui petebat; his conditionibus Constantius subscribere noluit, sed Sapori in hæc verba rescripsit: *Constantius victor terra, marique semper Augustus, fratri meo Sapori Regi, salutem plurimam dico. Pacem non refutamus, nec repellimus, adsit modo cum decore, & ho-*

Inter Romanos, & Persas de pace agitur.

Marcell. l. 17. 5.

JESU CHR. AN. 358. *nestate, nihil pudori nostro præreptura, vel majestati. Est enim absonum, & indecens ea prodere, quæ contracti in Orientales angustias diu servavimus illibata.* Re itaque infecta, paulo post bellum inter utrumque Imperium exarsit; de quibus infra. Majori felicitate cum Quadis, aliisque Barbaris gentibus Constantius pugnavit; aut Julianus cum Germanis, & Gallis, quos vel armis vicit, vel ad ineundam cum Imperio societatem adegit; de quibus adeundi Marcellinus, & Zosimus.

Marcell. l. 17. 13.

JESU CHRISTI AN. 359. LIBERII PAPÆ 8.
CONSTANTII IMP. 23.
COSS. FLAVIO EUSEBIO, ET HYPATIO.
OLYMP. 284. AN. 3. URBIS AN. 1112.

De Eusebio, & Hypatio Coss. *Marcell. l. 21 6., & lib. 29. cap. 2.*

1. Eusebius, & Hypatius Consules Eusebiæ Augustæ fratres erant, quos sub Valente Imperatore ab Heliodoro perduellionis accusatos fuisse, narrat Marcellinus: *Egregium illud par Consulum*, inquit, *Eusebium & Hypatium germanos fratres Constantii Principis quondam affines, ad cupidinem altioris fortunæ erectos. & consuluisse, & agitasse quædam super Imperio detulit.* Eusebio, & Hypatio consulibus signatus est vetustissimus Junii Bassi Sarcophagus pario marmore, & opere Corinthio elaboratus, altitudine & latitudine palmorum quinque circiter, longitudine vero palm. novem cum dimidio. Nobilissimum antiquitatis monumentum in Vaticanis cryptis servatum, post Aringhium, & Bottarium, eruditissimis notis illustravit Philippus Dionysius Vaticanæ Basilicæ Beneficiarius. Nobis adnotasse sufficiet, illustrem Bassorum familiam inter Christianas recensuisse Prudentium in libro contra Simmacum his versibus:

Junii Bassi Præfecti urbis inscriptio sepulchralis.

Cryptæ Vaticanæ Illustr. tab. 81. & p. 201.

Lib. 1. vers. 559.

Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit
Prompta fides dare se Christo.

Junium vero Bassum in ipsa Urbana Præfectura, paucis a suscepto baptismate diebus, in albis ultimum diem hoc anno obiisse, inscriptio ejus sepulcro posita testatur his verbis:

JUNIUS

JUNIUS BASSUS, VC. QUI VIXIT ANNIS XLII. MEN. II.
IN IPSA PRAEFECTURA URBI NEOPHYTUS IIT AD DEUM
VIII. KAL. SEPT. EUSEBIO, ET IPACIO COSS.

Nec mirum cuiquam esse debet Junium Bassum, die ultimo instante, baptisma suscepisse. Scimus etenim ea adhuc ætate, quin & seculo etiam sequenti, apud plurimos in more fuisse, ut ad ultimum usque diem, aut saltem ad longævam ætatem sacris undis ablui differrent; ut interea licentius viverent, suisque indulgerent voluptatibus, aut ut securius de hoc seculo, baptismatis stola induti, exirent. In quam consuetudinem, seu potius abusum, hujus & sequentis seculi sanctissimi viri Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Joannes Chrysostomus aliique stylum exacuerunt. At longo tempore adhuc eam apud nonnullos viguisse consuetudinem, hæc altera sequentis sæculi inscriptio probat, anno 463. Fl. Basilio Coss. posita his verbis: *Apud Norif. in fastis consu. p. 43. Bar. an. 463.*

NATUS SEVERI NOMINE PASCASIUS
DIES PASCALES PRID. NON. APRIL.
DIE JOVIS CONSTANTINO
ET RUFO VV. CC. CONSS. QUI VIXIT
ANNORUM VI. PERCEPIT
XI. KAL. MAJAS ET ALBAS SUAS
OCTAVAS PASCHÆ AD SEPULCRUM
DEPOSUIT D. IIII. KAL. MAII FL. BASILIO VC. COSS.

Hic itaque Pascasius natus Constantino Coss. anno 457. pridie nonas Aprilis die Jovis, albas vestes, quas in Baptismate Pascatis festo receperat undecimo Kal. Maji, quarto Kal. ad sepulcrum translatus deposuit, ac Neophytus obiit anno 463.

2. Cum Constantius Imperator contra Apostoli præceptum, *omni doctrinæ vento* circumferretur, celebrandis synodis, novisque fidei formulis edendis, nullum faciebat finem; ita ut per Orbem Romanum cursitando, non solum fatigarentur Episcopi, sed & *rei vehicularia succideret nervos*, ut adnotavit Marcellinus. Hoc anno duo indicta fuerant concilia Seleuciæ scilicet, & Arimini celebranda; interea alterum celebratum fuit hoc anno, cui Imperator adfuit una cum Episcopis qui *Syrmiensis synodus, & fidei formula. Ad Ephes. 4. 14. Marcell. l. 21 16.*

JESU CHR. AN. 358. qui aulam sequebantur, quorum primi Georgius Alexandriæ pseudo Episcopus, & Basilius Ancyræ Semiarianorum antesignanus. De ea synodo, & fidei formula ibidem a Marco Aretusio edita, hæc habet Geminii epistola anno 366., aut 367. scripta. *Miror*, inquit, *Valentem, aut oblitum esse, aut subdole dissimulare, quid in præteritum gestum definitumque sit. Nam sub bonæ memoriæ Constantio Imperatore, quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu ejusdem Imperatoris, præsentibus Georgio Episcopo Alexandrinorum Ecclesiæ, Pancratio Pelusinorum, Basilio Episcopo tunc Anquiritano, præsente etiam ipso Valente, & Ursacio, & mea parvitate, post habitam usque in noctem de fide disputationem, & ad certam regulam perducta, Marcum ab omnibus nobis electum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est*: Filium similem Patri per omnia, ut sanctæ dicunt & docent Scripturæ: *Cujus integræ professioni consensimus omnes, & manu nostra subscripsimus*. Hæc Germinius de fidei formula Sirmii hoc anno edita, de qua Athanasius: *Hæc cum scripsissent, consilio iterum mutato, eam edidere fidei formulam, quam se cum consulatu edidisse postea erubuere, de more autem quasi hunc item improbarent, curarunt, ut per Martinianum Notarium exempla ab iis, qui haberent, auferrentur; & cum Constantio Imperatori auctores fuissent, ut adversus eam edictum* promulgaret, *aliam rursus tradidere, additisque uti solent quibusdam verbis, hæc in Isauria conscripserunt*, idest Seleuciæ, ut mox videbimus; eamdemque formulam Syrmii editam, in Ariminensi synodo ad subscribendum propositam fuisse ab Ursacio, & Valente, tradit Socrates: *Cum in consessu Episcoporum*, idest Arimini, *alius aliud proponere conaretur, Ursacius, & Valens, pro non scriptis habenda esse dixerunt, quæcumque de fide antehac promulgata essent, & suscipiendam esse novissimam illam fidei formulam, quam ipsi paulo ante Syrmii convenientes ediderunt. His dictis chartulam, quam præ manibus habebant, legendam curarunt; tertiam scilicet fidei formulam, quam ipsi cum apud Syrmium composuissent, illic quidem occultam tenuerunt*, qua hæc habentur: *Exposita est Fides Catholica præsente Domino nostro Constantio, Flavio Eusebio, & Hypatio viris clar. Coss. Syrmii die undecimo Kal. Junias. Credimus in unum Deum &c.* Ea fidei formula a Catholicis ea de causa rejecta est, quod substantiæ nomen reticendum juberetur: *No-*

Apud Hier. fragm. 15. n. 2. p. 708.

Athan. de syn. p. 741. t. part. 2.

Socrat. l. 2. 37

Nomen substantiæ quod a Patribus simplicius positum, a populo vero minime intellectum offensioni esset plurimis, propterea quod in Scripturis non continetur, placuit omnino removeri, nec ullam deinceps, cum de Deo sermo est, substantiæ fieri mentionem, quoniam Scripturæ sacræ nusquam meminerunt substantiæ Patris, & Filii, Filium vero per omnia similem Patri dicimus, quemadmodum sanctæ Scripturæ dicunt, ac docent. Hactenus fidei formula Syrmii primum edita undecimo Kal. Junias, ut habent Athanasius, & Socrates: *Ea nocte, quam dies Pentecostes secuta est*, ait Epiphanius, quasi luberet errorem ea die vulgare, qua Spiritus veritatis Mundo illuxit. Jesu Chr. an. 359. Epiph. hær. 73.22.

3. De Seleucienfi, & Ariminenfi fynodis narrat Athanafius, *Nicæam Episcopos primum ab Imperatore vocatos fuisse; at mutato consilio paulo post jussisse*, ut Occidentales Episcopi Ariminum in Italia convenirent, Orientales vero Seleuciæ, quæ Aspera dicitur in Isauria, convocarentur. Scopus autem hujusmodi conventus erat, ut de fide in Dominum nostrum Jesum Christum, ut jactabatur, ageretur; vera tamen, ut sub ementita afferendæ fidei specie Nicænam fidem ab Orbe Catholico, si fieri potuisset, eliminarent. Tum improbi consilii auctores fuere Ursacius, Valens, Geminius, Eudoxius, Patrophilus Arianæ perfidiæ patroni. Cur autem Episcopos in unum concilium convenire jussi, in duas quodammodo partes divisi sint, ita ut alii Seleuciam, Ariminum alii vocati fuerint, hanc Athanasius rationem reddit, Arianos scilicet ex ea divisione sperasse, ipsorum hæresim facilius persuaderi posse, ac utramque synodum in suam sententiam pertrahere, sin minus alteram saltem. Cur duæ fynodi indictæ fuerint.

4. Ut Ariminum Episcopi in unum collecti convenerunt: *Fit partium secessio*, inquit Severus, *Ecclesiam nostri obtinent, Ariani ædem de industria vacantem orationis loco capiunt*. Ex Catholicis quadringentos & amplius adfuisse cum Athanasio testatur Severus, ex Arianis vero vix octoginta, iisque in unum collectis, *dum Episcopi omnes ex divinis Scripturis differerent*, Geminius, Auxentius, Valens, Ursacius, Demophilus, & Gajus *producta charta, ubi Consulatum legissent, postulabant, ut hæc tot anteferrentur synodo, & nihil ultra ab hæreticis quæreretur, nec eorum expiaretur sententia, sed hæc eorum scripta sufficerent*; exhibentes scilicet fidei formulam, quam præmisso Eu- De Episcoporum ... S. lib. Athan. p. 720. Athan. ut sup. p. 721.

JESU CHR. AN.359.
Socrat l.2.37
Sozom.l.4.17.

Eusebii, & Hypatii consulatu Syrmii hoc anno ediderant, & in qua substantiæ vocabulum reticendum esse jubebant; ut supra jam adnotavimus, ex Athanasio, Socrate, & Sozomeno.

Ariminenses Patres Arianos, & Arianam perfidiam damnant.

5. His perlectis, idest Syrmiana fidei formula, *non diu postea eorum, qui scripserant, infidelitas deprehensa est*, subdit Athanasius, *Episcopis enim proponentibus, ut Ariana cum aliis hæresibus damnaretur, acquiescientibus omnibus, Ursatius, & valens cum sociis renuerunt; utpote qui eo tantum consilio illuc advenerunt*, ut ea quæ Nicææ acta fuerant abrogarent, eorumque loco nefariam inducerent hæresim. Quorum fraudem ut congregati Episcopi cognoverunt: *Nos non ideo huc convenimus, quod fide egeremus, in nobis enim ipsis sanum habemus fidem; sed ut eos, qui veritati repugnant, & nova moliuntur, pudore afficeremus*. Quare hoc unum petebant, ut Ariana hæresis unanimi animorum concordia damnaretur, cumque Episcopi fere omnes in eandem convenirent sententiam, iisque satis exploratum esset, Ursacium, Valentem, Geminium, Auxentium, C[illegible], & Demophilum, utpote Arianorum principes sedibus [illegible] indignos, communioneque Ecclesiæ alienos esse, ea de re ad Imperatorem in hæc verba scripserunt.

Ariminensium Patrum epist. ad Constantium.
Hilar. fragm. 4. pag. 687.
Socrat.l.2.37.
Sozom.l.4.18.

6. *Jubente Deo, ex præcepto pietatis tuæ credimus fuisse dispositum, ut ad Ariminensium locum ex diversis Provinciis Occidentalium Episcopi veniremus, ut fides claresceret omnibus Ecclesiis Catholicis, & hæretici noscerentur*; ac se non aliam fidem, quam a Prophetis, Apostolisve acceptam, ac a Nicæna synodo confirmatam profiteri testantur, quam aliquid addendo, aut subtrahendo temerare nefas esse subdunt. Eamque ob rem cum in hæreseos Arianæ suspicionem aliquando venissent Ursacius, & Valens, ab Ecclesiæ communione suspensi sunt, usquedum petitam coram Rom. Ecclesiæ Legatis, præsenteque Imperatore Constantino veniam obtinuerunt. Eamdemque idcirco Nicænam fidem sequens Constantinus, *baptizatus ad quietem Dei commigravit*; quo solo Ariminensium Patrum testimonio, in vitæ exitu, & in Catholicæ, Nicænæque fidei professione Constantinum baptizatum fuisse patet. *Quare cum pietatis tuæ*, subdunt post aliqua Ariminenses Patres, *litteræ jussserunt tractari de fide, offerebatur nobis a supradictis turbatoribus Ecclesiarum, associato Geminio, Auxentio, & Gajo, novum nescio quid considerandum, quod multa perversæ doctrinæ contine-*

tinebat. Ideſt novam fidei formulam hæretica labe aſperſam. *Ob quam rem*, poſt aliqua addunt, *ad inſtruendam tuam clementiam, legatos miſimus, qui tibi ſententiam Synodi per epiſtolam indicent, quibus hoc ipſum ſolum mandamus, ut non aliter legationem perferrent, quam ſtatuta vetera, permanerent firmiſſima. Tandem*, inquiunt, *ut præcipias tot Epiſcopos, qui Arimino detinentur, inter quos plurimi ſunt, qui ætate, & paupertate defecti ſunt, ad ſuam Provinciam remeare: ne deſtituti ſuis Epiſcopis laborent populi Eccleſiarum &c.* Hactenus Ariminenſium Patrum ad Conſtantium epiſtola, de qua hæc Hilarius adnotat: *Cum hac epiſtola integræ fidei ſubſcribentes Epiſcopi catholici miſerunt decem legatos ad Imperatorem. Nihilominus & pars hæreticorum miſit ex ſuo corpore decem legatos, qui ubi venerunt ad Imperatorem ſuſcepti ſunt, ita ut legati catholicorum non ſuſciperentur, atque longa dilatione fatigati, & minis Imperatoris perterriti damnaverint integram fidem, quam antea defendebant, & ſuſceperint perfidiam, quam ante damnaverant.*

JESU CHR. AN. 359.

Pag. 682.

7. Ad Epiſcopos Arimini congregatos ſexto Kal. Iunias ſcripſerat Conſtantius eoſdem admonens, ut de fide tantum agerent, atque ab Orientalium cauſa judicanda ſe abſtinerent. *De fide*, inquit, *atque unitate tractari debere cognoſcat ſinceritas veſtra, atque operam dare, ut eccleſiaſticis rebus ordo competens præbeatur; deinde adverſus Orientales nihil ſtatuere vos oportet: aut ſi aliquid volueritis contra eoſdem prædictis abſentibus definire; id quod fuerit uſurpatum irrito evaneſcet effectu.* Hæc aliaque in eamdem rem Conſtantius. *VI. Kal. Junias Euſebio, & Hypatio Coſs.* Interea accepta tum Catholicorum, tum Arianorum legatione, Arianos quidem, ut habet Hilarius, ſtatim admiſit; Catholicos vero eouſque diſtulit, ut moræ tandem impatientes, Sirmianæ formulæ ſubſcriberent, Ariminenſibus vero Patribus in hæc verba iterum ſcripſit.

Conſtantii epiſt. ad Epiſcopos Arimini congregatos.

Hilar. pag. 684.

8. *Præcipuam nos ſemper curam gerere divinæ, ac venerabilis legis, ne veſtra quidem ſanctitas ignorat. Verumtamen viginti Epiſcopos a veſtra prudentia miſſos, qui legationem veſtro nomine obeundam ſuſceperunt, hactenus nobis videre non licuit. Urget enim nos expeditio adverſus Barbaros: & quemadmodum noſtis, animo ab omni cura, ac ſollicitudine vacuo, divinæ legis negotia tractanda ſunt. Quamobrem Epiſcopis*

Conſtantii Imper. epiſt. ad Ariminenſes Patres. Socrat. l. 2. 37.

Jesu Chr. an. 359.

copis mandavimus, ut reditum nostrum Hadrianopoli expectarent; ut postquam ea, quæ ad Rempublicam pertinent, recte fuerint constituta, tunc demum, quæ ab illis suggesta fuerint, audire; atque expendere valeamus. Interim vero nequaquam molestum sit vestræ gravitati, eorum reditum præstolari, ut cum reversi fuerint, nostra ad vos responsa referentes, ea, quæ ad utilitatem Ecclesiæ Catholicæ pertinent, ad exitum perducere possitis. His acceptis Ariminenses Patres Imperatori rescripserunt, se a proposito nullatenus discedere posse; & ut ad suas Ecclesias redire possent, enixe rogarunt: *Obsecramus iterum Clementiam tuam, ut ante hyemis asperitatem ad ecclesias nostras remeare nos jubeas*; ne tot Ecclesiæ tandiu suis Pastoribus viduatæ remanerent. Cumque ibidem diu detinerentur, aliis epistolis se Nicænam fidem sequi, iterum testati sunt; eique nihil detrahendum, aut addendum esse obtestantes. Longiori tamen fidei professione catholicam clarius doctrinam exposuerunt, atque adversus Nicænæ Fidei corruptores, nominatim vero adversus Valentem, & Ursacium, Geminium, & Gajum excommunicationis sententiam tulerunt.

Socrat. l. 2. 37. Theodor. lib. 2. 20.

Hilar. frag. pag. 684. 686.

Legati Ariminensis Synodi Sirmianæ Formulæ subscribunt. Harduin. tom. 1. pag. 719. Hilar. fragm. 8. pag. 690. Socrat. l. 2. 37. Theod. l. 2. 21.

9. Interea Ariminensis Concilii Legati, longa dilatione fatigati, minisque Imperatoris perterriti, Nicæam Thraciæ perducti fidei formulæ Sirmii editæ subscripserunt, atque sententiam in Valentem, & Ursacium latam retractarunt. Conciliabuli acta *Eusebio, & Hypatio Coss. VI Idus Octobris* signata fuisse narrat Hilarius, ac addit Nicææ, quæ olim Ustodigo vocabatur, in Provincia Thraciæ Arianorum aliquos convenisse, ubi cum essent, præsentibus legatis synodi Ariminensis, hactenus adversus Ursacium, Valentem, Geminium, & Gajum gesta retractata sunt; eosque utpote hæresis Arianæ patronos, sectatoresque ab ecclesiæ communione suisque sedibus dejectos jure meritoque fuisse dixerunt. Nihilominus re attentius considerata, Catholicam eos tunc fidem sequi addiderunt, quos ideo pacis & concordiæ amore suis sedibus ecclesiæque communione dignos judicarunt; interrogati itaque quotquot aderant, num iis subscribere vellent; *ab universis episcopis dictum est, placet, & subscripserunt*. Hactenus de Arianorum gestis Nicææ, quæ quidem, ut adnotat Socrates, eo consilio facta sunt, ut nominis similitudine simpliciores deciperent, dum putant eam esse fidem, quæ apud Nicæam Bithyniæ

thyniæ urbem conscripta fuerat. Verum hujusmodi commentum nihil eis profuit; paulo post enim fraus detecta est, ipsique omnium ludibrio expositi fuerunt.

Fidei formula Nicææ Thraciæ vulgata.

10. Quam vero promulgavere fidem, ipsa est, quæ Sirmii vigesima secunda Maji hoc anno condita fuerat; quæque ab Ursacio, & Valente Ariminensibus Patribus lecta, non sine indignatione rejecta fuerat, in ea enim substantiæ vocabulum explodebatur, & similis Patri Filius dicebatur. *Interea*, inquit Sulpicius, *legatos Ariminensis concilii ex parte nostrorum*, idest catholicorum, *compellit Imperator hæreticorum communioni uniri, eisdemque conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus involutam, quæ catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur, namque Usiæ verbum tamquam ambiguum, & temere a Patribus usurpatum, neque ex auctoritate Scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebat, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Eadem fides similem Patri Filium profitebatur, sed interius aderat fraus parata, ut esset similis, non esset æqualis*. Hactenus de fidei formula a legatis subscripta, ad cujus subscriptionem fraude, & vi inductos fuisse, Hilarius, & Athanasius testantur: *Nam primum ea, quæ Nicææ Thraciæ omnium impietas resolvisset, sancta esse testatur*, vim scilicet illatam Episcopis, *fidem esse veræ confessionis affirmans*, ait Hilarius; Athanasius vero de gestis Nicææ in Thracia: *Qui Ariminensi synodo depositi fuerant*, Ursacius, & Valens, allique perfidiæ socii, *Constantium adeuntes effecerunt, ut indignissime acciperentur illi*, idest Synodi legati; *minis quoque additis non licitum fore illis, qui contra se sententiam tulissent ad proprias ecclesias remigrare, vimque ipsos in Thracia illa ipsa hyeme perpessuros, ut eo pacto res a se innovatas illi tolerarent*; & iterum post aliqua *sed hæc quidem dissimulant*; gesta scilicet Nicææ in Bithynia sub Constantino Imperatore ab Episcopis 318: *Ea vero, quæ in Thracia per vim gesta sunt, obtendunt*.

Sulpic. lib. 2.

Hilar. contra Auxentium t. 2. pag. 598.

Athan. epist. ad Afros to. 1. part. 2. pag. 893.

Ariminenses Patres legatos a communione removent, ac Sirmianæ formulæ subscribunt

11. Postquam Ariminensis synodi Legati Sirmianæ formulæ subscripserant, majora se tentare posse Imperator præsumpsit, atque universam synodum in suam sententiam, seu potius in Ursacii, & Valentis perfidiam pertrahere. *Non contentus ruina decem legatorum, mittit Ariminum, ut omnes illic Episcopi similiter verterentur*, ait Faustinus in libello ad Theodosium; quibus machinis synodi constantiam fregerit, quæ

Jesu Chr. an. 359. quæ primum legatos suos ob prævaricationem communione sua rejecerat, Sulpicius narrat. Præfecto itaque mandavit Imperator, ut Synodum non dimitteret, priusquam conscriptæ fidei consentire omnes subscriptionibus profiterentur: ac si qui pertinacius obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exilium pellerentur. Interea reversis legatis, ac vim se passos fuisse testantibus, negata communio est; paulatim tamen plerique, vel imbecillitate ingenii, aut tædio longioris moræ, dedere se se adversariis, ac paulo post turmatim in partem alteram transierunt, itaut viginti tantum Sirmiensi formulæ subscribere recusaverint. Hi autem quanto pauciores, tanto validiores erant. Inter eos Phæbadius, & Servatius Episcopi recensebantur, quos Taurus Præfectus precibus aggressus lacrymans obtestabatur, ut & ipsi tempori inservientes subscriberent, atque ita Episcopi jam septimum mensem Arimini, ærumnis, & injuria hyemis, ac inopia confecti dimitterentur; Phæbadius tamen paratum se exilio, atque ad omne supplicium ajebat, priusquam ab Arianis fidem reciperet. Cumque diu, acriterque de his disceptaretur, tandem Phæbadio ceterisque potestas facta est oblatæ fidei formulæ addendi quidquid placeret, eoque modo synodus finem habuit, cum fidei formulæ a Phæbadio, & Servatio oblatæ omnes subscripsissent; qua etsi Arius, totaque ejus perfidia damnata sit, Patri tamen æqualis, & sine initio, sine tempore Dei Filius nequaquam dicebatur. Alias etiam artes ad fallendos catholicorum animos, atque ad subscriptionem dubiæ fidei alliciendos ab Arianis adhibitas fuisse narrant Ruffinus, & Hieronymus; præceteris, ut palam faceret Valens se ab Arii blasphemiis alienum esse, cum quadam die congregatis in Ecclesia Episcopis, Claudius Provinciæ Piceni Episcopus blasphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cœpisset, Valens suas esse negans, exclamavit, & dixit, *si quis negat Christum Deum, Dei Filium ante secula ex Patre genitum anathema sit*. Deinde si quis negat Filium similem Patri secundum Scripturas, aut dixerit, erat tempus quando non erat Filius, anathema sit. Quæ a cunctis Episcopis, & tota simul Ecclesia, plausu quodam, & tripudio excepta fuere.

Sulp. Sever. lib. 2.

Ruffin. hist. lib. 1. 21. Hieronym. adv. Lucif. cap. 7.

12. His gestis, ut tandem redeundi sibi potestas daretur, ad Imperatorem hanc epistolam dederunt Patres, qua tam Usiæ, quam Homousii nomina a se abdicata fuisse narrant. Do-

Ariminensis Synodi epist. ad Imp.

Domino merito Gloriosissimo Victoriosissimo Augusto Constantio, synodus Ariminensis Orientalibus consentiens, idest ut subdit Hilarius, *Migdonius*, quem primum locum in ea synodo obtinuisse ex Hieronymo supra vidimus; itaque *Migdonius, Megasius, Valens, Epictetus, & ceteri, qui heresi consenserunt*, ut habet Hilarius, *illustrati pietatis tuae scriptis, maximas Deo retulimus, & referimus gratias, quod nos beaveris, intimans nobis illa, quae cum discursione pietatis tuae facere deberemus, ne quis Usiae vel Homousii nomina Dei ignota aliquando nominet, quod scandalum inter fratres facere solet; plurimum gratulati sumus, quia id, quod tenebamus, recognovimus*. Ac iterum ut ad proprias tandem Sedes remitterentur, enixe nec semel, sed iterum, & tertio rogant.

Harduin. tom. 1. pag. 719. Hilar. frag. 9. pag. 691. Hieron. advers. Lucif. cap. 7.

13. Ob infaustum adeo Ariminensis concilii exitum, tota ingemuit Ecclesia, ac teste Hieronymo; *Tunc Usiae nomen abolitum est, tunc Nicaenae fidei condemnatio conclamata est; ingemuit totus Orbis, & se esse Arianum miratus est*. Ab Arianae tamen haeresis labe Ariminenses Patres excusari facile posse, invictissimis argumentis probat Natalis Alexander, ejusque opinioni subscribit Basnagius, & sane ut praetereamus invitos pene, manu tantum, non mente subscripsisse, nil ipsa fidei formula continebat, quod haeresim saperet; nisi quod Usiae, & Homousii vocabula rejicerentur; quibus, Athanasio & Basilio testibus, Catholicorum plurimi, oeconomia quadam ducti, abstinebant, aliis verborum formulis catholicum dogma exponentes, eaque de caussa Ariminenses Patres, sine conscientia haereticos fuisse scribit Hieronymus, idest haereticos absque voluntatis errore: *Concurrebant Episcopi*, inquit, *qui Ariminensibus dolis irretiti sine conscientia haeretici ferebantur*, iidemque post Constantii obitum deceptos se fuisse conquesti sunt, *parati, & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare*. Ceterum sicuti iniquum esset tot, tantosque Episcopos Arianae haeresis labe aspergere, ita ab omni eos culpa liberare difficile, eo quod Substantiae, & Consubstantialis vocabula a Nicaena synodo ad perfectam Verbi cum Patre aequalitatem designandam consecrata, silentio obrui passi fuerint, in quam simulationem etsi quam plurimi consenserint: *Nunquid incredulitas illorum*, ut ait Apostolus, *fidem Dei evacuavit? absit*, non defuerunt in Orbe christiano viri, & pietate, & doctrina, & dignitate celeberrimi, qui Arimi-

Ariminenses Patres ab haeresis labe excusantur.

Hier. advers. Lucif. cap. 7.

Nat. Alex. secul. 4. dissert. 33.

Basnag. anno 359. 12.

Hier. advers. Lucif. cap. 7.

Epist. ad Rom. 3.

 nen-

JESU CHR. AN. 359. nensium Patrum simulationi nequaquam consenserint; de Liberio Pontifice, cujus maxima in Ecclesia auctoritas erat, ad Episcopos Illyrici scribebat Damasus: *Neque enim præjudicium* Coutan. pag. 486. Theod. l. 2. 22. Sozom. l. 6. 23. *aliquod fieri potuit numerum Arimino congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium, qui tantis annis Episcopatum inviolabiliter custodivit, neque alios talibus præbuisse consensum, maxime dum sicuti prædiximus, isti ipsi, qui per circumventionem declinasse videbantur, ipsi denuo utentes meliori consilio, hæc sibi displicere testati sunt*. Idemque Coutan. pag. 464. confirmat Liberius in epistola ad Orientales: *Quocirca*, inquit, *cum omnes Occidentalium partium Episcopi Ariminum convenissent, quo illos Arianorum improbitas convocaverat eo consilio, ut aut persuasione aliqua, aut quod verius est, sæcularis potentiæ auctoritate coacti, id quod in fide cautissime positum fuerat, tollerent, aut oblique negarent; nihil profecit illorum versutia. Etenim omnes propemodum ii, qui apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo tunc decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam ab Ariminensi concilio editam anathemate damnarunt, & catholicæ fidei apud Nicæam promulgatæ subscripserunt, & communione nobiscum inita, adversus Arium ejusque discipulos graviori indignatione commoventur*. Sed de Ariminensi Synodo hactenus, ad alteram synodum, cui Orientales convenerant, idest Seleuciensem oratio transeat.

De Synodo Seleuciensi.

14. Episcoporum itaque pars altera, idest Orientalium, Seleuciæ ejusdem Imperatoris jussu congregata est, dum Occidentales Arimini vel inviti detinerentur. Sacrat. lib. 2. 39. Sozom. l. 4. 22. *Hoc autem concilium*, inquit Socrates, *in urbe Isauriæ Seleucia, quæ aspera cognominatur, eodem anno celebratum est, quo Ariminense concilium, consulatu Eusebii, & Hypatii convenerunt illuc Episcopi centum quinquaginta*, seu centum sexaginta, ut habet Athan. de Synod. tom. 1. part. 2. p. 725. Athanasius. *Aderat una cum illis*, subdit Socrates, *Leonas quidam vir in Palatio Imperatoris conspicuus*, quem quæstionibus de fide agitandis interesse Imperator jusserat. Aderat, Hilarius Pictaviensis Episc. Synodo adest. & Lauricius dux militum, ut Episcopis, si quid vellent, præsto esset. His igitur præsentibus, congregati Episcopi die quinta Kal. Octobris disputare cœperunt coram Notariis, qui singulorum dicta notis exciperent. Adfuit cum eis Hilarius pro Sulpic. lib. 2. cop. fide exul, ac *quartum jam annum in Phrygia agens*, ait Sulpi-

picius, *quem Phrygiæ Præses data evectionis copia adesse compulit*. Is vero ubi Seleuciam pervenit, magno cum favore exceptus, omnium in se animos, & studia converterat. Ac primum quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides? Ipse vero exposita fide sua, quæ Gallorum esset, quin & Occidentalium pene omnium, comprobavit. JESU CHR. AN. 359.

15. De gestis autem Seleuciæ hæc narrat Athanasius: *Mensis erat a Romanis September, ab Ægyptiis Thoth, a Macedonibus Corpiæus nominatus, decimasexta mensis secundum Ægyptios, qua qui vocati fuerant convenere*. Deinde mutua Episcoporum dissidia, & excitatas Arianos inter, & Semiarianos dissensiones persequitur; quæ ejusmodi fuere, ut a Semiarianis, qui majori numero erant, Acacius Arianorum princeps, & qui cum eo consentiebant, damnati fuerint: *Cumque ad singulas Diœceses judicium contra eos latum scripsissent, impiissimum Augustum Constantium adierunt, ut illi acta sua renunciarent, ita enim jussum illis fuerat. Talisque fuit Seleucianæ Synodi exitus*, cujus gesta ex Sabino summatim refert Socrates his verbis: *Prima die cum convenissent, jussit Leonas ut unusquisque proponeret quid vellet. Sed qui aderant, nullam movendam esse quæstionem dixere, priusquam venissent, qui desiderabantur*; ii autem erant Macedonius Constantinopoleos, Basilius Ancyræ, aliique, quorum plurimi stimulante conscientia, ne præsentes accusarentur, Synodum declinarunt. Et Macedonius quidem laborare se morbo dixit, Patrophilus vero oculorum dolorem prætexebat, alii denique aliam absentiæ suæ caussam afferebant. Nihilominus urgebat Leonas addens, nullam omnino quæstionem agitandam esse, nisi prius habita esset quæstio de vita, ac moribus eorum, qui accusabantur. Inter eos Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, Eustachius Sebastiæ in Armenia, & alii quidam recensebantur. Qua ex re gravis inter eos contentio exorta est. Nam hi quidem vitam eorum, qui in crimen vocati fuerant, prius discutiendam esse dicebant; alii e contra nihil prius esse quærendum censebant, quam de fide: variæ etiam in eam rem Imperatoris Constantii proferebantur litteræ, quibus nunc de hoc capite prius quærendum esse ajebat, nunc de isto. Cumque hac de re inter se Episcopi contenderent, Seleuciensis quoque Synodus in duas partes scissa est. Et alterius quidem partis duces erant Acacius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, Georgius

Seleuciensis Synodi acta. Athan. de Synod. pag. 725.

Socrat. l. 2. 39. Sozom. l. 4. 22.

gius

Jesu Chr. An. 359.

gius Alexandriæ, Uranius Tyri, & Eudoxius Antiochiæ, quibus triginta dumtaxat alii consentiebant. Alterius vero partis principes erant Georgius Laodiceæ in Syria Episcopus, Sophronius Pompejopolis in Paphlagonia, Eleusius Cyzici, quos major pars sequebatur. Porro cum prævaluisset sententia, ut de fide prius quæreretur, ii, qui cum Acacii factione stabant, Nicænam fidem penitus abrogarunt; ac aliam conscribendam esse censebant. Alterius vero partis Episcopi, qui & numero superiores erant, cum in reliquis omnibus Nicænum Concilium susciperent, solam vocem Consubstantialis repudiarunt. Atque ita post multas hinc inde de fidei formula edenda agitatas quæstiones, Antiochena a nonnullis, idest Semiarianis, adoptata formula, prima sessio finem habuit.

De gestis die secunda, & de Episcoporum dissensione.

16. Exorta autem hac dissensione Arianos inter & Semiarianos, postridie cum in ecclesiam iterum convenissent, Semiariani, *occlusis foribus perlectam fidei formulam subscriptione sua confirmarunt*, quam & pro absentibus Episcopis nonnulli Diaconi, & lectores approbarunt, quorum gesta *Acacius cum suis sectatoribus* nequaquam probavit, *eo quod in animo haberet aliam fidei formulam in ejus loco promulgare, quam paratam apud se habebat, & Lauricio, & Leonæ jam ante recitaverat*. Tertia autem die Leonæ opera ambæ partes in unum convenerunt, ac post multam ultro, citroque contentionem, cum hæc tandem sententia prævaluisset, ut ii, qui in crimen vocati fuerant, egrederentur, Leonas libellum sibi ab Acacio traditum Synodo obtulit, cujus hæc erat Præfatio. *Nos quidem cum apud Seleuciam Isauriæ ex Imperatoris mandato convenissemus, hesterno die, hoc est ante diem quintum Kalendas Octobris, omni studio laboravimus, ut cum omni modestia pax Ecclesiæ servaretur, & de fide placide tractaretur, juxta propheticas, & evangelicas voces, quemadmodum Deo carissimus Imperatur noster Constantius præcepit; nec quidquam præter sacras Scripturas in Ecclesiasticam fidem induceretur. Sed quoniam in Concilio nonnulli alios ex nostris injuria affecerunt, aliis os obturarunt, negata eis loquendi libertate, alios invitos excluserunt, cum tamen & quosdam, qui depositi fuerant, secum haberent, quosdam præter Ecclesiæ regulam ordinatos ex diversis provinciis secum adduxissent; adeo ut Concilium undique compleretur tumultu, sicut vir clarissimus Provinciæ Præses Lauricius, & vir clarissimus Comes Leonas ipsi suis oculis*

Socrat. c. 40.

De gestis die tertia.

lis viderunt: ob eam causam hæc interloquimur. Nos non refugimus authenticam fidem, quæ Antiochiæ in encæniis promulgata est, eam utique proferentes, licet patres nostri ad propositum, de quo tum quærebatur, convenerint. Ceterum quandoquidem hæ voces homæusion, & homousion multos superioribus temporibus turbarunt, atque etiamnum turbant, ac præterea nuper a quibusdam invectum esse dicitur homæusion, id est dissimilitudo Filii a Patre: idcirco homousion quidem, & homæusion, tamquam voces a sacris literis alienas rejicimus; Anomeon autem anathemate damnumus, omnesque, qui istiusmodi sunt, extraneos esse ab Ecclesia censemus; deinde confitemur Filium Patri esse similem, fideique formula subjicitur, qua habent se *credere in Deum Patrem &c.* & in Dominum nostrum Jesum Christum Filium ejus sine ulla passione ante omnia secula ex eo genitum, Deum Verbum, ex Deo Unigenitum, lumen, vitam, veritatem, atque sapientiam &c. Huic autem fidei formulæ subscripserunt Acacius, ejusque socii triginta quatuor, quorum numerum ad quadraginta tres auget Epiphanius; hisque gestis, concilium dimissum est, idest sessio tertia finem habuit.

Jesu Chr. an. 359.

Epiphan. hær. 73. 26.

De gestis die quarta.

17. Quarta die cum omnes in unum convenissent, eadem cum pertinacia disputare cœperunt. Acacius etenim cum suis novam fidei formulam edendam esse contendebat, ceteri vero, & Patrum fidei insistendum esse, aut Antiochenæ formulæ subscribendum censebant. Quæstio deinde altera agitata est; quomodo Dei Filius Patri similis diceretur: *Acaciani quidem sola voluntate similem esse dicebant, non autem substantia similem Patri esse Filium asserebant.* Cumque ea de causa diu, acriterque disputassent, nec ullo modo convenirent, *surgens* Leonas *concilium dissolvit*, ait Socrates; nam sequenti die rogatus Leonas, ut ad consessum veniret, recusavit, ab Imperatore missum se esse dicens, ut concordi synodo interesset. Hinc addidit *abite ergo, & in ecclesia garrite*. Quo facto Acaciani magno id ducentes lucro, ulterius adesse noluerunt. At alterius partis Episcopi cum in ecclesiam convenissent, Acacium ad concilium vocarunt, ut causa Cyrilli Hierosolymorum Episcopi, quem Acacius sede sua deposuerat, ut supra diximus, agitaretur, unaque cum Acacio, alios quoque Episcopos accusatos, qui ad Acacii partes confugerant, vocarunt. Cumque sæpius accersiti adesse detrectasent, Episcopi qui

Jesu Chr. an. 359.

qui in concilio erant, Acacium deposuerunt, & cum eo Georgium Alexandriæ Episcopum, Uranium Tyri, Theodulum Chæretaporum in Phrygia, Theodosium Philadelphiæ in Lydia, Evagrium Mitylenæ Insulæ, Leontium Tripoleos Lydiæ, & Eudoxium, qui prius quidem Germanicæ fuerat Episcopus, postea vero ad Episcopatum Antiochenæ urbis irrepserat. Patrophilum quoque Episcopatu abdicarunt, eo quod a Dorotheo presbytero accusatus, & ab ipsis ad causam dicendam citatus non obtemperasset. Et hos quidem deposuerunt; Asterium vero, Eusebium, Abgarum, Basilicum, Phæbum, Fidelem, Eutichium, Magnum, & Eustachium a communione removerunt: decernentes, ut in illo statu permanerent, donec præstita satisfactione, objecta sibi crimina diluissent. Hisque gestis, cum Episcoporum dissidia in dies augerentur, Episcoporum plurimi Constantinopolim profecti sunt, ut Imperatorem de iis, quæ decreverant, certiorem redderent, ut ex Sabino pluribus refert Socrates.

Acaciani, seu Ariani a Synodo damnantur.

De Episcoporum dissidio Hilarii testimonium. Hilar. contra Constant. com. 2. pag. 327.

18. De Seleuciensis concilii dissidiis audiatur Hilarius, qui hisce concertationibus adfuit: *Quæ enim*, inquit, *dicturus sum non aliunde cognovi, sed ipse audivi, & præsens adfui cum gerebantur. In Christo itaque non mentior, quia discipulus veritatis, testis quoque nunc veritatis. Affiti Orientalium in Seleucia synodo, ubi reperi tantum blasphemorum, quantum Constantio placebat, Nam prima sessione in ea deprehendi, ut centum & quinque Episcopi homousion, idest, similis essentiæ profiterentur; & soli Ægyptii præter Alexandrinum hæreticum homœusion constantissime obtinerent. Cogente itaque Leona Comite, in unum omnes congregati sunt. Ex his, qui homousion prædicabant, aliqui nonnulla pie verbis præferebant: quod & ex Deo esset; idest, de substantia Dei filius, & semper fuisset. Qui vero homœusion defendebant, nihil nisi profanissimum asserebant: negantes quidquam substantiæ Dei simile esse posse, neque de Deo posse existere generationem, sed esse Christum creaturam; ita quod creatus est, id ei nativitas deputaretur: ex nihilo autem esse; & idcirco non esse filium, nec Deo similem. Loquar autem vobis, quod ego ipse recitari in conventu publice audivi, quod prædicante Episcopo Antiochiæ exceptum habebatur. Hæc ergo ita dicta esse ab eo commemorabantur. Erat Deus quod est, Pater non erat, quia neque ei filius: nam si filius, necesse est ut & femina*

mina sit , & colloquium , & sermocinatio , & conjunctio conjugalis verbi , & blandimentum , & postremum ad generandum naturalis machinula . O miseras aures meas , quae tam funestae vocis sonum audierunt , haec de Deo ab homine dici , & de Christo in Ecclesia praedicari ! Post multas autem istiusmodi impietates , cum Patrem , & Filium ex nominibus potius , quam ex natura comparasset , ait , *quantum enim Filius se extendit cognoscere Patrem , tantum Pater superextendit se ne cognitus Filio sit* ; *quibus recitatis tumultus exortus est* . Haec Hilarius, qui & subdit quemdam Episcopum sibi vicinum interrogasse, cur aeque eos damnarent , qui Filium Patri consubstantialem, aut similem esse dicerent , & eos qui dissimilem profiterentur; cui responsum est, similem ideo aliquatenus dici , quia voluntate, non natura , aut substantia, cum Patre erat , quae Anomeorum , seu Arianorum sententia erat. Jesu Chr. An. 359.

20. Seleuciensi Synodo ob dissensiones soluta, [illegible]rum factio ad Imperatorem decem legatos misit ; at ab Acacianis praeventi, atque apud eum conquesti , quod illorum fidem non reciperent : *indignatus Imperator eos dispergere constituit , lege lata praecipiens , ut quicumque inter illos publicis functionibus obnoxii erant , ad pristinam conditionem redigerentur.* De adventu autem Legatorum Constantinopolim Hilarius: *Post Synodum Seleuciensem* , ait , *Constantinopolim venientes* , Semiarianorum legati , *quid est quod statim damnatis haereticis vos jungitis*, idest Acacianis in ea Synodo damnatis ; & iterum in libro contra Constantium addit : *Hi autem qui homoeusion praedicabant* , idest Semiariani , qui similis cum Patre substantiae Filium Dei asserebant ; *omnes eos , qui maxime sine aliquo impietatis pudore impudentissime haec loquebantur , condemnaverant* : Acaciani vero *condemnati ad Regem suum advolaverunt , exceptique honorifice impietates suas , quanta potuerunt ambitione , confirmaverunt , similem Deo esse , vel ex Deo natum , vel naturalem esse Filium denegantes . Pauci plurium dominati sunt ; Constantius res blasphemiae suae metu extorsit exilii . Vicisse se jam Orientales gloriatus , quia decem legatos voluntati suae subdidisset , comminatusque , & populo per Praefectum , & Episcopis intra palatium , per maximas Orientis Civitates haereticos Episcopos subrogatos communione haeretica munivit . Nihil prorsus aliud egit , quam ut orbem terrarum , pro quo Christus passus est , Diabolo condonaret .*

Constantius Arianorum partes fovet. *Socrates lib. 2. 41.*

Hilar. frag. 10. pag. 695.

Hilar. contra Constant. pag. 575.

JESU CHR. AN. 359.

Hæc Hilarius, apud quem extat epiſtola ad Legatos Synodi Ariminenſis, cum Conſtantinopoli adhuc eſsent, a catholicis Epiſcopis data, qua eoſdem de geſtis apud Seleuciam admonent, atque ut ab hæreticorum communione caverent, hortantur: *Dilectiſſimis fratribus Urſacio, Valenti, Magdonio &c. Et ceteris Ariminenſis ſynodi legatis, Silvanus, Sopronius &c. Unitati, & veræ paci ſtudens, & ex Synodi mandato hæreſi renitentes, manifeſta fieri vobis ea, quæ circa Eccleſiam aguntur juſtum putavimus; ne ignoratio vos ſocios tantæ impietatis efficeret*: hinc Arianorum impietates ſe damnaſse narrant, ac ut Occidentalibus Eccleſiis id nunciarent, rogant. In ea tamen ſententia diu non ſteterunt, nam paulo poſt tum Arianorum fraudibus circumventi, cum minis Imperatoris fracti, formulæ fidei oblatæ & ipſi ſubſcripſerunt: *Cum igitur Imperator animo ſuo ita ſentiret, præcepit Epiſcopis, qui Conſtantinopolim legati a Seleucienſi Synodo miſſi fuerant, ut in fidem ab Ariminenſi concilio expoſitam conſentirent. Cumque poſtridie ad ſolemnem conſulatus pompam ſe pararet ſicuti moris eſt apud Romanos Kal. Januarii, totum diem, & inſequentis noctis maximam partem conſumpſit cum Epiſcopis diſceptans, donec legati, qui a Seleucienſi concilio advenerant, formulæ fidei ab Ariminenſi oppido allatæ ſubſcripſiſſent*. Obſtitere tamen Silvanus, atque Euſthatius, ſi qua Theodorito fides, qui cum in conſubſtantialis damnationem ſubſcribere nollent, exilio denunciato, dixerunt: *penes Principem eſſe jus ſtatuendi de ſupplicio, penes ipſos vero de pietate, atque impietate; ſe tamen doctrinam majorum numquam proditurос*. Hactenus de geſtis uſque ad Kal. Januarii ſequentis anni.

Theod. l. 2. 27.

Sapor Romanos aggreditur, Amidam expugnat.

21. Labenti anno Sirmio relicto, Conſtantinopolim Conſtantius redierat, ut, bello Perſico inſtante, vicinior, & promptior hoſtibus eſset; nam cum re infecta Proſper, Spectatus, & Euſthatius, qui Saporem adierant, rediiſſent, illico Sapor Romanis provinciis arma intulit; de quo plura apud Marcellinum videri poſſunt, qui rebus geſtis interfuit, quique Amida expugnata, cum Urſicino duce, vix fuga evaſit. Cetera bello Perſico geſta, ſequentibus annis, & volumini altero reſervamus.

Marcell. lib. 18. 19.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

A Li-

D

vo-

Mon-

Si-

T

Theo-

ERRA-

ERRATA . C. RRIGE

Pag. 14	Et auctoritate	Et atrocitate
15	Pars maxime	Pars maxima
17	Factionis patricibus	Factionis participibus
35	Ait Epiphanias	Epiphanius
90	Canone decima	
107	Ab orbe quamp	
123	*Memorata in lo*	
135	Gravisus	
143	*OEcumunica Synod*	
144	Non flectabatur	
ibid.	*Olim fuerant*	
148	Ex flavabile	a bile
ibid.	Diffusabilis	bilis
156	*Dixit enim*	*&c.*
163	*Tricennalia suorum*	*nalium &c.*
187	Secum proficiscrentur	proficiscerentur
207	*Cum ea erant*	*&c.*
208	*Insipientibus*	
ibid.	*Peculiariter*	
214	Illic deposiuit	depofuit
232	Historiæ Ecc	toriæ &c.
236	Anathe	th. percussos
246	causam	causa &c.
255	*Quid cau*	*uid causa*
256	*Ut Episcop*	*Ut Episcopos*
268	*sanctaque p*	*sanctaque &c.*
316	Eujusque memoria	Ejusque &c.
325	Tradi	Traduntur.



